

1
6
483







Remigij Melioristi Venientij fil.

A

XV

BARON

VINCENTII BARONII DE PLEVRIPNEVMONIA.

SIC AD NOS

SUPERA VIRTUS

SERENITATEM ET FULGOREM.

VINCENTII BARONII

MELDULENSIS CIVISQUE,
& Medici Foroliuiensis,

DE PLEURIPNEUMONIA,

Nempe:
De morbo ex costalibus membranæ, & pulmonis inflammatione conflato, pernicioso quidem, & frequentissimo, at à nemine hactenus obseruato.

LIBRI DUO.

Ob varias quæstiones, quas continent, non minus lectu vtiles, quàm iucundi.

Ad Eminentiss.^{mum} ac Reuerendiss.^{mum} D.

D. IOAN. FRANCISCUM
Ex Comitibus Guidijs à Balneo
Cardinalem, &c.

URBANITATE

CLEMENTIA.

FOROLIVII
APUD IO. CIMATTIUM
M·DC·XXXVIII.

NITET ET OBSISTIT

QUOQUOVERSUS.

Eminentiss.^mo ac Reuer.^mo Principi

IO. FRANCISCO

Ex Comitibus Guidijs à Balneo S. R. E. Cardinali amplissimo.

VINCENTIVS BARONIVS S. P. D.

CVM hoc peculiare Homini inditum sit à natura, Princeps Eminentiss. vt eius vitę breuitatem nominis æternitate censeat compensare, non est vt quis mihi persuadeat neminem fore, qui in eiuspiam operis editione, despecto gloriolæ fumo, ostentet se vnicam communem vtilitatem affectare: hoc enìm humana nescit ambitio: *Trahimur enìm omnes*, inquit Princeps eloquentiæ, *laudis studio, & optimus quisq; maximè pellicitur gloria. Ipsimet Philosophi etiam in eorum libellis, quos de contemnenda gloria exararunt, nomen suum conscribunt, in quibus prædicationem, & nobilitatem quidem despiciunt, prædicari se tamen, & nominari volunt.* Finis etenim mihi præsentes lucubrationes diuulgaturo potissimus quippè fuit vni publicæ vtilitati consulere, iuxta illud:

Estq; iuuare bonum multos, seruareq; honestum.

At fateor quendam gloriæ igniculum tacitò quodam animi consensu simùl subrepisse. Quid mirum, si neminem videris vnquam vel inuitè huiusce communis gloriæ euasisse contagionem? Cùm igitur ego plura ex Medicinæ Viridario, & ex meo met penu deprompserim, quę & multis emolumento, & mihi quoq;

deco-

decori non parum futura præcognouerim, ne ingrati, auariq; animi vitio inurar, haud passus sum hæc apud me penè sepulta supprimere. Qua propter Opellam hãc, quam Morbi cuiusdam pectoris vulgariter apud nos anno proximè superiori diuagantis occasione sum exaratus, qualiscunque se habeat, ceu rudem Genioli mei Partum, aut tanquam meæ erga Te obsequentissimæ deuotionis primitiem, Tibi Eminentissimo Principi consecrando, sini sub faustissimi tui Nominis inscriptione, cohortantibus etiam Amicis, in lucem prodire. Quam enim antiquiorem famam mihi, huicue labori meo potero comparare, quàm ipsam tui Nominis immortalitati dedicare? Porrò vetusta seruitus mea erga hanc Illustrissimam tuam Domum omni iure exposcebat, vt non alium pro hoc meo Opere dedicando Patronum quæritarem, præter quàm Te vnũ Eminentissimum Cardinalem, cuius tanta est animi magnitudo, dignitatis, & authoritatis præstantia, erga omnes incredibilis humanitas, & clementia, singularis omnium sciẽtiarum eruditio, mira rerum gerendarum prudentia, summa vitæ integritas, ac temperantia; & tanta deniq; virtutum, ac morum suauitas, & illecebra, vt planè vel insipiens vel barbarica ferita te existat, qui te non admiretur, non suspiciat, non valdè colat, atque Tibi totum se, suaque omnia humillima propensione non dedicet, non donet. Quo circa duo maximè abs Te reuerenter exposco, vnũ est, vt qua soles incomparabili benignitate hoc munusculum, quod tuæ longè impar Eminentiæ mea tenuitas offert,

offert, lubenter accipias; non minus enim regium est, & humanum, dictante Plutarcho, paucula accipere, quàm largiri magna. Alterum est, vt meum hunc pusillum Partum sub tua protectione clementer suscipias, & authoritate, qua polles, acerrimè tuearis: nam ego malui obtrectatorum aculeos subire, quàm inuidi, ingratique hominis nota criminari. Quibus si gratificari dignum me feceris, mihi exploratum erit me tuæ munificentissimæ gratiæ fuisse compotem: sicuti contra certiorem Te reddam me hisce honoribus plurimum abs Te esse cohonestatum, quod quidem non solum magnam mihi existimationem, & Operi famã conciliaturum; verùm etiam contra Censorum iacula horriferum Aiacis Clypeum fore æstimabo. Quibus muneribus & gratijs donatus, maximum quippè lucrum fecisse mihi reputabo: vnde fatebor me tecum ex pauco, quod dedi, plurimum accepisse, atq; inde iucundissimum fœnus effecisse. Cùm ergo multum debiti erga Te mihi superesse cognoscam, non video qua facultate, qua vi possim vnquam tantillum repẽdere, ni omnibus horis D. O. M. enixè precer, vt Te Eminentissimum Dominum, quem eximia tua merita condignè ad summum Purpuraceæ dignitatis gradum euexerunt, eadem ad supremum Ecclesiasticę Maiestatis Solium promoueant, & incolumen diutissimè seruent. Foroliuij Prid. Non. Ianuarij. M. DC. XXXVI.

Emi-

Eminentiss.mo ac Reuer.mo Principi

IOAN. FRANCISCO

Ex Comitibus Guidijs à Balneo,

S. R. E. CARDINALI

Auctoris & libri huius Patrono.

EPIGRAMMA.

QVI sacro Heroum fulges præstantior Ostro:
Quique soles placida fronte fauere Sophis.
Accipe quem Musæ pauerunt Nectare dulci:
Cui dedit ingenium docta Minerua suum.
Hunc Generose Virum sumas, hunc protege Princeps:
Quem docuit Phœbus, Cous & Hippocrates.
Hoc leue Magne Tibi donum BARONIVS offert:
Accipe Pæonias, quas benè fundit Opes.
Hoc Tibi mittit Opus, quod sic arcana medendi
Edocet, vt cunctis sit medicina, salus.
Ingenij sobolem vitales tradit in auras,
Longa cui virtus vincere sæcla dabit.
Talia BARONVS struxit Molimina primus,
In quibus eximios arguit Arte Viros.
Ex adytis cuius reserat mysteria solers:
Ex animisque truces Hæreses arte fugat.
AVCTOREM defende pia sub Muricis vmbra,
Quem Critici rabido vellere dente parant.
Fallor. Amaræ nulla aderunt conuicia linguæ.
Quisnam BARONO Te Duce Momus erit?

Eugenij Menghij Foroliuiensis.

PERILLVSTRI ATQ; EXCELENTISSIMO

DOMINO S. P.

MORBORVM duobus circiter ab hinc mẽsibus epidemicè (vt audiò) Flaminiam hanc nostram sub ancipiti forma diuagantium paradoxa, Vir Excellentissime, iam vtique demiror. Etenim cùm ex eorum effectib' ipsi sępè sub Pleuritidis persona, Peripneumoniam referant, & sub huius forma nõ raro Pleuritidis Ideam præseferant, maxima quippe se se mihi offert dubitandi occasio, vtra harum affectionum existat: aut cùm horum morborum nullus ferè hactenus (hac saltem in Ciuitate) realem representet Pleuritidem, neque veram Peripneumoniam, mihi equidem suspicandum neutras esse legitimas, sed potius vtrasque spurias, aut saltem falsas, aut alio vis adulterino nomine nuncupandas. Consueta namque medendi ratio in paucis ad vota succedit: & in omnibus ferè vermes apparent. Quapropter cùm eiusdem formæ, naturæque morbus cùm Foroliuij, tum alijs in Ciuitatibus, circunuicinisque locis æque communes esse intelligam, hisce meis ad Te confugere excogitaui, vt quæ tua est humanitas, non solum circa morborum huiusmodi essentiam tuum mihi sensum aperire, sed & curandi, quem tenes, modum explicare sit in optatis. Cùmq; Te florẽtem ingenio perspicacissimis, ac peregrinis delectari nouerim, præceteris rogatum velim, vt elegantem, haudq; dubiam aliquam ad me mittas remediorum formulam, quæ potissimum hisce pectoralibus morbis prospiciant, & contra vermes valenter pugnent, atque tandem febrim, inflammationesque dictas, vbi adsint, augere non valeant. Omnia hæc cęteris tuis apud me singularibus meritis addam. Tu interim vale, meque summopere diligentem Te dilige.

Datum Ceruiæ 5. Idibus Aprilis. M. DC. XXXIII.

Tui deuinctissimus

Thomas Feragallius.

PERILLVSTRI, ET EXCELENTISS. VIRO

D. VINCENTIO BARONIO

Franciscus Rodulphus. Fælicit Prec.

AMPLIVS fauere silentio, nocebit fortè curiosæ, ac necessariæ indagini, à litterario offitio satis feriatum est: nunc ad intermissum scribendi studium nos reuocant Musæ, Patriæ pietas proclamat, suppeditat argumentum, quod circumfertur, & ex quorundam litteris intellexi, hanc scilicet tempestatem in præsenti quàm plurimis esse obnoxiam, & quodam thoracis non benè certo, sed istic vagante morbo multos affligi. Recens præteritæ calamitatis memoria sollicitos nos facit ad vagantium morborum diagnosin explorandum. Quapropter ne ab incerta, nec satis comprobata voce in posterum affligar, Te Virum in arte nostra celeberrimum consulere decreui, vt quid timendum, quidue sperandum certiorem facias, ne fortè (quod in Peste aliqua obseruatum est) morbus finibus vestris aggressus, inopinatò vos feriat, & primò impetu quos Pestis opprimere non valuit, ipse adhuc non notus debelletur. Fac igitur, obsecro, quòd audiam quis sit hîc vagans morbus, quam habuerit causam, & qua ratione curetur. Sic enim dabitur posse tuo eruditissimo discursu frui: insurgentque denuo nostris disceptationibus noua argumenta. Interim cura vt valeas, meique memor esto, 4. Idus Aprilis. 1633.

VIN

VI

VINCENTIO BARONIO
PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ
DOCTORI CLARISSIMO.
Gabriel Naudæus. S.P.D.

POstquam à Te discessi, BARONI doctissime, venit mihi sæpius in mentem eorum, de quibus suauissimè tecum fueram collocutus: & rem omnem attentiori apud me cogitatione reputans, in istud tandem opinionis non inuitus deueni, quòd multa homini imponunt, eiusque sensus ficta rerum spetie, non minus certè quàm mentē incredibili opinionum vanitate ludificant; quibus Te dum adeo pertinaciter, & impensè iratum deprehendo, vt nihil antiquius habeas in studiorum ratione, quàm ab ipsis tanquam infęlicibus herbis Medicinæ campos repurgare; nihil minus profectò facere possum, aut debeo, quàm Te velut ex adytis sapientiæ depromentem oracula mirari maiorem in modum, & de cunctis, quæ ad Medicorum decus, ac integritatem spectant constantissimè disputantem vehementer etiam amare. Rara enim Auis in terris, & nigro, quod inquit ille, simillima Cygno, Medicus q. quæ sunt in Arte, vel vsu recta, vel doctrina vera diiudicet: rarior etiā, qui si in istis lynceus existat, & cæteris occulatior, non se potius aliorum opinioni accommodet, sed omnium meo iuditio rarissimus est, qui non ea tantum videt, & agit, sed insuper scribit, atque chartis demandat in omnē venientis æui memoriam permansuris, quemadmodum Tu vnus eorum, qui latentem fermè, istis temporibus in Italia Medicinæ dignitatem sustinent, rectè quidem, ac eleganter facis, Baroni charissime. Enim verò cum ita feras impatienter tot veteribus auiis præclarissimam artium defædari, Teque immunem ab illis prębens, quantū homini concessum est, inter cæteros vrbanè, ciuiliterque viuenti; impigis tamen in alium incautè, quem licet minimè periculosum ægris, aut turpem esse Tibi existimem, quoniam extra Artem sit, & à tua potius modestia, quàm praua aliqua animi inclinatione; quia tamen ille funus tibi in proximo minatur, quod cæteris iam intulit, qui tecum pariter in illo versati sunt, non possum certè ex animo vices tuas non dolere. Singulis enim diebus varia omnino, & præclara in Hippocratem, & Gale-

Galenum meditaris, varia etiam tuo marte componis, & ex fœcundissimo ingenij tui penu cuncta ea in chartam depromis, quæ hominum commodis, ac vtilitatibus iudicas maximopere esse conducibilia, labore quidem eo vsque improbo & pertinaci, vt nullum tibi ab ægrorum curatione tempus effluat, nullum otium imponat, nulle Te deliciæ auocent, nec, qui blandissimè tempus furantur amici, partem aliquam solido tibi de die pręripiant. Sed ambo Te Baroni amicissime, cui bono hæc diligentia? Si opera omnia, quæ interim cudis nunquam satis elaborata censeas, si ea premis in scrinio nonum in annum, si horres æmuli lectoris venena, si scholæ, & valetudinaria nihil plus ex illis commodi percipiunt, quàm si nusquam essent, nec inde Tibi maior fit honoris accessio, quàm si dies tuos in bonis duceres, & indulgeres genio nepotino. At inquies,

Pascitur in viuis linor, post fata quiescit.

Multique propterea ingenio summo, & mirifica industria præditi scriptores conuenientius duxerunt nihil quidquam edi suorum operum, priusquam ipsi eò deuenissent, vnde negant redire quemquam; quasi sopita in illis prauorum hominum odia recrudescere suos in libros non possent, aut omnes turpe ac inhonestum ducerē barbam, quod inquiunt, vellere mortuo Leone. Sed Dij pręcor melius quàm vt in hanc Te opinionē inducas, quam si perniciem, barathrumque rei litterariæ dixero, nihil illi vltra meritum affingam, aut quod probare non possim ęternum nobis lugenda pręclarissimorum operum iactura, quam huic vni tam insulsæ, ac damnosæ opinioni acceptam refero. Quare etsi videar mihi facturus iniuriam aliquam humanitati tuæ, qui sic abutor libertate, quam mihi in tuas res fecisti, vt de illis, contra quā tibi videtur statuendum censeam; oro Te tamen, atque obtestor enixè, vt ne sis modestior, aut prudentior cæteris, qui suas compositiones typis quotidie permittunt, & cùm tot habeas apud Te partim absolutas, partim ad vmbilicum, & paulò infra supraque elaboratas, quasdam etiam rudes, & monogrammas, ita cum illis omnibus agas vt solet gallina cum ouis, quorum statim atque aliquod perfectum est, illud continuò in publicam vtilitatem deponit. Hoc à Te postulant Musæ, quibus fœnus aliquod studiorum repēdere debes quod in solidum transeat: hoc Patria efflagitat, quam monstro simile esset, cùm illam tui nominis fama illustriorem reddere possis, in obscuro iacere malle, hoc etiam ambit & desiderat Italia; & quid ni Galli nostri idem faciant? Italorum ingeniorum admiratores maximi. Sed hæ res adhuc non vt Hercules Prodicus in biuio, verùm tanquam mercator ditissimus in preciosissimarum mercium emporio, vbi nescit quas in pergula obijciat latētium indices, illicesque spectatorum: nempe hic est nodus Gorgonius, quē soluere nescis, hæc cura, quæ Te angit & torquet sub pectore; hæc difficultas, ex qua Te explicare absque consutore nō potes: en igitur me iterum habes tanquam Deum ex machina. Diogenianus apud Plutarchum in sympo-

siacis

fiacis negabat dari re vera morbos nouos, qui prius non fuerint, sed eos nominibus tantum nouari, vel certè pro maiori minoriue antiquorum morborum intensione, aut eorundem insueta mixtione nouos videri: Ex aduerso multi contendunt morborum spetiem ex eorundem violentia mutari, & symptomatum insolentię nouam aliquam causam existere; quam rursus non nulli Astris innocentibus imputant; quidam Aeri insinuanti se per omnia: alij nutrici morborum intemperantiæ; cæteri fictis alijs ex ingenio luxuriante causis, & fatali rerum naturæ, quæ certas pestes homini dispensat per vices, ne se vnquam hominem esse ignoret, aut humani à se alienum quidquã arbitretur, Iam verò fluctus eiusmodi sedare potes, & tot quæstionum procellis agitatum æquor Medicum tranquillare vnius operis editione, quod paratum habes de Pleuripneumonia, quæ paulò ante hæc tempora Flaminiam, & vicinas regiones pessimè exercuit: etenim dum eius naturam explicas, causas inquiris, indicationes colligis, euentus rimaris, medelam proponis: dum singula hæc tam variæ componis, tam eruditè tractas, adeo ingeniosè discutis, illustrasque sententiarum luminibus, & quæstionum argumentis, quid aliud, quàm facem accendisti, quę reliquis tuis operibus merito præluceat, & cibum in promulsidem epulationis futuræ ea arte pręparasti, vt delicatis librorũ Helluuionibus palatum titillare, saliuamque mouere possit. Materia certè per se excellens est, quia noua, nec à Reusnero, aut alijs obseruata, quia nec visa: methodus dilucida, quia per quæstiones: stylus facilis, quia clarus, & apertus: tempus conueniens, quia proximum ægritudini, cuius recens adhuc memoria facilè in legentium animos recurret: vtilitas maxima propter grauissimos Thoracis affectus, quos pariter explicas: necessitas denique euidentissima, quandoquidem nondum hostis Italia plenè excessit, nec forsan impetum nisi ad bene tempus remisit. Quare age dum, doctissime Baroni, Opus istud primum manumitte, periculum ex illo de cæteris facturus, & eandem, ni fallor, relaturus laudem, quam Fracastorio Syphilis, Reusnero Scorbutus, Saxoniæ Plica Polonica, Codroncho, & Septalio prolapsus mucronatæ cartilaginis, Coyttaro Febris purpurata, sudorque Anglicus, & alij morbi noui omnibus, qui tanquam è specula deprehenderunt, attulere: sed ego captus oblectatione quadam ad Te scribendi, qua nulla mihi in hac solitudine gratior, aut iucundior esse potest, nõ sentio tẽpus effluere Tibi in grauioribus negotijs occupato: quare ne in tua simul, & publica cõmoda diutius peccem, quæso Te saluta excellentiss. D. Alexandrum Paduanium meo nomine quãta maiori poteris humanitate, & beneuolentia, & quod nunc agis in me amando, & ornando, id Tu multo dehinc prolixius vt facias rogo Te etiam, atque etiam. Vale.

Datum Massæ Fiscallię iij. calend. Maij M. DC. XXXIV.

BENI-

Errata in hoc Opere corrigenda.

PAg. 2. epist. Naudei vers. 36. Prodicus, Prodicius. sub fine 3. gag. dictę epist. BENI- *Erra-* pag. 2. epist. ad lectorem 34 *visus, vel auditus. visu, vel auditu.* 1. 16. Thearri, Theatri. 2. 4. varitates, varietates. 3. 11. immediatę, immediatè. ibid. 26. per multis, permultis. 4. 32. tetegit, tetigit. ibid. subgsequellam, subsequelam. 6. 2. coacscit, coalescit. 8. 19. ex mgno, ex magno. 9. 34. pulmonem, pulmonum. 15. 9. 1629. 2029. 16. 4. clephantiasis, elephantiasis. 17. 12. affectibus, affectu. 19. 9. quæspiam, quæpiam. 20. 11. his, is. 21. 17. subscruentum, subcruentum. 22. 14. peuritidis, pleuritidis. 23. 6. ad motis, admotis. 23. 18. Τῶ ὀδυνεων κὶ ἐν πλδρῆιν. Τῶν ὀδυνέων κὶ εν πλευτρῆισε 23. 21. intercostabilis, intercostalibus. 23. 28. Hippociates, Hippocrates. 23. 33 in expertis, inexpertis. 24. 4. febrictant, febricitant. 24. 14. semsum, sensum. 45 19. pleuta, pleura. 47. 13. cum hęc, nō: cum hæc non. ibid. 15. neutiquam falsam, neutiquam eam falsam. 51. 21. Ætium, Aetium. 51. 27. epizochoti, hypezocoti. 55. 28. cosensientium, consentientium. 66. 20. virolenta, virulenta. 70. 5. eonuelluntur, &, conuelluntur &. 70. 14. succenssionis, succensionis. ibid. siat, fiat. 71. 3. ealore, calore. ibid. 9. haut, aut. 128. 21. irrigare, irritare. 137. 18. in marg. *loda, loca.* 145. 26. contingit, contigit. 154. 10. in marg. *Hippostcris, Hippostenis.* 156. 6. exga, erga. 160. 29 in marg. *Cœlorum, Cœlum.* 167. 2. in marg. *præstere, præpostere.* 169. 14. in marg. *cateis, cæteris.* 175. 30. in marg. *Hic ne, Hicue.* 184. 24. exciccandi, exsiccandi. 195. 30 in marg. *preone, ponè* 221. 16. in marg *expungantur hæc, Alteræ Clasis rationes.* 309. 4. in marg. *disserenda, differenda.* 316. 33. in marg *vtebantur, vtebatur.* 352: 10. υφσις, φυσις. 371. 2. in marg *petior, potior.* ibid. 9. ouillę, suillę. 374. 18. in coquendum, incoquendum.

BENI-

BENIGNO LECTORI.

QVemadmodum duo maximè omnium præclarissima, diuinisq; operibus consimilia à Dijs fuisse nobis elargita, vera scilicet loqui, & cunctis benefacere, Pythagoram dixisse refert Aelianus l. 12. var. Hist. Ità ex aduerso turpissimum, improbique hominis esse veritatem dissimulari, & multis non prodesse. Hæc ego igitur sæpè mecũ animo voluens eos omnes studiosos Viros vel ineptos, vel ingratos, vel inuidos esse duco, q totam illorum vitam in legendis libris, ac meliora excerpendis transigunt, & nihil vnquã scriptis asseruant aut si quid alieni, vel proprij scitu digni reponant, id omne apud se suprimunt, nec alijs per typos, seù per lectionem cõmunicant. Nã, vt Martialis ait, dedecus est semper sumere, nihilq; dare. Cùm itaq; proximè elapso anno 1633. morbus quidã in regionibus nostris, vndiq; diuulgaretur, nec si pleuritis, an peripneumonia esset à multis Medicis ambigeretur, ac ob id à non nullis horum amicis quæ morbi huius Idea esset, perquisitus, vt illorum desiderio, ac meo simul debito morem gererem, quicquid de hac re sentirem, paucis folijs ac perfunctoriè quidem explanaui, quando eiusdem morbi essentia, ac eius causis, & curandi ratione exactius à me perpensis, animaduerti plura se se offerri, quæ maximam præseferebant dubitationem, & quæ altiori indagine opus habere viderentur. Inde factum est, vt ea, quæ à veritate maximè distantia & in nostra arte admodum pernitiosa fore viderentur, non paterer omnino dissimulari, ac silentio inuoluere: propterea quòd ipse animaduertens à nimine hucusque vllum de hoc morbi genere tractatum fuisse exaratum, nec vullam mentionem factam; tametsi de pleuritide, ac peripneumonia seorsim innumeri ferè Medici in suis practicis scripserint, sicuti de pleuritidibus spurijs perinde ac de quibusdam morbis nouis, ac epidemicis nonnulli summatim pertractauerint, condecentissimum, ac valdè proficuum mihi visum est de hoc morbo peculiare cõmẽtarium conscribere hoc animo duntaxat, vt tanquã res quasi noua, ac perutilis, nec ingratæ lectionis, si quando ab alijs hæc oppella diuulgationis digna censeretur, in lucem prodiret; secus autem, vt saltem ex pluteo mentis meæ deprompta pro labentis memoriæ promptuario inseruiret. Modo autẽ cũ ab aliquibꝰ excellentiss.

Viris

Viris, quibus legendam, eorumue iuditio censurandam fidentissimè tradiderā, satis cōprobata sit, & digna, quæ typis cōmittatur, æstimata vt eorū persuasionibus obtemperarē, nolui ab editione huius abstinere. Sed qua ratione dices, eo tēpore, quo vagabatur hic morbus, opusculum id nō ediderim? Respondeo; quoniā non nisi prius inspecto totius morbosæ cōstitutionis cursu de hoc scribere inchoaui Cæterū miraberis fortasse, & me nō parū criminis nota dignum cēsueris, quòd opus hoc prollixius, & exactius fortasse, quàm res exposcebat, effecerim: & quòd duobus folijs cōplecti poteram, quinquaginta fermè disposuerim, huius ratio est, quòd non solū materiæ dignitas, dubitationumq. momenta breuibus expediri haud patiebantur; sed vt etià hæc omnia, quæ hic continentur, tum huiusce morbi tractationi, tum multarū quoq; rerum cognitioni, atq; normæ possint inseruire. Si igitur plusculum iusto hæc tibi videbuntur diffusa, non æquè certè confusa: & si spatiosa, non parum quoq; spetiosa forsitan apparebunt. In hoc vno quippe fateor deliquisse, quòd fortasse nimis sobriè hic Pleuripneumoniæ peculiarem essentiā, & differentias explicuerim: sed hoc quoq; mihi vitio prorsum ne vertas, cùm de pleuritide, & pneumonia seorsim tā amplè locutus fuerim, vt ex his quisq; possit ad libitum omnis Pleuripneumoniæ integram cognitionem venari. Quòd etiam celeberimos quosdā nostræ tēpestatis Viros: sicuti nō nullos quoq; ex Primatib⁹ antiquis vellicauerim, & in quēq; obuiū velut è plaustro, vt aiunt, fuerim oblocutus; hoc me non alio quippe animo fecisse (Deum contestor) pro certo habeas, nisi vnius veritatis amore, quod plurimos factitasse non ignoras, vt Gal. in Archigenē 2. de cō. med. sec. loc. & Trallianū in Gal. l. 5 c. 4. Cuius veritatis gratia ego semp̱ consueui plus fidere rationi, quàm auctoritati; propter quòd optimo iure mihi videtur Auerroes ꝓnūtiasse se neutiquā Arist. ipsi fuisse crediturū, nisi cū ratione locutus esset. Etsi tandē plura ex alienis operib⁹ excerpta huc transtulerim, non quidem vnde illa desumpserim, sed qualia, & qua arte hic inseruerim, te notare vellem; quandoquidē non inepti, aut mediocris notæ hominis est ex manu Herculis clauā extorquere, vt p̱simili cuidā censori respondisse ferunt Virgil. Maronē. Tū quia nullus est p̱fecto (nisi diuinus sit) qui omnia sibi Cælitus infusa proferat, sed plura, quę ex alijs vel visus, vel auditus mutuauit. Hunc igitur laborem, qualiscunq. sit, quali animo Tibi benigne Lector condidi, tali recipias, æqui boniq; facias, rogo. Vale.

CATA-

CATALOGVS AVCTORVM,

Quorum testimonia in hoc Opere compelluntur.

Abimeron Abinzoar.
Actuarius.
Adrianus Spigellius.
Aelianus.] Aetius.
Agellius.
Albertus Magnus.
Albucasis.] Alcæus,
Alexander Aphrodis.
Alexander Benedictus.
Alexander Massaria.
Alexander Trallianus.
Alsarius Crucius.
Altimarus.
Alzaharauius.
Andernacus.
Andreas Dorerus.
Andreas Gallus.
Andreas Laurentius.
Andreas Libauius.
Andreas Matthiolus.
Andreas Vesalius.
Andreas Thurinus.
Antillus.
Antonius Beniuenius.
Appolonius Herophilus.
Archigenes.] Aretęus.
Aristoteles.] Arnobius.
Arnoldus.] Asclepiades.
Athenęus.] Atenodorus.

Auerroes.] Auicenna.
Aurelianus.
Balduinus Ronsseus.
Bartolomæus Eustachius.
Bartolomæus Acursinius.
Benedictus Fauentinus.
Bernardinus Gordonius.
Brasauola.
Cardanus.] Chalcidius.
Cælius Rhodiginus.
Christophorus à Vega.
Cicero.
Constantinus Monachus.
Cornelius Celsus.
Danièl Sennertus.
Demetrius Herophilus.
Dinus de Garbo.
Diocles Carystius.
Diogenianus.
Dioxippus Hippocrat.
Erasistratus.] Eratosthenes.
Erotianus.] Eupolis.
Euripides.] Eusebius.
Eustachius Rudius.
Fabritius Bartoletus.
Ferdinandus Mena.
Fernelius.
Florus.
Fœlix Platerus.

Franciscus India.
Franciscus Michinus.
Franciscus Valleriola.
Franciscus Vallesius.
Gabriel Falloppius.
Gabriel Naudæus.
Galenus.
Galeottus Martius.
Gariopontus.
Caspar Bauhinus.
Gaza.
Gentilis Fuligin.
Goræus.
Guilielmus Salicetus.
Haly Abbas.
Hegesander.
Heinricus à Brà.
Heinricus Smetius.
Heraclides.
Hercules Saxonia.
Hercules Trimegistus.
Herodotus.
Hollerius.
Hollerij Scholiographus.
Hieronymus Capiuacceus.
Hieron.Fabrit. ab Aqua Pendent.
Hieronymus Mercurialis.
Horatianus.
Horatius Augenius.
Hippocrates.
Iacobus de Foroliuio.
Iacobus de Partibus.
Iacobus Otthæus.
Iacotius.
Iamblicus.
Ioannes Arculanus.
Ioannes Argenterius.
Ioannes Baptista Montanus.
Ioannes Colle.
Ioannes Costæus.
Ioannes Crato.
Ioannes Heurnius.
Ioannes Iacobus Mannus.
Ioannes Mattheus Gradius.
Ioannes Mesue.
Ioannes Picus Mirandulan.
Ioannes Renodæus.
Ioannes Zecchius.
Iosephus Strutius.
Ioubertus.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Cæsar Claudinus.
Iulius Cæsar Scaliger.
Iulius Delphinus.
Iuuenalis.
Lactantius Firmianus.
Langius.
Latinus Tancredus.
Leonardus Bottalus.
Leonardus Fuchsius.
Leonardus Iachinus.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Panizza.
Macrobius.
Manardus.
Marcellus Donatus.
Marcus Gattinaria.
Marcus Rulandus.
Marcus Varro.
Marsilius Cagnatus.

Marsi-

Marſilius Ficinus.
Martialis.
Martinus Achakias.
Matthæus Curtius.
Matthæus de Grad.
Matthæus Zeuſius.
Michael Gauaſſetius.
Mneſitheus Athen.
Nicias.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Maſſa.
Nicolaus Nouocomenſis.
Nicolaus Piſo.
Nicolaus Sanmichelius.
Niger.
Octauianus Roboretus.
Oribaſius.
Oſualdus Crollius.
Palladius Sophiſta.
Paulus Ægineta.
Petrus Apponenſis.
Petrus Briſottus.
Petrus Foreſtus.
Petrus Salius Diuerſus.
Philippus Ingraſſia.
Philomedicus.
Philotheus.
Philiſtio.] Plato.
Plinius.] Plotinus.
Plutarchus.] Polibius.
Poſſidonius.
Praxagoras.
Prodicus.
Proſper Alpinus.
Proſper Martianus.
Protogenes Grammaticus.
Ptholemeus.
Pythagoras.
Quercetanus.
Quintilianus.
Raſis.
Rembertus Dondoneus.
Rondeletius.
Ruffus Oephæſius.
Sanctorius.
Schenchius.
Scholtzius.
Secundus Lancellottus.
Seneca.] Serapion.
Socrates.] Soranus.
Sophocles.] Strabo.
Surius.
Thadeus Dunus.
Thadeus Florentinus.
Themiſon.
Theophilus Protoſpat.
Theophraſtus.
Thomas Eraſtus.
Trincauellus.
Thucidides.
Titus Aſclepiadicus.
Valeſcus de Taranta.
Virgilius Maro.
Vegetius.
Zaccharia à Puteo.
Zoar.

FINIS.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

Præfatio, & Historia. Pag. 1.
Cap. j. *De Idea, & Essentia Pleuripneumoniæ.* 7.
ij. *An Pleuripneumonia sit morbus nouus, nec ne?* 13.
iij. *De differentijs Peripneumoniæ.* 18.
jv. *De Pleuritidis differentijs.* 22.
v. *Qui sit locus affectus in Pneumonia.* 27.
vj. *Quæ sit in Pleuritide pars affecta.* 31.
vij. *De Pleuripneumoniæ differentijs, locis patientibus, & definitione.* 50.
viij. *De Pleuripneumoniarum signis.* 53.
ix. *In quo morbi genere reperiatur Pleuripneumonia.* 55.
x. *Quòd Pleuripneumonia anni* 1633. *fuerit morbus epidemius, non autem pernitiosus.* 56.
xj. *An Pleuripneumonia fuerit pestilens, aut maligna?* 61.
xij. *Quòd non fuerit contagiosa.* 66.
xiij. *De Causis Pleuripneumoniæ.* 67.
xjv. *An Pleuripneumonia fiat à Catarrho?* 72.
xv. *An detur vaporosæ materiæ ad caput ascensus, & ad inferiora descensus?* 77.
xvj. *A qua causa fiat in cerebro materię catarrhalis prouẽtus* 83.
xvij. *Per quos ductus cerebrum sua excrementa repurget.* 90.
xviij. *An materia à capite defluat in pulmonem, & alias subditas partes? Vbi præsertim quæritur per quas vias à Capite ferratur in has partes.* 92.

xix. *An*

xix. *An morbi articulares, & præsertim Podagrici ab humore à capite destillante generentur.* 100.

xx. *Quòd in affectibus Pneumonicis humor præsertim effluat à sibi proximis maioribus vasis, non autem à capite, quod Galeni testimonio probatur.* 107.

xxj. *Idem probatur autoritate Sennerti, à quo duabus etiam quæstionibus demonstratur materiam in Asthmate non quidem à capite, sed à vena arteriosa, & ab alijs circumuicinis vasis deriuare.* 112.

xxij. *Cur in Asthmate non fiat tussis.* 114.

xxiij. *An potus in pulmonē, cibus in vētriculum deferratur.* 119.

xxiv. *An aliquid potulenti defluat in asperā arteriam, & pulmonem.* 128.

xxv. *Per quas vias fiat materiæ in cauitate thoracis existentis Anacatharsis, hoc est expurgatio per sputum.* 137.

xxvj. *De causis exterioribus, & primo de Aere. Vbi quæritur An huis vitio producta sit Pleuripneumonia.* 144.

xxvij. *An Aeris frigiditas pariat huiusmodi morbos.* 145.

xxviij. *An Pleuripneumonia epidemica ortum duxerit ab Astrorum influxibus. Vbi expenditur modus, quo Cœlum agat in hæc inferiora.* 154.

xxix. *An ex Contagio potuerit excitari Pleuripneumonia.* 172.

xxx. *An huiusmodi morbosa constitutio ex cibo potuque sit generata.* 175.

xxxj. *Quòd à Vino præsertim oriri possit Pleuripneumonia.* 178.

xxxij. *An intempestiui labores, ac insolita otia sint horum morborum productiua.* 182.

xxxiij. *Quòd maximè ex repletione, & quandoque ex inanitione oriri possit Pleuripneumonia.* 183.

xxxiv. *Quo-*

xxxiv. *Quomodo somnus, & Vigilia sit Pleuripneumōiæ causa.* 184

xxxv. *An, & quomodo animi affectus valeant producere Pleuripneumoniam.* 187.

xxxvj. *Quæ sit morbi huius Magnitudo.* 188.

xxxvij. *De Prognosi.* 190.

LIBRI SECVNDI.

Cap. j. *DE Indicationibus curatiuis.* 199.

ij. *De Curatione. Vtrum in hoc morbo conueniat venæ sectio.* 200.

iij. *Num à fomentis, num à sanguinis missione, num autem à medicamento purgante inchoanda sit curatio.* 203.

jv. *An in Pleuripneumonia cum praua humorum qualitate, vel apparentibus peticulis conueniat venæ sectio.* 211.

v. *In quo latere aperienda sit in Pleuritide, & Peripneumonia vena.* 216.

vj. *Ex qua vena in puerperis, & quibus soliti menses erumpunt, facienda sit sanguinis detractio.* 247.

vij. *Ex qua parte in mensium, & hemorrhoidum suppressione facienda sit sanguinis euacuatio.* 354.

viij. *Qua sanguinis quantitate debeat in Pleuripneumonia, sicut in alio quouis morbo procedi.* 255.

ix. *De quantitate sanguinis discreta.* 286.

x. *Quòd in Pleuripneumonia, plusquàm in cæteris alijs morbis, liberaliorem fieri oporteat sanguinis detractionem.* 292.

xj. *An in sanguine ita vires continentur, vt hæ ex illius detractione detrahantur, & auctione augeantur, vt plerique existimarunt.* 296.

xij. *An natura hominis nunc plurimum decremēti passa sit ab eo,*

quod

quod erat primoribus ſęculis. 302.

xiij. *Quòd in Pleuripneumonia etiam cum praua humorum qualitate liceat copioſam facere ſanguinis euacuationẽ.* 303.

xjv. *Quãdo in Pleuripneumõia adminiſtrãda ſit venæ ſectio* 306

xv. *An cucurbitularum vſus in Pleuripneumonia conueniat. Vbi quæritur vtrum cucurbitula ſcarificata ſit phlebotomiæ vicaria.* 311.

xvj. *An Hirudines loco ſectionis venæ conueniat in Pleuripneumonia.* 320.

xvij. *An Veſicantia in hoc morbo conueniant.* 324.

xviij. *Pharmaceutica. An in Pleuripneumonia ad materiam cùm in toto, tum in thorace contentam expurgandum conueniat medicamentum purgans?* 332.

xix. *An materia purulenta, ſeu ſanguinea, ſeu alterius naturæ in pulmone, aut in alijs thoracis cauitatibus contenta poſſit per aluum, aut per vrinam, aut per alias inferiores vias expurgari.* 342.

xx. *Pharmaceutica.* 357.

xxj. *Diætetica.* 373.

FINIS.

APPRO-

EGo Vincentius Serughus Societatis Iesu ex commissione Illustrissimi, & Reuerendiss. Dñi mei Dñi Archiepiscopi Theodoli Episcopi Foroliuiẽsis perlegi diligenter Opus hoc Excelentiss. Dñi Vincentij Baronij De Pleuripneumonia, quæ diu nec nomen fuit; Ipsa sui notitiam Ciui huic debet nostrati, qui non cõtẽtus nouam, & principem inter morbos inuexisse Ideã, illustrauit itidem Pleuritidem, & Peripneumoniam, è quibus nouum genus Pleuripneumoniam reperit: Hæc doceri contenta respuit in hoc tractatu ornatus, nisi ornatior illa tibi videatur, quòd veniat in lucem sine ornamẽto, fucoque verborum; hæc seruiunt hic, imperent alibi: cęterùm indicationibus optimè satisfit, & fons triplex diæteticus, chirurgicus, pharmaceuticus irrigat florens hoc Opus, in quo cùm nihil depræhenderim Catholicæ Fidei, aut bonis moribus aduersum, censeo imprimendum.

Rauennæ xj. kal. Dec. Anno à Partu Virginis. M. DC. XXXV.

Ita censui Ego idem Vincentius Serughus Soc. Iesu.

FIdem facio, & attestor Ego infrascriptus me de mandato admodum R.P. Vic. Sancti Offitij Foroliuien. totum Tractatum De Pleuripneumonia eccelentissimi D. Vincentij Baronij Physici perlegisse, nihilque in eo contra Fidem, aut bonos mores reperisse, & ideo typis mandari posse.

Foroliuij die 14. Nouembris. 1635.

Ita est. Alexander Paduanius Physicus, &c.

ATtestor Ego Marcus Antonius Saffus Philosophię, ac Medicinæ Doctor ex ordine admodum R.P. Vic. S. Offitij Foroliuij attentè perlegisse Opus de Pleuripneumonia excellentiss. D. Vincentij Baronij Physici Meldulensis ac Ciuis Foroliuien. nihilque quod Sacrosanctę Romanę Ecclesiæ Catholicæ Fidei, aut bonis moribus aduersetur, continere affirmo, immo & typis dignum, & vt à Medicis veritatis studiosis iterum atq; iterum auidè perlegatur, Idcircò hic me subscripsi in fidem, &c.

Foroliuij die 15. Nouembris. 1635.

Ita affirmo Ego Marcus Antonius Saffus.

HAbitis ad saturitatem sufficientibus relationibus huius eximij Operis pro Illustrissimo D. Archiepiscopo Theodulo D. meo Episc. Foroliuien.

Antonius Ferrerius Vic. Gen.

Imprimatur.

FR. Raymundus Sacchettus de Cingulo Lector Theologus ordinis Prędicatorum, & Vic. Sancti Offitij Foroliuij.

IN

VINCENTII BARONII

Physici Meldulensis, ac Ciuis Foroliuiensis Libros duos.

DE PLEVRIPNEVMONIA.

Præfatio, & Historia.

TAMETSI rerum omnium naturalium κατακόσμησις ordoque stabilis, ac æternus ita esse consuescat, vt Natura summi Dei Vicaria secundum impermutabilem, ac pærennem cælorum actionem suis perpetuis,& constantibus modis incedat, vt nimirum annus iuxta solis accessum, & recessum, ac inde penes quadruplicem elementorum naturam, quadriformi tempestatum vicissitudine perpetuò se se nobis offerat, ad quorum similitudinem hominum temperamenta, ætates, humores, & morbi quoque inuiolabili quadam lege quadrifariam sequantur proportionem: veruntamen tanta est Naturę voluptas, atq; libido, vt vel ob volubilem cælestium corporum mutationem, vel ob innatam illius variandarum multiplicandarumque spetierum, & formarum propensionem, ad huius fortasse mundani Theatri decorem, & perfectionem, semper nouas, & multiplices consueuit producere re-

Naturalium rerum ordo stabilis.

Naturæ luxuries.

rum Ideas, atque formas: vnde secundum æquiformem difformiter procedentem rationem, etsi vna sit hominis forma, vnaque species; tamen infinitæ propemodum sunt, ac incessanter permutabiles indiuiduorum, formarum, Idearumque varietates, sicuti in temporum, & annorum infinitâ quasi serie nullum tempus tempori simile, nullus annus anno, nec mensis mensi, nullaq; dies diei persimilis vnquam apparuit: & hac ratione quemadmodũ vnumquodq; sæculum suos habuit sibi peculiares mores; ita nulla non ætas suis congruis non caruit affectionibus, cùm pro varia temporum constitutione, & pro diuersa viuendi ratione, corpus nostrum ad varias præternaturales affectiones permutari doceat experientia, ac Hippoc. ipse testetur in 3. aphor. 1. & lib. de aer. loc. & aqu. prope finem. Qua ratione consueuit in vna aliqua tempestate vnum aliquod morbi genus, in alia aliud vulgariter homines diuexare, vt ex fide dignis Virororum monumentis colligere licet; quemadmodum ille (omitto scabiẽ, & prorriginem Hæbreorum tempore Moysis apud Ægyptios, cuius alia ratio est) podagricus morbus, quem suo tempore Merorum fructus defectione ꝑ viginti annos perdurasse refert Hegesander apud Athenæum lib. 1. Sympos. cap. 10. Et anno Dñi 856. illa crudelis Romæ faucium inflammatio, & obstructio: sicuti annorum 880. & 885. totius ferè Germaniæ, ac Italiæ populares tusses, ac ophthalmiæ: ita 1200. seuus illæ fluxus sanguinis narium, qui totam Æmiliam, ac Æturiam infestando 24. horarum spatio hominem iugulabat. Similiter ille Anni 1348. sanguinis sputus toto ferè Terrarum orbi infestissimus: sic circa annum 1486. vsque ad 1529. pustulæ, quæ in fœdissima vlcera degeneratæ, totam infestarunt Italiam, quo tẽpore ferunt Luem gallicam ad nos peruenisse: ita per annum 1580. morbus ille capitis grauatiuus per vniuersam Italiam, grassatus est, quem morbum Arietis, vel Montonis, siue vulgarius Mattonis, aut Cucculuccæ nuncupabant: & nostrâ tandem ætate sub anno 2621. & 22. ibidem febres malignæ peticulares dictę passim diuulgabantur: & plerique alij peculiares morbi suis proprijs temporibus, ac regionibus ingruerunt; quemadmodum hac nostra tempestate post

Variorum temporũ variæ morborũ constitutiones.

te post sæuissimam Pestem, quæ duobus proximè præteritis annis per multas Europæ Prouincias, & præsertim occiduas, ac boreales Italiæ regiones vulgariter grassata est, Epidemicus quidam morbus per totam quasi Flaminiæ, ac alius finitimæ Prouinciæ regionē diuagatus est, qui sub initio Februarij proximè præteriti anni 1633. inchoando talem de se præsetulit spetiem. Primò enim vlcera quædam in ore, faucibus, & palato suboriebantur, & subinde inflammationes in faucibus obortæ (anginam vocant) deglutionem, anhelitumq; impediebant; ita vt paucis diebus strangularentur illi, quibus tempestiuè remedia non suppetijssent. His paulò post immediatè successit dolor quidam subpungitiuus circa thoracem, qui febre, tussi, anhelitus difficultate, sitiq; magna concomitatus, non semper vnam, & eandem in omnibus seruabat loci stabilitatem, & formam, cùm aliquibus in latere dextro, alijs in sinistro, non nullis sub axilla, & ad iugulum, vel ad humerum, quibusdam in dorso sub scapula: pluribus verò circa costas inferiores, & non nullis in medio pectore, nēpè sub sterno, & ad cartilaginem vsq; mucronatam sentiretur: cæterum in quibusdam vno residens loco, paulò post eo relicto, aliū occupabat; in alijs verò, post quàm quartum, aut septimum diem ægrum afflixisset, in totum euanescebat: in non paucis autem non nisi transacto secundo, vel tertio, vel quarto die dolor excitabatur, & præsertim quando præcesserat sanguinis euacuatio. Imò cùm multis diebus dolor latitarit, & mox apparuerit, illius pleuritidis genus referebat, quam abditam, vel spuriam vocant: & permultis erat difficilis in latus affectum decubitus: ac tandē aliqui erat, qui non nisi tussiendo dolorem sentiebāt; & alij, qui licet nunquam doluissent, tamen & tussiebant, & difficulter spirabant: aliqui verò, vt potissimum pueri præ dolore à tussis abstinebant, & exigua illis erat, & breuis inspiratio, crebrâ expiratione cōpensante: plurimi sub initio siccâ inaniq; tussi sæpè lacessiti, non prius quidquam excutere poterant, & excreare, quàm facta esset per venæ sectionem non mediocris euacuatio: sed hoc omnibus ferè commune videbatur, quòd omnes tussi conflictabantur, & non sine aliqua difficili respiratione, & aliquando cum

Historia morbosæ cōstitutonis anni 1633.

rhogmone. Item aliqui cruda, cruentaque, aliqui crocea, vel ærruginea, nonnulli pituitosa excernebant: & plerique vnam, aut ambas genas rubore suffusas habebant: nulla non hora febricitabant, licet febris in pluribus suis non careret tum exacerbationibus, tum remissionis temporibus: vt plurimum inquam intolerabilis sitis inerat, cum insigni inappetentia, & capitis dolore, atque vigilijs: at circa morbi statum non paucis deliria subsequebantur, cum magno etiam ventris cruciatu: atque sæpè ijs vermes excernebantur: & tandem in quibusdam, & maximè in pueris, & mulieribus peticulę quædam obseruatæ sunt: aliquibus item septimo, multis vndecimo, pluribus decimoquarto vel ad salutem, vel ad iteritum terminabatur morbus: vnde qui primis diebus, aut infra septimum diem expuere incipiebant, & copiosum expuebant, omnes sanabantur, & quibus maximè sub primis diebus plurimum sanguinis iteratis vicibus fuerat detractus: vnde illis potissimum rectè soluebatur morbus, quibus ne dum plurimum sanguinis eductum esset, sed qui aquã tepidiusculam liberaliter haurijssent, quiue propter horũ duorum potissimorum præsidiorum vsum opportunum tum abundè dormierunt, tum copiosè exsudarunt.

Eodem tempore vndique variolis, atque morbilis maior pars Puerorum, & non nulli quoque natu grandiorum populariter sunt affecti; & aliqui ex variolarum praua conditione defecerunt; quo tempore etiam vermes siue lumbrici pueros præsertim pessimè contorquerunt, quos omnes vna quædam inanis tussicula vt plurimum infestauit. Et tandem hic morbus eos potissimum exercebat, qui humidioris erant naturæ, & catarrhis obnoxiores. Quam communem affectionem, licet in regionibus, & temporibus, quibus grassabatur pestis non paucos affecisse compertum sit, tamen hanc, sedata iam Peste, in ijs maximè locis populariter diuagasse exploratum est, quos non tetigit Pestilentia. Quare hunc morbum, quasdam fuisse arbitror paulò præcedentis Pestis reliquias, aut subsequelam, quã merito fortasse licebit quandam nostrarum regionum pesticulam nominare.

Quid genus morbi sit hęc affectio.

Mate-

Materia igitur, quæ in hoc Opere pertractatur, est morbus quidam complicatus ex pleuritide scilicet, & pneumonia coalescens, quem ex amborum nominibus simul iunctis vno nomine constituto, Pleuripneumoniam placuit nuncupare, de qua quidem licet in hoc opere velut de morbo epidemico profitear pertractare; tamen hac arrepta occasione satius mihi fore visum est de hac simul etiam agere velut de morbo peculiari, & sporadico; vt videlicet huius natura clarius innotescat. Hæc enim sui naturâ, partium dignitate, symptomarum vehementiâ, inuasionis frequentiâ, cognitionis, curationisque difficultate, & pernitiositate, morbus est omnium ferè morborum tum cognitu, tum pertractatu dignissimus. Nam tanta est pleuritidis, ac peripneumoniæ dignitas, & præstantia, vt de his duobus morbis libros composuerit Hippocrates, inter quos præsertim libri extant de ratione victus morborum acutorum, qui maximè spectant ad horum affectuum victus rationem, nec non etiam partim ad eorundem curationem; & propterea de his plusquam de alijs axactius, & diffusius differruerunt Antiquiores, nec citra rationem, cùm ab his plures mori dicat ipse diuinus Senex, quàm ab omnibus alijs. Cùm hac igitur de causa mihi contigerit de huiusmodi morbo differere, necessum planè fuit multa, quæ de pleuritide, ac pneumonia ab Antiquis, & Neotericis scriptis sunt consignata, huc transferre. Vnde cùm ampla mihi se se offerat disserendi copia, haud diffido me hîc pro mearum virium imbecillitate multa tum lectu iucunda, tum captu facilia, tumue notatu perutilia præstiturum.

Materia in hoc opere pertractanda. Huius morbi denominatio.

Dignitas.

In 1. de vict. rat. morb. acut. tex. 9.

Totum hoc opus in duas partes seu libros dissecabo, in quibus pro disponenda huiusmodi materia, talem ordinem seruaturũ mihi propono. Primo enim tractabo de morbi huius Idea, specieque, & denominatione. Secũdo de Pleuritidis, & Pneumoniæ, & subindè Pleuripneumonię differentijs. Tertio de horum affectuum locis patientibus. Quarto de proprijs Pleuripneumoniæ notis. Quinto in quo morborum genere ipsa contineatur, perquiram. Sexto de causis cùm internis, tum externis. Septimo quæ sit morbi huius Magnitudo. Octauo de Progno-

Ordo totius operis.

Nono de Indicationibus. Decimo, & vltimo de Curatione, quæ ex chirurgica, pharmaceutica, & diætetica facultate coalescit. Vbi sanè pro rerum obscurarum, ac magni momenti declaratione, ac veritatis claritate plurima dubia, & quæstiones, quæ obiter emergunt, proponam, ac pro viribus expendere, & quoad fieri poterit, dissoluere conabor, in quibus præter multas falsas Medicorum opiniones, quas omni conatu ab eorum animis euellere tentabo: plura etiam ad veras causas morborum ex catarrho, & humorum fluxione prodeũtium indagandas: tum maximè ad exactam venæ sectione reuellendi Artem rectè administrãdã, spectantia, à me exactius fortasse, quàm ab alijs, expendentur.

LIBER PRIMVS:

De Morbi Idea, vel ſpetie, & Nomenclatura.

CAPVT PRIMVM.

QVALIS enim fuerit huiuſmodi Epidemici morbi Idea, & eſſentia, non ſatis compertum videtur; ſicuti nec planè conſtat an vnus, an plures fuerint morbi: quandoquidem exceptis variolarum, & morbillorum, vermiumque affectibus, qui omnibus noti ſunt, de illo nunc lateris dolore, qui fit cum tuſſi, anhelitus difficultate, febre, ſiti, & aliquibus cum faucium ardore, dolore, & anguſtia, extat dubitatio. Etenim ſi doloris qualitatem ſpectemus, qui vt plurimum punctionis ſenſum præſeferebat, non niſi pleuritidis formam affirmabimus præmonſtrare, quam & tuſſis, & aliqua ſpirandi difficultas, & incompatibilis in latus affectum decubitus ſatis atteſtantur.

Idea, & eſſentia morbi

Cùm autem ex praxi deprehenderimus ex frequẽti, & copio-

ſa humoris adhuc crudeſcentis bilioſi, aut pituitoſi, aut ſanguinei excreatione, aut ſanguinis miſſione, aut copioſo ſudore euanuiſſe dolorem, aut alium locum mutaſſe, nec vllum vnquam ad ſupurationem veniſſe, ſed expuitione inquam, & alijs dictis euacuationibus ipſum dolorem abijſſe, ex his ſuſpicatus ſum non pleuritidem eſſe hunc morbum, ſed potius pneumoniam, ſiue peripneumoniam, hoc eſt pulmonis inflammationem, quam etiam non nulli pulmoniam, ſeu pulmonariam vocant. Quod vt verum ſit, hæc ſuadent: nam modo altera gena ijs rubra conſpiciebatur, & inexplebilis aderat ſitis, nec non difficilis reſpiratio, quæ omnia pulmonis inflammationis certa eſſe conſueuerunt inditia, quod ex eo magis patere poteſt, quòd miſſo ſanguine, paulò poſt facili negotio excernebatur ſputus, quem credendum eſt eſſe productum ex humore pulmonem vaſa ita replente, vt non niſi minoratâ ipsâ materiâ, & laxatis eorundem vaſis potuerat excuti, & excreari. Tum quia, vt docet Galenus 1. acut. text. 27. aliquâ per ſputum ex pulmone, vel latere effatu dignâ euacuatione, ſponte, & ſubitò ſedatur dolor. Quod etiam ex magno æſtu è pulmonibus inflammatis ore per expirationem exeunte liquet: atque idem linguæ fauciumque aſperitas, & nigrities clarè præſeferebant.

Peripneumoniæ ſigna.

Sed tandem hæc opinio occulata fide ſatis ſuperque comprobatur; nam ego tunc temporis cum Medicus præeſſem Xenodochio Domus Dei Foroliuij, ibique cùm tres hoc morbo defunctos datâ operâ ſecuiſſem, in nullo eorum latere abſceſſum, nec vllum alium in membrana coſtas ſuccingente inflammationis, aut tumoris veſtigium deprehendere potui, præterquã in vna tantum muliercula, cui toto morbi decurſu latus dextrum acutè condolebat; ſiniſtrum verò non niſi tranſactis aliquot diebus pariter affigebat, cum tuſſiendi excreandique impotentia, ac anhelitus difficultate, febrique continente; vidi dextrum pulmonem ſecundum totam eius ſuperficiem ita coſtis adærentem, & impactum, vt diuelli non potuerit, niſi membrana ipſa coſtalis, quæ tota erat tabida, vnà diuelle-

Hiſtoria primi Ægroti.

diuelleretur, illæsis nempè intercostalibus musculis: sinistrum autem obseruaui à costis quidem antrorsum seiunctum, retrorsum verò costis affixum, cui anterioris alæ extremitas, quàm lobum, seù fibram vocant, erat denigrata, absque eo, quod vlla appareret in pleuritica membrana liuoris, aut inflammationis, aut alterius læsionis nota: at in qua parte erãt cauitates, non parum aquosæ materiæ repertum fuit, sicuti secto œsophago multi vermes, ex ventriculo viui prodiere.

Ægroti 2. Hist.

Alterum secui Iuuenem trigennarium lateris dextri punctorio dolore laborantem, cum pauca respirandi difficultate, & tussi non admodum vrgente, nec frequenti, & cum aliqua crudescentis materiæ expuitione, febri quoq; continenter concomitante, nec non pulsu parumper duro, atq; serratili, in cuius thorace, incolume susq; deq; pleura, nullum aliud inflammationis vestigium deprehendi, quàm pulmonis dextri lateris lobos vtrosq; liuescentes, & multam aquę copiam in thoracis cauitatibus coaceruatam, & non paucam mucosam, viscidamq; materiam toti pulmonum substantiæ combibitam.

Ægroti 3. Hist.

In 3. Iuuene eodem morbo costali secundum latus dextrum pariter laborante disecto, reperij dextri pulmonis vtrumq, lobum denigratum, & membranam costalem illis è regione liuescentem, cum plurima aqua in thoracis cauitatibus aggregata, & in pulmonis substantia, atq; bronchijs non paucam inueni visciditatem. Ex quibus obseruationibus facilè conijci potest huiusmodi affectus vt plurimũ fuisse peripneumonicos, tametsi per communicantiam sæpius subsecuta esset pleuritis, hoc est ex pulmonum inflammatione ob dictã humoris visciditatem obstructionibus generatã, viciniâ, & contactu, eandem phlogosim, aut inflammationem compassa sit ipsa membrana: propterquam conflagrationem disgregatâ plusquam par esset, & soluta illius continuitate, par erat dolorem illum punctoriũ in ea parte persentiri, & serrinum durumq; pulsum percipi; pulmonem autem inflammationem multa deforis commonstrabant, vt

præſertim illa ſigna, que ſupra enarrata ſunt.

Pleuriticorũ duorũ Hiſt.

His tandem accedit teſtimonium Fælicis Platerij, qui in ſuis obſeruationibus talia memoriæ reliquit, Pleuriticorum, ait, duorum ſectioni adhibitorum cum examinarem coſtas ſuccingentem membranam, maculam tantum liuidam in ea deprehendi, illiq; affixos pulmones, qui ægrè ab ea non niſi lacerati auellebantur: eoſq; potiùs quã ſuccingentem membranã affectos.

Io. Zecchij opinio.

Ex quo anſam arripuit Ioannes Zecchius in eam deueniendi ſententiam, vt pro certo crederet morbũ lateralem plurima ex parte ad pulmones pertinere; rarò autem ad membranam coſtas ſuccingentẽ; ita vt Hippocratis doctrinã ſecutus in lib. de loc. in homine text. 91. dixerit pleuritim eſſe vnius lateris tantum pulmonis affectionem; peripneumoniam verò vtriuſque lateris eamdem: quod anatomica obſeruatione in pluribus hoc morbo defunctis facta confirmare ipſe videtur, cum conſil. 26. in Append. dicat in illis non membranam ipſam fuiſſe affectam, ſed pulmones tantum vna cum ſua membrana laceratos, & corruptos.

Morbus frigoris appellatus.

Verùm quia tunc temporis præter dictos affectus in multis quoque aderant raucedines, tuſſes, capitis dolores, grauedines, reſpirationes difficiles, frequentes narium emunctiones, expuitiones, & excreatus, quæ omnia ſymptomata aliquibus ſine febre, aliquibus cum febre, & ſupradictis affectibus occurrẽtia, multis occaſionem præbuere exiſtimandi, & proferendi hunc morbum eſſe illũ, quem Catarrhũ Medici appellant, & quẽ vulgus Morbum frigoris vocat; in quo præter enarrata accidentia in principio nares obſtruuntur; deindè quid aquoſum, & crudum effunditur, deperditur apetitus, & guſtus, & ægri toto corpore calent, ſed per habitum corporis frigiditatem, & horrorem ſæpè perſentiunt, & non nihil etiam febricitant.

Catarrhus ãnorũ 1557 & 1580.

Id morbi genus haud multũ diſſimile videbatur illi, quod annis 1557, & 1580. per multas Europę regiones populariter graſſatum eſt; niſi quod in hoc differt ab illis, quòd nimirum illorum temporum Catarrhus erat ne dum epidemicus, ſed & pernitioſus, ac peſtilens: hic autem proximè præteritæ tempeſtatis, cum pluri-

plurimi conualuerint, ſolum epidemicus arat, & vulgaris.

Morbꝰ anni 1633. ad q̃ morbi genus referendus.

Cum igitur huiuſmodi morborum genera, & pleuritidis, & peripneumoniæ, & catarrhi ſpetiē præſeferre videantur; dubiū eſt vtrùm ad vnū horū, an ad omnes prædictos tres morbos, an potius ad vnum aliquod neutrum commune morbum ſint referenda. Ad vnum illorum non videtur, quia ſi ad Pleuritidem redigantur, iam dictum eſt illum pungitiuum dolorem non ſemper eſſe veræ pleuritidis ſignū pathognomonicū, ſed ipſius coſtalis membranæ, aut alterius partis mēbranoſæ, vel neruoſæ cōtinuitatis ſolutionem, à quapiā re diſſoluēte factā: tùm quia in pluribus thoracis partibꝰ perſentiebatur, & preſertim ſub coſtis inferioribus, vel ad ſternum, & quandoq; in muſculis exterioribꝰ thoracis: tùm etiam quia non conſtans erat, nec loci, nec formæ, doloris ſtabilitatem ſeruabat; & quòd materiæ potiſſimum crudæ, & pituitoſæ, aut bilioſæ excreatione euaneſcebat: vnde licet pungitiui, & pleuritici doloris formam mentiebatur, non tamen exquiſita pleuritis erat, ſed potius pſeudopleuritis:

Nec etiā ad Peripneumoniā videntur reducēdi, quia licet hîc adſit aliqua plumonū inflāmatio, cum tamen laborantes dolore non vacarint pungitiuo, nec illis valde difficilis, & frequens fuerit reſpiratio, neque in thorace ſenſus grauitatis, nec præcordiorum diſtenſio verè adfuerit; neq; tandem ijs pulſus eſſet vndoſus, mollis, aliquando biferiens, non raro intermittens, ac intercurrens extiterit, ſicut in peripneumonicis contingere ſolet; ſed magnus frequens celer, & in aliquibꝰ debilis, & mollis, & nonnullis durus, & ſerrinus: non ergo ad Peripneumoniam ſpectare videntur.

Neq. tandem ad Catarrhum referendi, quoniam in his præter febrem continuam, & peracutam, inerat quoq. dolor pungitiuus, inflammatiuus, & ſæpè grauatiuus, & alia ſympthomata à natura catarrhi plurimum aliena.

An ergò fortaſſe vni cuidam neutro, & cōmuni morbo adaptandi? Id omnino non videtur, quoniam ſic vnam tantum hic peculiarem non haberet formam, & eſſentiam, nec conſequenter vllam de ſe propriam curatiuam indicationem ſortiretur.

Restat igitur, vt vel ad illos tres omnes, vel ad nullum reducamus huiusmodi morbi genus. Ad nullum non dicendum: ergo ad illos omnes. At quia non omnes sigillatim talis est morbus, sed vnus ex omnib⁹ coalescens; idcirco concludendum est vnum esse morbi genus ex ijs cunctis tribus simul constitutum: quod quidem eo quod eorundem omnium naturam redoleat, iure merito catarrhi, & pleuritidis, & peripneumoniæ nomine vocari mereretur. Verùm quoniam ex his simul concurrentibus vna fit quædam morbi Epjdemici constitutio; ideo dicendum est vnum quoddam vulgare morbi genus tunc temporis per totam ferè Italiam diuagasse, quod ex pleuritide, pneumonia, & catarrho coalescens, vnum quoddam peculiare genus constituebat, quod nec vlli illorum peculiarirer referendum, nec illos omnes, siuè coniunctim, siuè sigillatim esse dicendum est: sed vnũ quoddam particulare ex illis omnibus constitutum morbi genus, quod vnam peculiarem facit morbosam constitutionem, & formam.

Verùm qnoniam catarrhus respectu pleuritidis, ac peripneumoniæ fuit perinde, ac horum causa effectiua, cum ipse prout est defluxio materiæ ad subiectas partes, non nisi rationem habuit causę eos thoracis morbos producentis, non meretur hanc ingredi morbosam constitutionem: & tanto magis ab hac procul ablegandus est, quòd ipse catarrhus non nisi in aliquibus ægrotis obseruatus est, nec per omne illud tempus perdurauit, quo pleuritides, & peripneumoniæ diuagarunt, sed ferè circa principium, dum ipse, videlicet thoracis ægritudines inchoarunt.

Quapropter eiusmodi morbi, quibus constat hæc morbosa constitutio, secundum eorum formam extra suas causas generantes considerati, prout scilicet pleuritidis, ac peripneumoniæ presertìm symptomatum characteria æmulantur, vtiq; non nisi ad pleuritidem, & pneumoniam tantum, vt adduos potissimos, ac populariter vagantes morbos omnes sunt redigendi.

Ex his ergò deprehendi potest, qualis sit eiusmodi affectionis tunc temporis populariter grassantis Idea, & essentia, atq; denomina-

ninatio; quia cum hæc partim ſit pleuritis, partim pneumonia, ſtatuendum eſt hanc non eſse vnum morbum ſimplicem, ſed ex duobus ſaltem morbis complicatum; ita vt iure optimo vocari poſſit, aut pneumonia pleuritica, aut pleuritis pneumonica: Sed vt vno nomine hiſce duobus conflato comprehendantur, Pleuripneumonia, aut Pneumopleuritis rectius niſallor, denominari poterit, ſecundum quod plus vnius, quàm alterius morbi naturam videbitur redolere. Verum quia morbus hic ab Authoribus, & ab ipſomet vulgo, vt plurimum ſub Pleuritidis nomine nuncupatur, ab hac vt à digniori, & frequentiori morbo ſui nominis primordia mutuando vnico Pleuripneumoniæ vocabulo debet inſigniri, quia ſicuti vna eſt illius Idea, ſic etiam eſſe debet vnica eiuſdem nomenclatura, nempè Pleuripneumonia, quod nomen cum, & lateris, & pulmonis ſimul inflammationem denotet, cuiq; liquere poterit hanc eſſe propriam eiuſce Epidemicæ Conſtitutionis formam, & denominationem.

An Pleuripneumonia ſit morbus nouus, nec ne.

CAPVT II.

QVam affectionem, etſi nouo hoc nomine mihi placuerit inſignire, nemo ſit, qui fortaſse arbitretur me ęquè propterea aſſeruiſſe hanc nouũ quendam, ac inſolitũ morbũ exiſtere; quia cum nullum vnq̃ morbi genus, tum noſtris, tùm Auorũ tēporibus innotuerit, quod aliquando maiori ex parte non extiterit, ea tantum ratione hunc morbum nouum eſſe iutelligo, qua morbus Gallicus, Plinij, ac Strabonis Stomacace, aut Scelotirbe Scorbutus dictus, ſudor Anglicus, Deliorom morbus, Polonum Plica, lues Morauia, & nonnulli quoque alij morbi recentes exiſtimati: nam etſi, quatetenus de huiuſmodi affectione nulla hactenus ab vllo, quem nouerim, facta ſit mentio, vel tractatio & ſubinſolito prædictorum Sympthomatum characteriſmo, populariter ſit apud nos diuagata, quandam nouitatem nobis præſeferre videatur; attamen proùt ad pleuritidem, ac pneumo-

niam morbos quippe passim, ac sæpè contingentes refertur, & pro ut quoq; non raró in quibusdam temporibus, & regionibus comperta est vulgariter infestasse, neutiquam nouum, nec insolitum, sed vetustum, & consuetum morbum esse affirmandum erit: quare prout popularem inquam habuit apparatum, & inuasionem, haud incongruum, rationi esset existimare hunc potius illis Epidemicis morbis esse persimilem, qui in diuersis temporibus sunt vagati, quales supra commemorauimus, tametsi in hoc tantum ab illis differat, quòd illi sunt vt plurimum simplices morbi; hic verò complicatus.

Dictū est enim nullum morbi genus vnquam nouum dici posse, quoniam haud credendum est Naturam teste Athenodoro apud Plutarchum 8. Sympos. quæst. 9. alias nostræ salubritatis sollicitam, in corpore nostro perindè, ac res in ciuitate morbos innouare, & proinde nullum nouum, aut veteribus non commemoratum vitij genus erupisse dictabat Diogenianus ibidem penès eundem: ex quo apparet à præsenti ętate nihil noui afferri, sed in quolibet æuo omnia semper extitisse, quod videtur insinuare Soffocles Antigonus apud Plutarcum ibidem sub his verbis.

Sed non heri sunt ista, vel nunc edita,
semper fuere, quando extiterint, nemo scit.

Quod etiam à Seneca alicubi, & ab alijs Auctotibus celeberimis videtur confirmari.

Atque licet nonnulli ex Antiquioribus existimauerint Elephantiasin, ac Hydrophobiam esse nouas affectiones, vt Philomedicus ibidem apud Plutar. tamen Athenodorus testatur has passiones Asclepiadis ætate iam innotuisse: nec id à veritate debet abhorrere, cum etiam tempore Moysis, Homeri, & Hyppocratis cōstet eas extitisse: ita non mirandum, si supradicti morbi pro nouis, ac insolitis sint habiti, quemadmodum venerea Lues, quæ pro ut in multorum symptomatum syndrome consistit, vt in pudendorum vlcusculis, carie, gonnorrhæa, bubone, articulorum dolore tibiarum gummis, alopetia, & alijs id genus

affectibus,qui omni sæculo apud omnes seorsum iam noti erant, nullam habet nouitatem ; nam præter alia eiusce Luis symptomata, quæ passim ab Antiquis Medicis commemorantur,non ne gonnorrhæam potissimum quippe Gallici morbi symptoma ex venereo congressu per contagium communicari memoriæ proditum est à Gordonio, Valesco de Taranta, & Guilielmo Saliceto Viris sane multo ante Gallici morbi apud nos aduentum, & publicationem florentibus ? Non ne Anglus ille sudor anno Domini 1629.nouus omnibus existimatus ,idem etiam in Britannia grassatus est Henrici vij. Angliæ Regis anno primo, qui fuit à nato Seruatore 1486. referente Surio ? Non ne etiam Carbunculus apud Plin.lib. 26. cap. 1. inter nouos morbos recensetur, & tamen constat clarissimè hunc Hippocrati fuisse nouissimũ ? De hoc enim pluribus locis ipse mentionem faciens, inquit. lib. de affect.num. 35.fauum, strumas phygethla,furunculos,& carbunculos ex pituita oriri : & 2 Epid.sect. 1.scribit in Cranone carbunculos æstate fuisse grassatos: quod idem ratificat in 3.lib. sect. 3. vbi in Austrina illa pluuiosa, ac Pestilenti constitutione, inquit plurimos ignes sacros , & carbunculos , & alios similes affectus esse subortos. Non ergò solum in Narbonensi regione, necnouiter in Italia cognitum esse astruendum est carbunculum ; cum de hoc , & Cornel. Cels. & Galen. dum esset Romæ, & alij plures Antiquiores, vt de sæpè contingenti, & vetusto morbo passim meminerint, cum hoc nil maius, nilque frequentius in Peste contingat, teste Merculiali in sect. 1.sup. 2.Epid.

Non est igitur verendum huiusmodi nouas vocatas affectiones aliquando superioribus sæculis extitisse, tametsi sub diuersis nominibus sint significatæ ; proprer quod non est mirum si ad diuersas ægritudines redigantur, quemadmodum Luem Gallicam teste Marcello Donato hist. Med. lib. 5. cap.4. ad Plinij Pudendagram reduxerunt, sicuti à Plutarcho 8.Sympos. quæst. 9. Hydrophobia redigitur ad ipsius Plinij Scorbutum, aut Stomacacem, & hanc Saxonia in præfat.de Plica, & Langius libro 2. Epist. 14. & Ronsseus lib . de Magn. lien.

reuocant ad Hyppocr. voluulum, aut magnos lienes, de quibus agit in lib. de morb. Intern. in fin. 2. prædictorum, & in 2. prognostic. de quo etiam loquitur Celsus lib. 2 cap. 7. & lib. 4. cap. 9. nec non Aurelianus 3. chron. cap. 4. Ita Elephantiatis à Plutar. refertur ad vehementissimam scabiem. Et ad hunc modum sumptæ quędam alię recentes ægritudines reducuntur ad veteres, & cõsuetos morbos, vt ille morbus Vvestphalorum, Geldrorum, & Frisiorum refertur ad Dracunculum Gal. in 6. de loc. aff. c. 3. & ab Henrico à Brà apud Schenchium, sicuti morbus ille Ducatus Lunburgensis à Balduino Ronseio Miscellan. epist. 96. & ab alijs ad Epilepticas conuulsiones. Ita Deliorũ morb' ad Elephantiasin albam Plinij lib. 15. cap. 5. reuocatur à Hieron. Mercuriali lib. 3 var. lect. cap. 18. seu ad vitiliginem albam, cuius generis fuisse illam, quam Christum curasse prodit Arnobius, teste ibidem Merculiali. Verum est quidem quòd huiusmodi affectus recentes habiti, vt presertim Gallica Lues quatenus secundum eius Symptomatum collectionem, ac syndromẽ in vna quadam tempestate, & regione præceteris populariter grassata est, vel tunc temporis solum ex venerea cõtagione obseruata fuerit propagari, certè tanquam res noua, & vt morbus recenter natus ab omnibus ferè existimata est. Nam ex regionum, temporum, alimentorum, ac potuum varietate, sic varios morbos excitari credendum est, qui omninò similes apud Antiquos non extiterint: nam pleuritidem, quæ frequentissimus nobis est morbus, apud Anglos rarissimè conspici, & tanquã nouum quid illis existimari refert Virgil. Vrbin. 16. Hist. Angliæ: Hinc Plutar. ibidem hęc habet. Quid ergo, ait, mirum est si, cum corpus in se ipso tot facultates habeat, totq; subinde cibo ac potu introducantur qualitates, vtatur autem motibus, & mutationibus, neq; tempore, neq; ordine eodem constantibus: horum inter se complexiones non vnquam nouas, & insolentes adfectiones gignere? Qualem Thucidides scribit Athenis pestem extitisse, ex eo maximè colligens nouam fuisse, quòd carniuora animalia abstinerent ab esu cadauerum. Ita Pleuritis Pneumonia, Catarrhus, & alia supradicta symptomata, quibus Pleuri-

pneu

pneumonica constitutio coalescit, si seorsim desumantur, nullum quippe nouum morbi genus constituunt: verùm si omnes simul comprehensi recipiantur, quatenus scilicet in vno quoq; homine cuncti, vel plures simul copulati passim obseruantur; ita vt omnes sic coeuntes vnum constituant morbi genus comune, q̃ in vna regione, ac tẽpestate populariter grassetur; hoc nomine sũpti, & sub nomine Pleuripneumoniæ cõplexi, ceù nouum q̃dam morbi genus nobis præseferunt, quod licet, vt tale ab Antiquis & recentibus Medicis explicitè non fuerit animaduersum, & pertractatum, implicitè tamen, & sub perplexis verbis fuit passim significatum, quemadmodum huic per similem morbũ videtur innuisse Fernelius in cons. 20. in affectu quodam Dominæ de l' Aubespine, quem inquit implexum esse duorum affectuum, quorum vuus est in pulmone, alter in dextro latere: immo pluribus locis id nobis insinuasse videtur Hipp. cum sæpius vna cum pulmonis inflammatione lateris dolorem immisceat. Quod Pleuripneumonicæ affectionis genus inquit Rembertus Dodonęus in suis obseruationibus Anno 1555. & 1565. in inferiori Germania, & apud Rheni Accolas populariter fuisse grassatum. Cuius similis notæ fuisse eam morbosam pleuriticam pneumoniam, quam apud Schenchium enarrat Iac. Otthæus libel. obseru. medi. quæ anno 1585. per totam Europam diuagata est: in qua cum præ humorum multitudine pulmonem ad thoracis cauitates occupante multi ferè suffocarentur, eam nonnulli celeberrimi viri potius in catarrhos suffocantes, quàm in pleuritidem, & pneumoniam retulerunt. Hanc epidemicam constitutionem ex pleuritide, & pneumonia permixtam luculentius explicat Io: Colle in sui Cosmytoris Medicei lib. 3. dũ excellẽtissimo viro Io: Conciolo consultationem per Epistolam rescribens, hæc habet. Historia pleuritica, & peripneumonica, quæ fæminas pręsertim, & senes Callienses, & Canthianos ob virium imbecillitatẽ, & naturas iam destillationib⁹, & catarrhis obnoxias epidemicè interfecit; etiã præteritis annis 1601. q̃ plurimos Vrbini, Pisauri, Faniq; citissima morte propter ãni frigidã, humidã, & niuosam constitutionem, & subsequentem Aquilonarem,

Pleuripneumonici Status Historia à Io: Colle enarrata.

deuastauit (vti ad te virum doctissimū illis temporibus scripsi,) quin imò eadēmet nūc Galli vagati,& dirè aberrare censeo &c. Id quoq; pleuripneumoniæ genus tùm Galenus 4. de loc. aff. cap.5.tùm Aetius tetr.2.serm. 4.cap.68. videtur significasse, vt mox ex pleuritidis, ac pneumonię diffetentijs planius constabit: Satis est nunc concludere Pleuripneumoniam,de qua hîc scribo, esse morbum Epidemicum,nouum quidem secundum quid,hoc est secundum nomen,& secundum eius propriam formam,& peculiarem constitutionem, qua vna hac nostra tempestate, & regione populariter est diuagata, & quatenus à nullo hactenus, qnem viderim de hoc cōplexo morbo factus est peculiaris tractatus: vetustum verò,& consuetum, quatenus ex pleuritide ac peripneumonia conflatum,omni æuo,omniq; regione,cùm simpliciter, tùm complexè,tam sporadicè,quam epidemicè obseruatum est inuasisse.

De differentijs Peripneumoniæ.

CAP. III.

PEripneumoniæ alia est vera, alia non vera : vera est, in qua secundum Hippocratem totus palmo cum omnibus suis partibus inflammatur. Et secundum Aurelianum ex Sorano,in qua nullus est dolor. Non vera autem est quæ teste Asclepiade quemdam habet dolorem. Vnde Hippocrates. Epid.dicebat Hippostenem in Larissa pulmonis inflammatione laborasse, quem quia fortasse cum dolore affligebat, falsam vocat. Itemque secundum vnam partem tantùm pulmo inflammatur, hæc non legitima est Peripneumonia, sed potius vna ex pleuritidarum genere, vt pluribus locis videtur Hippocrates innuere, & præsertim in lib.de loc. in hom. & in coacis 400.

Peripneumoniam à pleuritide distinguentia.

Tametsi enim ob partium viciniam, & consensum plurima sit pneumoniæ cum pleuritide cognatio;non parum tamen symptomatibus distinguuntur : nam pulmo cum totus sit spirituosus, & in eius sinu cor complectatur, dum inflammationē patitur, difficilior

ficilior fit reſpiratio, quàm in pleuritide; ita vt ſæp è non niſi erecta ceruice ęger poſſit reſpirare; ita febris acutior ineſt, & inſatiabilis ferè ſitis; cum infrenabili tuſſi dolor vix perceptibilis, nō quidē pungitiuus, ſed cum ſenſu grauitatis: quod ſi vna pars pulmonis afficiatur, in ea percipitur grauitas: ſi vtraq; in toto pectore perſentitur. Et in qua parte pleuræ communicatur inflammatio, in ea pupungit dolor; at in vtroque latere perſentitur, ſi vtrinq; afficiatur, & afficiat pulmo: ſi autem, inquit Aretęus, quæſpiam ex membranis pulmonem ambientibus, & ad pectus deligantibus inflammatur, adeſt tunc & dolor, ſpiritus eſt deprauatus, calidus, ſedere cupiunt in rectum habitum ad reſpirationem, ad id enim hîc eſt ſitus aptiſſimus. Aret. inquam lib. 2. de cauſ. & ſign. acut. cap. 1.

Cæterum æger ob maximum pulmonum, & cordis æſtum, ac ob ſpirandi difficultatem, totus fit anxioſus, & huc illuc iactabundus: immò ſæpè vi morbi ad ſurgendum, & ſedendum cogitur: at præ virium languore mox recumbit: ſicuti ſanguis, & ſpiritus ob eius efferueſcentiam reſiliens in faciem, eam rubore ſuffundit: vnde ſi in vna parte tantum pulmonis ferueat inflammatio, eiuſdem lateris gena quoq; erubeſcit: ita oculi ſanguine, & ſpiritu ſuffuſi rubent & ſcintillant, temporumq; venæ, & arteriæ turgeſcunt: hinc ſæpè deliria ſubſequuntur: tandem arteriarum pulſatio ob vſum inſigniter auctum redditur magna, frequens, crebraue, ſine duritie, ſed cum languore.

Cur in peripneumonia rubeſcāt genæ.

Quandoq; etiam accidit, vt in vehementi pulmonis inflammatione, quando ſcilicet vni lateri, vel ambobus pnlmo adhæreſcit, & impigitur, iu vno vel in vtroq; latere æger reſoluatur, vt docet Hippocrates in coacis: cuius ratio eſt (quicquid dicat Iacotius) quod ob illam excellentem partium vitalium inflammationem, vel ita reſoluuntur, aut languent, vel ad ſuum principium contrahantur ſpiritus, vt in qua parte fit inflammatio, in eadem cerebri parte deficiunt ſpiritus animales, qui cum minimè poſſint in eam ſpinæ partem influere, quę neruos mittit ad partem reſolutā

Cur in ea parte fit reſolutio, in qua pulmo impigitur lateri.

fit sensus & motus eiusdem lateris deperditio, aut saltem insignis diminutio, vel deprauatio.

Aliæ quoq; peripneumoniæ differentiæ petuntur à causis; nam aliæ fiunt à sanguine puro, dum scilicet aut quantitate in venis maioribus exuberat, aut nimis incalescit, aut se ipso crassior factus est, & glutinosior: aliȩ fiunt à sanguine pituitoso, aliæ à bilioso, & aliæ à melancholico, & aliæ tandem à seroso; sed ego arbitror, vt plurimum fieri quidem à sanguineo, rarissimè autem a phlegmatico, vt docet Auerr. lib. 4. coll. cap. 52. tametsi Galenus è contra 4. cap. 12. de caus. pul. fieri dicat plurimum à pituitoso. In hoc enim dissidere, his ait, pleuritidem à peripneumonia, quòd illa fit à tenuiori, atque bilioso: hæc verò à crassiori, & pituitoso sanguine, cuius ratio est, quòd tenuis, & biliosus sanguis in rara, & laxa pulmonis substantia non impingatur: tametsi ex recentioribus plures arbitrentur ex eodem humore tàm peripneumoniam, quàm pleuritidem generari; quoniam ex praxi videmus sæpè pleuritidi, & anginæ, quæ ex sanguine bilioso gigni solent, succedere pneumoniam, & quæ pneumonicis per sputum expurgantur, vt plurimum esse biliosa. Si igitur sanguis pituitosus à Gal. pro crudo & inconfecto intelligeretur, nulla interesset contradictio; nam in sanguine quoq; bilioso non rarò inuenimus cruditatem: imò ex sanguine crudo, & ichoroso, cuiusmodi esse consueuit melancholicus, plurimas fieri ægritudines, & præsertim inflammationes obseruamus. Quod enim à bilioso fiat sanguine pneumonia, docet Hippoc. lib. de intern. aff. vbi erysipelate pulmonem affici scribit, eo quòd sanguis plurimus è venis magnis trahitur: siue enim à sanguine puro, siue bile permixto erysipelas fieri etiam inquit Hipp. 1. de morb. à pituita autem, & bile cum sanguine permixtis gigni scribit ibidem 1. de morb. sicuti cum sanguinem, & pituitam salsam ad se traxerit pulmo, fieri pneumoniam, inquit lib. de inter. aff.

Quo humore gignatur peripneumonia, & pleuritis.

Præterea peripneumoniæ veræ alia est sicca, alia humida: de hac loquitur Hipp. 3 de morb. n5. dum inquit lethargici

morbi

morbi constitutionem eandem esse, quæ peripneumoniæ, grauior tamen, nec omnino liber ab humida peripneumonia, sed longè tardior morbus est: in quo hæc ægro contingunt. Tussis, atque sopor eum detinet, sputum humidum, & copiosum reijcit, infirmis admodum est viribus, & morti proximus, copiosum, & liquidum per inferiora demittit, & huic quidem admodum exigua vitæ spes est: efficiendum tamen, vt plurimum spuat, & calefiat, vinoque abstineat. Et n.16. postquam pulmonis inflammationem descripserit, hæc subiungit. Hæc autem contingunt hisce diebus, vt nimirum qnatuordecim, ad summum verò, vno, & viginti. Quo tempore vehementer tussit, simulque cum tussi primum quidem copiosum, & spumosum sputum expuit: septimo verò, & octauo die, cum febris in vigore fuerit, humidaq; peripneumonia extiterit, crassius procedit, alioqui minimè. Nono, & decimo aliquantum cum virore pallescens, & subscruentum. Duodecimo ad decimumquartum vsq; copiosum, & purulentum: atq; hæc fiunt, quibus naturæ, & corporis affectiones humidæ sunt, quin etiam morbus vehementior est.

Peripneumoniæ siccæ descriptio.

Et subinde siccam peripneumoniam describens, ait. At quibus natura, & morbi conditio sicca est, hi minus consflictantur, &c. Verùm de hac exactius loquens in primo de morbis n. 25. & 26. Hæc scribit. Pulmonis autem inflammatio, & morbus lateralis sine sputo, ambo ex eadem causa ex siccitate contingunt: siccant verò calida etiam, vbi supra modum calefaciunt, & frigida quoq; si supra modum refrigerant. Induratur autem latus, & conuellitur, quæque in eo sunt *venulæ*, & quantum in eo est pituitæ atque bilis, id à caliditate intus arescit, & subinde dolorem infert, & ex dolore febrem. Et paulò infrà. Peripneumonia *verò*, inquit, cum ipse etiam pulmo supra modum exsiccatus fuerit, cumque quod in eo bilis aut pituitæ inest, neque æqualiter putrefacit, neque per saliuam sursum reijcit, & quicquid in eo est humiditatis, aut

ex

ex potione, aut sorbitione, aut ex proximis locis, id totum nimia siccitate, & caliditate exurit. Hinc confert potiones bibere, ex quibns pulmo humectatur, & expuit. Nisi enim expuat, & durior pulmo euadit, simulq; arescit, & hominem perimit.

Non paucæ tandem suboriuntur peripneumoniarum differentiæ ex locorum varietate, è quibus in pulmones demandatur materia.

Sicuti alia est, quæ primò, & per se inuadit: alia, quæ alijs morbis succedit, vt pleuritidi, anginæ, catarrho, & alijs affectionibus,

De Pleuritidis differentijs.

CAP. IV.

PLeuritidis differentiæ ab omnibus ferè desumuntur, & à loco, & causa: à loco quidem cōstituunt latus esse communem peuritidis sedem affectam. At in hoc dissentiunt, quòd aliqui, quorum Princeps est Hippocrates statuunt pleuritidem in duplicem distingui differentiam: vnam scilicet, quæ ex 2. acut. text. 10. & 11. cum ad superiora vergat, hoc est ad iugulum, vel ad humerum, vel ad clauiculam, dicitur ascendens. Aliam verò, quæ ad inferiores costas, & versus hypochondria, aut ad dorsum vsq; se extendens, vocatur descendens, de qua loquitur Hippocrates in 3. de morb. quæ quidem ex Galeno 5. loc. aff. 3. 1. aphi. 2. & de const. art. med. cap. 15. dicitur esse inflammatio membrnæ succingentis costas, quæ punctorium dolorem, tussim, ac anhelitum crebrum, & difficilē afferens, vna cum febre continenti, & acuta ægrum fatiscit, pulsum referens durum, ac serratilem, nec non sputum reddēs vt plurimum croceum, aut æruginneum, aut sanguinolentum.

Pleuritis exquisita.

Aliqui diuersam loci positionem secuti, eam diuiduntin interiorem, & exteriorem, hoc est in eam, quæ fit in membra-

na coſtas ſuccingente, vel in muſculis intercoſtalibus internis, quam exquiſitam pleuritidem vocant. Et in illam, quæ fit in exterioribus thoracis muſculis, tum ſcilicet in illis qui μεσοπλεύριοι vocantur, tum in ijs, qui ab humeris ad partes thoracis exteriores protenduntur, hancq; notham appellant, quam multo leuiora concomitantur ſymptomata, quæue ad motis digitis tactu grauius ſolet perſentiri. Huic dolor mitior eſt, & minus pungens, & magis pulſans, & decubitum ſibi non admittens: neq; ad iugulum, neq; multum ad inferiora diſtendi ſolet: & quandoq; inflammatio ad ſupurationem perducta foras erumpit, vt teſtatur Galenus 5. de loc. aff. cap. 3. vbi Medicum animaduertere vellem aliquando vſu venire poſſe, vt tam amplè phlegmone, tum pleuram, tum interiores muſculos occupet, vt ad externos etiam muſculos diſtendatur, ibiq; & dolorem inferens, pleuritidem notham effingat; cum tamen per exquiſita ſit.

Vbi vt iſthęc duo pleuritidum genera Hippocrates diſtĩguat in 3. aphor. 23. priorem vocat πλευρῖτιδα pleuritidem, aut morbum lateralem: alterũ verò τὰς ὀδύνας καὶ ἐν πλευρῇσιν laterum dolorem: illa fit in membrana coſtas ſuccingente, quæ grauem habet, & pungitiuum dolorem: Hæc verò fit in muſculis intercoſtabilis, cui dolor leuis ineſt, neq; pungitiuus. De quibus loquens Galenus in com. 5. aphor. ſec. 6. inquit, ſi in lateribus magnus fuerit dolor, fieri nequit, quin membrana ſuccingens vocata patiatur: ſi verò mediocris fuerit dolor, & non pungat, vt qui in ipſa membrana exiſtit, neq; ad clauiculam, aut hypochondria pertingat, in carnoſis coſtarum partibus fieri poteſt. Huius generis, quam ſcilicet laterum dolorem vocat Hippocrates illam falſam pleuritidem eſſe credit Fuchſius 3. aph, 23. de qua ſcribit Aetius tet. 2. ſer. 4. c. 68. quæ ex plurimis cruditatibus, & cibis craſſi, pituitoſique ſucci procreatur, qui cum repentè, aut in vacua thoracis, aut in ipſos pulmones ſe ingeſſerint, ac multitudine ſua ſuccingentem latera intrinſecus pelliculam diſtendentes, inferunt dolorem, ita vt in expertis factæ pleuritidis imaginatio exhibeatur, ex quo interceptis ſpiritus vijs, vehemens anhelitus difficultas inducitur. In his n. non ratione do-

loris,

loris, sed spiritus viarum obstructitione, vt plurimum intercipi solet respiratio, ita vt laqueo videantur strangulari : vnde sæpius coguntur resupinati decumbere, nec ferè loqui possunt : vt plurimumq; non febrictant : immo nonnunquam eorum corpus plus solito frigidius apparet : etsi quandoq; febricitent, debilissima ijs febricula est, & absq; siti : pulsus illis difficulter mouetur, & præter solitum minimus fit, & tardissimus.

Affectus pleuritidi similes.

Nonnulli quoq; suboriuntur affectus, qui pleuritidis symptomata æmulantur, vt quando aliquibus hepate inflammato, secundum aliquot fibras costis inferioribus adhærente, pleuritidis imago præseferatur, & hac Siculus ille Medicus apud Galenum 5. de loc. aff. cap. 7. laborans, se notha pleuritide affici existimabat. Huius notæ sunt distinctiuæ: in hac dolor nō est pungitiuus, sed grauitatis tunc sensum magis prębet, dum longa fit inspiratio : quiue perpetuò sentitur in dextro latere circa hypochondrium dextrum, & sub costas mendosas dictas percipitur tumor atq; durities : item anxia inest respiratio, tussicula quædā sicca, & inanis : pulsus creber, vndosus, nec tensus: vrina perrubra, vel nigricans, vel citrina : alui excrementa, vt plurimum cruentosa, & corrupta : & tandem vultus pallor adest : nam in omni thoracis morbo, vt plurimum facies solet bene colorari.

Ex Hepate.

Ex Diaphagmate.

Non nunquam verò contingit, vt ipsum diaphragma à sanguine calido, bilioso, atque crudo inflammetur, vel tumorem contrahat, & subindè febrem continuam, & acutam afferat, cum dolore, & difficili, parua crebraue respiratione, atq; pulsu duro, & exiguo : ita vt pluribus Medicis, nisi in Arte fuerint haud mediocriter experti, nothæ pleuritidis facies repræsentetur. At his potissimū signis à pleuritide discriminatur, quòd in hoc præcordia tenduntur, nullâ obtuberantiâ in hypochondrijs apparente, 3. prog. 19. vbi etiam ex Hippocrate, & Galeno 1. epid. com. 3. t. 28. aliquando ad diaphragmatis regionem percipitur quædam palpitatio, vel saltus; & sæpius ob consensum septi transuersi cum cerebri membranis, delirium fit continuum : & cum valdè intenditur inflammatio, subsequi solet conuulsio, vt docet Gal. 4. de pul. de qua inflammatione caput pręcipuum cōscripsit

scripsit Diuersus insignis Medicus Fauētinus in lib. de morb. part. cap. 8.

Ità quibus illæ costales membranæ, quæ sub sternum copulatæ illud septum constituunt, quod vocatur mediastinum, quo pulmonis lobi distinguuntur, inflammationem patiuntur: tametsi verum lateralem dolorem facere aliqui existiment; cum tamen in his dolor non sit pungitiuus, sed grauis potius, & obscurus pro legitimo non habendus: sicuti ille, qui in inferioribus costis oritur inflammatis, à quibus per contactum diaphragma, & ventriculus quoque compatiendo magis grauatiuum, & tensiuum quàm acutum, & punctorium inferunt dolorem. Huius mediasttini affectionis signa ab Auctoribus talia proponuntur: febris inest continua, atq; ardens; respiratio frequens, & celer, & cum in thorace summus latitet feruor, calidissimum spiritum effundunt ægri; vnde aeris refrigerium inspirare percupiunt: magna item inquietudine, & anxietate, atque siti vexantur: dolor adest paruus, & obscurus: tussis in principio sicca, mox humida, & rubra quædam, vel cruentosa, vel flaua per sputum excernuntur: pulsus verè pleuriticorum pulsibus haud absimilis, nisi quòd non tanta durities, & inæqualitas in his percipitur.

Ex Mediastino.

Mediastini affecti signa.

Tanta est enim diaphragmatis, & mediastini cum costalis membranę inflammationis symptomatib⁹ similitudo, vt quidam Medici existimarint peræquè exquisitam pleuritidem fieri in mediastino, atq; septo transuerso, ac in ipsamet membrana costas succingente: inter quos vnus potior est Io: Mattheus Gradius cap. 53. suæ pract. med. Tametsi nulla alia sit vera, & legitima pleuritis, quàm illa, quæ in ipsa oritur succingente membrana, nisi fortasse, quæcunque particula ad costas pertingit, sicuti mediastinum, & diaphragma, eam velint pleuritidis veræ esse subiectum: at hoc admitti non potest quia sic musculi quoque intercostales externi hoc idē præsumerent.

Et tandem illi, qui pleuriticam membranam in duas partes

Diff. ex Decubitu.

diuidunt, in qua parte ipsius sit inflammatio, ex decubitu deprehendunt. Quoniam si æger facilius in latus affectum decumbat, arguunt inflammationem esse in ea parte membranæ, quæ tangit pulmonem: si autem æger in ipsum latus patiens dolorosè decumbat; in sanum autem facilè, conijciunt phlegmonem esse in periostio, hoc est in ea membranæ parte, quæ immediatè costas inuoluit.

Diff. ex causa g nerãte.

Differentiæ autem à causa desumptæ, sunt: qnod cum omnis pleuritis fiat à sanguine calido, & vitioso, alia est, quæ ex puro sanguine, siue quantitate, siue qualitate, hoc est, vel nimia caliditate, & acutie, vel crassitie, & lentore peccante generatur: alia, quæ à sanguine bilioso, alia à pituitoso, & alia, quæ fit à melancholico.

Pleuritis humida.
Pleu. sicca.
Hæc quomodo fiat.

Ita quędam est, quę ex primo acut. tex. 21. humida est, & frequenti excreatione, vel sputo concomitata: alia est sicca, in qua nihil aut quid exiguum per sputum excernitur: quod vel ob insignem vasorum plenitudinem, qua ipsis vasis secundum extremitatem obturatis, nihil effunditur: vel ob nimiam cruditatem, propter quam nulla fit excretio: aut propter adustionem, & sanguinis crassitiem, vel lentorem; aut tandem ob pulmonum, & partium thoracis imbecillitatem, vel impotentiam.

Pleuritis ex flatibus.

Et quandoq; contingit, vt à spiritibus flatuosis inter musculos intercostales, & membranam ipsam succingentem interclusis succrescat dolor pungitiuus, qui ex his cognoscitur, quòd nulla adest febris, nec tussis, sed aliqua tantum spirandi difficultas, vel impotentia, atq; dolor vagus, & inconstans, ac per interualla recurrens: quod morbi genus non pleuritidem, sed lateris dolorem appellandum esse monet Horatianus lib. 2. cap. 4.

Tandem accidit, vt ob prauam humorum qualitatem sputus non nisi ægrè, & malè coloratus excernatur, cum spiritu fætido ex ore respirato: & cum effatu digna virium deiectione: in qua pulsus est languidus, respiratio difficilis, crebra, anxiosa, singultuosa, & alijs praui moris accidentibus concomitata.

Quæ omnia ferè tùm exquisitarum, tùm fictarum pleuritidũ

genera

genera iisdem temporibus in multis Italiæ locis vulgariter vagasse visum est: at in pluribus ægrotis illegitimas pleuritides atque ex pulmonum, & aliarum finitimarum partium inflammatione prouenientes sæpius obseruauimus. Quod quidem mihi perfacilem prebuisse fateor suspicandi occasionem huiusmodi affectionem, animaduersâ illius Ideâ, eiusce notæ pleuritidis esse spetiem, de qua pluribus locis loquitur Hippocrates, & præsertim lib. de loc. in hom. 4. acut. tex. 72. 1. de morb. 5. epid. & alibi, quæ cum communia habeat syptomata cum pneumonia, & cum pleuritide spuriis, iure eam vocare debemus, vt supra, vel pleuritidē pneumonicam, vel pneumoniam pleuriticam, vel rectius vnico verbo Pleuripneumoniam.

Quis sit locus affectus in Pneumonia.

CAP. V.

AT quoniam non adhuc satis cuique patere video quis verè sit euiusmodi peripneumonicæ affectionis locus affectus non nihil mihi pro huius inuestigatione disserendum videtur: quandoquidem, etsi apud omnes ferè nostri seculi Medicos, duce ipso Gal. exploratum sit, & compertum huius morbi proprium locum patientem esse pulmonem: attamen ratio, sensus, & auctoritas oppositum dictant: nam si pulmo secundum eius parenchimatosam substantiam spectetur, omnis sensationis est expers: quare cum in his peripneumoniis dolor in lateribus persentiatur, non videtur pulmo eiusmodi affectionis esse subiectum: cui etiam vetustissimi quidam Viri, & ex recentioribus nonnulli videntur consentire: nam in pulmonía Demetrius Herophilus post Hippocratem asserebat pulmonem totum esse locum affectum, cui & Zecchius, vt paulò supra dicebamus, videtur assentire.

An Pulmo sit locus affectus in Peripneumonia.

Verùm enim pro hac difficultate explicanda, notandum est hac affectione pulmonem affici, vel secundum totum, vel secundum partem: totus enim intelligi debet, tùm suo parenchimate,

Pulmo dupliciter afficitur.

tùm omnib⁹ suis vasis integratus: pars verò spectatur aut ratione latitudinis, aut ratione profunditatis: ratione latitudinis, cũ totus pulmo in duas potissimũ partes dissecetur, & perinde ac bisulci animalis pes bifindatur, pars vna est dextra, altera sinistra, quę pulmonis alę, vel lobi, uel fibræ nuncupãtur, hinc mẽbrana illa succingens costas ex vtroq; latere emergens, ac in mediũ sterni copulata, atq; in pulmonis mediũ se insinuans, hunc bifidũ reddit, ac indè διαφράττοντα mediastinum vocitant: cui etiam assignatur pars cùm anterior, tùm posterior, sicuti superior, & inferior: ac totum eius ambitum tenuissimâ quadam membranâ obducitur, q̃ paruuli attingunt nerui è sexta coniungatione exorti. Ratione profunditatis maior pars parenchymatosa est rara, atq. spongiosa, in cuius centro inseritur aspera arteria, quę in duos bronchios bipartitur, ac illis obuiæ fiunt & vena arteriosa, quæ à dextro cordis sinu deriuata, in posticam pulmonis partem disseminatur, & arteria venosa è sinistro cordis ventriculo, in anticam pulmonis partem diuaricata. Cum igitur ex his partibus tota pulmonis machina construatur, non est mirum, si in peripneumonia pars pulmonis affecta modò sit hæc, modò illa. Quæ partium varietas Antiquis fortasse prębuit occasionem, vt de sede affecta in huiusmodi morbo ipsi interse maximè digladiarẽtur: nam, vt scribit Cęlius Aurelianus, Diocles solas pulmonis venas affici asserebat: Erasistratus arterias: Apollonius Herophilus venas, & arterias simul: Praxagoras eas partes, quę spinę adhęrent. Asclepiades verò pulmonis bronchios: Demetrius Herophilus, vt paulo supra dicebamus, totum pulmonem: Soranus tandem, cui magis fidet Aurelianus, in hac passione totum corpus, sed vehementius pulmonem pati defendebat.

Mediastini ortus, & finis.

Asperæ arteriæ distributio.

Venæ arteriosæ, & arteriæ venosę diuaricatio.

Quid sit per cõsensum, et per se pati.

Pulmo igitur, sicuti quælibet dictarum partium afficitur, vel per se, vel per consensum, per se quidem illa pars afficitur, cui morbus, & morbi causa insidet: per consensum autem, quæ vitij expers à parte sibi consentiente compatitur: vnde peripneumonia rarò primarius est affectus, sed ferè alijs morbis fit succedanea: namq; pulmo, vt pars spongiosa, ac multiplici vasorum anfractu sinuosa, & vt proprium calorifici, spirituosiq; fontis con-

cepta-

receptaculum, sanguinem pituitosum, aut alium quęmuis humorem ipse per venas, & arterias, vel à corde transmisso, vel à capite destillato, vel à thorace per pleuram, & mediastinum, vel per alias ignotas particulas transmeato, aut secundum totum, aut secundum partem infarcitur; vnde fit, vt præpedito eius caloris transpiratu, in ea parte succrescat inflammatio, quam vitiosus humor obsederit. Et hoc modo, vel totus pulmo, vel pars illius fit peripneumoniæ subiectum, tametsi non nulli sint, teste Gorræo, qui ratione nominis adducti negent peripneumoniam pulmonis esse morbum, sed potius adiacentium, & vicinarum pulmoni partium.

Pulmo quomodo inflãmetur.

Haud rarò euenit etiam, vt, vel consensu, & contactu, vel humoris transmissione pulmo à thorace in quauis parte inflammato coafficiatur, vt dixi, & ità ex pleuritide subsequatur peripneumonia, vt Hipp. docet 7. aph. 11. & lib. de affect. Gal. 4. de vs. puls. cap. 8 Aretæus de cur. acut. c. 10 & Celsus lib. 2. cap. 7. facilius est enim, & frequentius pleuritidi pneumoniam superuenire, quàm è contra, quia, vt Gal. docet in com. eiusdem, si pulmonis inflammatio sit leuis, humore, qui morbum facit, per sputum expurgato, facilè citra vllam membranæ costalis inflammationem soluitur affectio: si autem exitalis sit, priusquam pleura coafficiatur, iàm inflammationis vehementiâ suffocato calore, interimitur æger. Et propterea cum eiusmodi morborum exitialiũ superuentio semper, ibidem teste Gal. prauos, & malignos morbos subsequi consuescat, tantò pernitiosius est, quantò frequẽtius pneumoniam pleuritidi superuenire, quàm pleuritidem pneumoniæ, docet Gal. 6. in 6. Epidem. text. 8. cuius ratio est duplex, tùm quia scilicet fit, teste Philotheo, de ignobili mẽbro ad nobile materiæ translatio: tùm quia priori morbo, viribus iam confractis, adhuc grauior adijcitur.

Vbi duo remanent soluenda problemata. Primum est: cur, dum toto pulmone inflammato, vnum latus tantum dolore afficitur, alterum sepè non condoleat? An quia in illa parte, in qua dolor inest, pulmo membranæ costas succingenti adhæret, ac impigitur? Nam vbi pulmonis lobus à pleura seiungi potest ob

peren-

perennem pulmonis motum, ibi nequit calidi naturalis inhiberi transpitatio, neq; succrescere inflammatio: in qua parte autem pulmo affigitur pleuræ, in ea maximè succenditur calor, & soluitur continuum, vnde doloris fit sensus.

Problema alterum.

Alterum verò est: Cur pulmonum inflammatio, quæ ex Gal. sententia de caus. pulf. cap. 12. fit à sanguine pituitoso, in suppurationem non desinit; sicuti sæpè contingere solet in pleuritide, quæ, eodem contestante, fit ex humore bilioso: cum certum sit inflammationes ex pituita, & sanguine vt plurimum suppurari; quę autem ex bile producuntur, non suppurari, sed erysipelatosas fieri? An quod substantia pulmonis rara est, atque mollis, & humor in peripneumonia ichorosus est, & tenuis, è cōtra in pleuritide tùm membrana succingens costas, tùm musculi intercostales solidæ, ac densę sunt substantiæ: & humor est sanguis, qui licet biliosus sit, tamen ratione alicuius pituitosæ portionis, ac tenuitatis venarum, redditur influxilis? Nam ad excitandam inflammationem phlegmonosam, aut œdematosam, non satis est calidi naturalis transpirationem impediri (ex hoc enim phlogosis generatur) sed requiritur etiam materia sanguinea, vel pituitosa, quæ cum in aliquam partem influxerit, vbi sua crassitie cum minus liberè possit perfluere, ac perspirare, necessum est suppurari: dum autem humor est tenuis, ac substantia, in qua residet, densitatem non habeat, facilè est vt perfluat, ac perspiret; & ità potest quidem, ob aliquam caloris inhibitam transpirationem quoquomodo inflammari; sed nullo phlegmone, & nulla suppuratione tentari: & hac ratione pulmonis parenchymata, cum numerosis leuibus arterijs sint prædita, ac tota spongiosa, & permeabilia, non mirum est, si nullam admittant suppurabilem inflammationem.

Humor quo repletur pulmo.

Humor autem, quo scatet pulmo, cum ex potu præsertim excipiatur in arterias, & in cauitates thoracis partim excolletur, non nisi ichorosus, ac tenuis esse potest, vt Gal. testatur in 2 progn. com 50. & si quandam ex calore nācifcatur crassitiem, in latiores arterias, & in bronchia reijcitur, atq; per tussim, & sputum educitur: tametsi procerto habendum

fit ipſam ſeroſam humiditatem ſua mole, vel quadam etiam viſciditate pulmonis vaſa, ac poroſitates replente, calidi perſpiratum prohibire, ac inflammationem ſuccendere.

Quæ ſit in Pleuritide pars affecta.

Cap. VI.

VT de Pleuritidis quoq; affecta parte verba faciam, nunc mihi agitanda, & diſcutienda ſuccurrit illa non minus ardua, quàm lepida dubitatio, quam noſtræ ætatis celeberrimi Viri ſagaciter excitarunt, & ſapienter expenderunt. Talis eſt enim, nam non ſolum pluribus locis Gal. ſed & Auic. Auer. Trallian. Aretæus, & plerique ex Antiquis, & Neoterici omnes in hoc ſentiunt, quod Pleuritis ſit eius membranæ, quæ ſuccingit coſtas, inflammatio.

De pleuritidis ſ. de celeberrima q̃ſtio.

Hippocrates autem, quem ſecutus eſt Herophilus, dicebat pleuritidem eſſe pulmonum vnius tantum lateris, peripneumoniam verò vtriuſque eorundem inflammationem: quod videtur Celſus confirmare lib. 4. cap. 6. & ſeptimo dicens pleuritidem eſſe vnius lateris, peripneumoniam verò totius pulmonis affectionem. Ex quo patet Galeniſtas cùm veteres, tùm recentes non modo cum vetuſtioribus Hippocraticis diſſentire; ſed nec iſtos ſibi ipſis multum conſtare: quandoquidem huiuſmodi diſcrepantia verſatur circa locum affectum ipſius pleuriticæ affectionis. Illi ſiquidem ſtatuunt membranam ipſam coſtalem eſſe pleuritidis ſedem affectam: Hi verò pulmones. Hoc enim licet apud aliquos nouiter in dubium reuocari videatur; antiquitus tamen iam perquiſitum fuiſſe ſcribit Aurelianus lib. ſecundo acut. cap. 16. vbi, inquit, in pleuritide pulmonem affici quoſdam Antiquos arbitrari, inter quos vnum extitiſſe Herophilum tradit. Quoſdam verò non pulmonem, ſed membranam interiora latera ſuccingentem, quã hypezocota vocant: quorum numero recenſet Dioclem, Eraſiſtratum, & Aſclepiadẽ;

De loc. in homine.

Galeniſtarũ, et Hippocraticorum diſſenſio.

De loco affecto in pleuritide antiqua eſt quæſtio.

fir-

Plateri, & Zecchij sententia.

quorum singuli validissimis rationibus suam sententiam confirmant: quarũ sectarum priorem sectari videntur Fęlix Plat. lib. 2. de Corp. hum. struct. pag. 168. & Io. Zecchius in suis consult. med. cap. 26. in append. qui anatomicæ potius obseruationi, quàm communiori Galenistarum auctoritati cõfisi, Hippocraticam, seù potius Herophilicam doctrinam amplexari, asserunt morbum lateralem esse nedum membranæ costalis, sed etiam pulmonum vnius tantum lateris affectionem.

Claudini decisio, in Respons. 15.

At Iulius Cæsar Claudinus præclarissimus Medicus Bononien. hac sibi a Baptista Orio excellentissimo Viro Ariminẽsi proposita dubitatione vt huic satisfaciat, & simul Galenũ cõmuni pceptori Hipp. conciliet, talem cõmentus est solutionem: qua intendens probare locum affectum in pleuritide esse vnum latus, non autem pulmones, inquit ex modo, quo Hippoc. vult generari pleuritidem, ac peripneumoniam, facilè dignosci posse locum patientem, inquiens, si materia biliosa à capite per guttur, & asperam arteriam defluxerit in pulmonem, is cum rarus sit, atque siccus, quicquid humoris potest, in se attrahit, & excipit, & sic maior redditur: quod si quidem in totum fluxerit, fibræ maiores redditæ, vtrunque latus attingunt, pulmonisque inflammationem faciunt: cũ verò alterum tantum (suple latus attigerit) lateralis fit morbus pleuritis vocatus. Ex hoc loquendi modo, inquit Claudinus, colligi causam, ob quam vtrunq; latus in peripneumonia, vnum in pleuritide doleat: vnde nunq̃ dixisse ait Hipp. pulmonem esse locum affectum pleuritidis, sicuti peripneumoniæ, cum de hac ipse loquens, expresè dicat peripneumoniam, non autem pleuritidem esse pulmonis affectum, cum pleuritis fiat, quando pulmonis fibræ alterum tantum latus attingunt: quasi quod pleuritis non fiat, nisi affecto vno thoracis latere, quo autem dato, inquit in pleuritide locum affectum esse latus, non autem pulmonem: nec obstat, ait, quod aliqui dicant idem dici posse de peripneumonia, quia cum in hac vtrumque latus attingatur, & afficiatur, in eadem latera

erunt

erunt locus affectus: respondet in ea quidem latera quoque affici, sed per participationem, merito cuius, inquit, peripneumoniæ aliquando pleuritidem copulari, aut saltem subsequi: causam autem ipsius participationis ait esse viciniam, & contactum ipsorum pulmonum repletione inflammatorum cum ipsis lateribus, quæ cum à pulmonibus tangantur in peripneumonia, in causa sunt, vt ratione localis doloris Hipp. distingueret pleuritidem à peripneumonia: & hac ratione coactus est in hac meminisse laterum. Sed ne quis ob id credat peripneumoniam quoq; esse morbum lateralem, statim Hipp. subdit eam esse pulmonum affectum, quod cum non expresserit de pleuritide verba faciens, non est quòd colligatur in hac pulmones esse locum affectum. At si iterum instando dicatur, si pulmo non afficitur in pleuritide, cur Hipp. meminit pulmonum? Respondet Claudinus, quia in pleuritide pulmo, licet non sit locus affectus, est tamen veluti spatium, per quod transit humor respectu lateris.

Claudini sẽtentię reprobatio.

His, & si Claudinus videatur primo intuitu huic dubitationi satisfacere, si tamen firmiori intellectus acie res perpendatur, nõ vsq; quaq; animum pacare videtur, quandoquidem cum vera non sint, quæ ipse supponit, ex ijs veritas non deducetur. Nam inquit Hippocratem nunquam dixisse pleuritidem esse pulmonis affectum, sicuti peripneumoniam, quod non est verum, quoniam Hipp. nullam aliam facit differentiam, tùm secundum locum affectum, tùm secundum ipsam affectionem inter pleuritidem, & peripneumoniam, nisi in hoc, quod illa vnum tantum latus, in hac verò ambo latera afficiuntur: quare tam in pleuritide, quàm in peripneumonia inquit tùm latus, tùm pulmonẽ esse locum affectum: quod quidem ex eo patet, quod ait, vbi vnum latus tantum doluerit, fit pleuritis, cum autem ambo latera doluerint, fit peripneumonia: sicuti ex modo quo fiunt, exprimit pulmonem tanquam vtriq; affectui producẽdo communem; inquiens dum materia biliosa in totum fluxerit pulmonem, hic ambabus extremitatibus dilatatis, vtrunque latus attingit, & peripneumoniam facit: si autem vnum tantum, hoc est, latus occupauerit, distenderit, ac attigerit, fit pleuritis: quare tam in peripneumo-

nia, quàm in pleuritide, & pulmo, & latus erit locus affectus; pulmo quidem, vt affectus, & afficiens in peripneumonia; latus verò vt tantum locus affectus, tam in peripneumonia, quàm in pleuritide, quoniam in vtraque latus attingitur, & afficitur: nec quidquam refert dicere latus in pleuritide affici primariò, & per se, in peripneumonia autem per participationem, quia cum in vtraq; pulmonis inflammatio per contactum lateri, vel lateribus communicetur, eiusdem vtriq; participatur affectio. Ad eam autem instantiam, qua dicebatur peripneumoniam quoque esse morbum lateralem, eò quòd in ea vtrumq; latus afficiatur, non valet illa responsio, quòd nimirum dixit Hipp. peripneumoniam esse pulmonum affectum; quodquidem non expresserat de pleuritide: quoniam, etsi peripneumoniæ nomen sonet pulmonis inflammationem; non est tamen verum, quod Hipp. dicat illam esse tantum pulmonis inflammationem; sed etiam ait eam esse vtrorumq; laterum dolorẽ, dum ait, vbi vtraq; latera doluerint, hæc quidem peripneumonia est: vnde apud Hippocratem peripneumonia causaliter est pulmonis inflammatio, formaliter autẽ seu obiectiuè est laterum dolor: quapropter, etsi non explicitè dixerit pleuritidem esse pulmonum affectum, scilicet causatiuè; hoc tamen implicitè voluit innuere per illa verba, cum dicat, si verò alterum tantum, hoc est, latus attingat pulmo, lateralis fit morbus: vnde ad hoc, vt pulmo secundum alteram partem vnũ latus attingendo afficiat, necessum est, vt in ea parte, qua latus attingit, sit inflammatus, quod magis liquet per illa verba, quæ inferius habet, dum inquit, lateralis morbus siccus citra fluxionem oritur, cum ex vehementi siti pulmo admodum resiccatus fuerit: pulmo enim, cum siccus existat, vbi amplius quàm pro natura resiccatus fuerit, gracilis euadit, & impotens redditus, ad latus præ impotentia inclinatur, ipsumq; contingit, eoq; contacto, cum humidum existat, ei adhæresċit, & morbum lateralem facit. Ex quibus patet pulmonem in pleuritide per contactum afficere vnum latus, sicuti in peripneomonia vtraq; latera. Igitur pulmo in pleuritide quoque est locus affectus causatiuè, & sic pleuritis causaliter est pulmonis affectio.

Præ-

Præterea non eſt verum, quod Hipp. in pleuritide meminerit pulmonis tanquam ſit ſpatium, per qnod ſcilicet tranſit humor ad latera, ſed tanquam cauſa perſe, & immediata, à qua afficitur latus in pleuritide, ac vtraq; latera in peripneumonia: nàm bilioſus humor, qui ex Hippocratis ſententia à capite fluit in pulmonem, licet perſe, ac immediatè poſſit pulmonem replendo, eum inflammare: non eadem tamen ratione poteſt afficere latus, vel latera: verùm id, quod per ſe immediatèq; afficit latus, eſt pulmo, non humor: nam eadem ratione, qua pulmo afficitur ab humore, eadem afficitur latus à pulmone. Quare pulmo reſpectu lateris in pleuritide, non erit ſpatium, ſed cauſa per ſe, & immediata ipſius affectionis lateris.

Alia Claudini ratio.

Quibus rationib⁹ ipſe Claudinus fortaſſe non aquieſcens, aliam ſubdit, inquiens, Hippocratem in pleuritide pulmonis mentionem feciſſe, eò quòd pleuritis & peripneumonia inuicem tranſmutentur, & coniungantur, nam vbi materia fluens à capite totum pulmonem repleuerit: peripneumoniam cum pleuritide iunctam gignit: vbi autem non replet totũ pulmonem, ſed vnam tantum partem, pleuritidem parit: cuius ratio eſt, quia cũ pulmo ab humoris copia totus infarciatur, non poteſt aptè contrahi, & dilatari; vnde facultate eius laceſſita, ac debilitata, ipſe humor non regitur, & ita putreſcens, in eo inflammationem excitat: cum autem à materia minimè copioſa pulmo totus non repleatur, ſed ſecundũ vnam partem, eius facultas expultrix valida permanens, eam in latus detrudit, & ità pleuritidem committit. Vbi inquit Hippocratem per latus intelligere nedum pleuram, ſed muſculos etiam intercoſtales, & proinde de pleuritide ſpuria ibidem loqui.

Redargutio.

In his quoq; Claudinus non videtur punctum attigiſſe; quoniam licet pleuritis, & peripneumonia poſſint ad inuicem tranſmutari, ſimulq; fieri, non ob id tamen tollitur, quin in pleuritide locus affectus cauſaliter poſſit eſſe pulmo, licet formaliter, vt dixi, ſit latus. Præterea cauſa, qua inflammatur

matur pulmo, non est ipsius facultatis languor, & putredo, quia cum duplex insit pulmoni facultas, vna scilicet motrix, altera vegetalis: illius impotentia non subsequitur, sed concomitatur pulmonis repletionem; huius autem calidi naturalis inhibitam transpirationem, propterquam, non autem propter putredinē fit pulmonis inflammatio: hęc enim, vt plurimum fit citra putredinē.

Cæterum absurdum est dicere pulmonem secundum vnam partem humore repletum suo robore ipsum humorem ad latus potius propellere, quàm in bronchia, & per tussim, & sputum cū deijcere, vt Gal. expressè docet in 2. prognost. t. 50. dum inquit pulmonem inflammatione laborātem excernere humorē ad intimas sui sedes inanes, hoc est in bronchia, & asperam arteriā: ac inde per tussim foras excutere: ꝙquidem eò absurdius est, quòd pulmo pleuritidem parit, nō eò quòd humorē à se propellens, in latus deijciat: (quia, vt dicebat Gal. in 7. aphor. com. 11. ad inflāmationem pulmonis, morbus lateralis non admodum conseq. solet, quoniam si mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per sputum expurgatur; in pernitiosis verò, antequā costę patiātur, suffocat ęgrū) sed quatenus turgidior factus, ac inflammatus ipsi lateri adhærens, illi inflammationem cōmunicat, vt ipsemet Claudinus ex Hippocrate text. 27. cōfirmat, dū modum explicat, quo ex pulmone inflammato per participationem fit pleuritis.

Hippocrati ignota erat pleura.

Neq; arbitrandū est Hipp. ibi per latus intelligere, nedū pleurā, sed & musculos intercostales, & proindè de pleuritide spuria sermonē habere: quoniā nec Hippocrati, nec alijs sui temporis Medicis innotuerat membrana succingens costas, neq; distinctè musculi intercostales, itàut ratione harū partiū ipsi distinguerent pleuritidē spuriam à legitima: namq; non alia apparet apud Hipp. pleuritidum differentia, quam duarū, hoc est illius, quę ad clauiculā, & ad humerū, & illius, quę ad partes infra septum transuersum positas: præter illam differentiam pleuritidis siccæ, quam describit lib. de loc. in h. text. 37. & humidę, de qua pluribus locis ipse loquitur; & hæ reducuntur ad primam differentiam.

Tertia Claudini ratio.

Tandem Claudinus respōdens ad illum locum text. 37. de loc. in quo, vt dixi, Hippocrates illam pleuritidem siccam circumscri-

bit,

bit, inquit esse pulmonum exsiccationem, & costis adhæsionem, ex quo infertur pleuritidem necessariò esse pulmonũ affectum: at ipse Claudinus ait ex eo solum colligi pulmones coaffici ad affectum lateris, seù pleuræ, & muscolorum intercostaliũ; non autem primariâ ratione, quia quod ita afficitur, inquit esse, vel pleuram, vel aliquã partẽ intercostalẽ: & sic arguit pulmones in pleuritide sicca per participationem affici: quod qua ratione accidat, hisce declarat. Primo ait pulmones excicari, vt indicat sitis aliquando inexplebilis, teste ibid. Hippocrate, quia inflammationis materiâ in partibus thoracis retentâ, calor præter naturalis, & putridus magis ac magis augetur; & adauctus pulmonem alioquin sua natura siccum, adeò demum exsiccat, vt tandem præimpotentia reclinet, & paritèr fiat pulmonum costis adhæsio: vel quia ex retentione humidi, ob carentiam sputi, pleura, & pulmones simul veluti inuiscantur: deinde calore extraneo partium illarum agẽte, absumuntur partes tenuiores excrementorum, quæ magis incrassata, & ad lentorem producta, sunt in causa, vt partium prædictarum adhæsus fiat: vel quia sæpius ob putredinem in ijsdem partibus fit abrasio, quæ ob cicatricem communem inductam sanata, huiusmodi adhæsionis, cuius meminit Hipp. text. 37. de pleuritide siccaloquens, causa euadit. Et talis est Claudini circa id philosophia, qua quàm longè ab Hippocratica intentione, & ab ipsamet veritate peregrinetur, cuique vel mediocritèr intelligenti diiudicandum relinquo: sed non id mirandum, quia, vt ipse rem ad eius sensum contorqueret, hisce coactis vti debuerat neruis. Primum enim non tantum repugnat Hippocrati, qui scribit pleuritidem siccam fieri per participationẽ à pulmone nimis resiccato, ipse verò è contra, pulmonẽ affici inquit à latere affecto per participationẽ: verùm etiam sibimet contradicit, dum supra asserebat latus in pleuritide per participationẽ affici à pulmone inflammato, hic autem oppositũ dicit. Si enim ex Hippocratis sentẽtia huiusmodi pleuritis fit ex pulmone plurimum resiccato, & lateri adhærẽte, cur Claudinus inquit latus, hoc est pleurã, aut musculos intercostales in tali pleuritide affici primaria ratione, & nõ per participationẽ? Pulmones autẽ, qui reuera primariò laborant,

Pleuritidis siccæ signa, & causa.

Claudinus impugnatur

rant, vt clarè ibid. patet, quomodo per participationē afficiunt? Preterea sitis ferè inexplebilis nedum est signū exsiccationis pulmonū, sed est causa, vt ibi scribit Hipp. Deīde si talis pleuritis sit citra humoris fluxionē, vt ipse Author inquit, qua ratione ait materiam in partibus thoracis retineri? Cęterum nescio quomodo fieri possit, vt pulmo admodum resiccatus, & gracilis factus prę impotentia super latera concidat, & illis adhęreat, cum ratio potius contrarium dictet, vt nimirum, cum plurimum sint resiccati, non modo non laxarentur, & flaccescerent, vt illemet Autor inquit, sed potius more exsiccatorum in seipsos contraherentur, & magis consisterent: neque possum mente comprehendere quomodo pulmonem natura siccum, & nimia potus abstinentia resiccatum, nullaq; fluxione humoris existente, dicat, dum latus contingit, humidum esse, & illi adhærescere, & ità morbum facere lateralem: nàm, vt supra dicebamus, Hipp. scribit primo de morb n. 26. In pulmonis inflammatione, cum ipse pulmo supra modum exciccatus est, quicquid in eo humiditatis inest, neque putrescere, neque per sputum reijci, sed nimia caliditate, & siccitate exuri: quare vt humectetur, & expuatur, illi conferre ait potionum exhaustus: quod si non humectetur, nec expuat, ipsum pulmonem duriorem euadere, & arescere, hominemq; perimi inquit.

Anatomica obseruatio.

Tandem cum ego non semel in praxi anatomica obseruauerim in quibusdam, qui nullam passi sunt pleuritidem, aut pneumoniam, & qui non sicca pleuritide, sed perhumida, cum copioso sputo laborarunt, pulmones secundum aliquam partem cū ipsa pleura conglutinatos fuisse, suspecti sanè mihi redduntur illi duo modi, quos Claudinus excogitauit, quibus huiusmodi fit agglutinatio: propter quod huius sum sententiæ, quòd talis impactio aliquibus fiat à natura; Tametsi non negem eam quoq; posse morbosa quadam occasione iuxtà secundum modum accidere.

Ex quibus concludit Claudinus nullam esse inter Hippocratem, & Galenum discrepantiam: quodquidem tantum à

veri-

veritate distare puto, quantum lux meridiana ab obscurissimis tenebris: sed non miror, quia forsitan haud eum animaduertisse comperio Galenum in hoc Antiquorum sententiam non sectari, sed sui temporis Medicos, nempè Dioclem, Eraristratum, & Asclepiadem, quorum communis opinio erat, vt supra dicebamus, quòd pleuritis esset lateris dolor, & affectio, peripneumonia autem pulmonis: Hipp. verò cum cæteris sui seculi Viris arbitrabatur pleuritidem esse vnius lateris affectionem; peripneumoniam verò esse quidem causaliter pulmonum inflammationem; at effectiuè, vel formaliter esse amborum laterum passionem, quam vult vt plurimum habere dolorem in lateribus, aut in aliqua thoracis parte. Nonne, dicas quæsò, ab Hippocrate dissensit Galenus, si nedum præcitatis locis, sed in multis alijs manifesta inter eos apparet contradictio? In 3. n. de rat. vict. acut text. 58. scribit Gal. quòd pleuritis dolorem in latere habet; peripneumonia non habet. Hipp. verò passim edocuit, vtriq; affectui dolorem inesse, vt videre est in lib. 4. eiusdem Text. 72. Vbi in peripneumonijs, inquit, & pleuritide ità considerare oportet, si febris acuta fuerit, si dolores lateris, vel alterum, vel vtrumque infestent. Vbi conspicuum est in peripneumonia quoque latera dolore affici. Quod quidem in pluribus locis apparet: nam lib. de loc. in homine text. 25. ait, quòd peripneumonia multo periculosior est, & dolores ad laterum mollitudinem, & clauiculas multò vehementiores habet. Et lib. primo de morb. text. 24. inquit peripneumoniam fieri, cum comotam, & humectatam pituitam, & bilem propter calorem ex vicinis locis pulmo ad se traxerit, super ea quę in ipso existunt. Tùm quidem corpus percalefacit, doloremq; pręcipuè dorso, lateribus, humeris, ac spinæ exhibet, cum nimium ab his plurimam ad se traxerit humiditatem, hęq; partes supramodum resiccantur, nimiumq; incalescunt. Tùm paulo infra idem confirmat. In 3. autem lib. text. 16. hæc habet. In pulmonis inflammatione hæc fiunt, febris acuta detinet, respiratio crebra est, & calida, anxietudo, impotentia,

Galeni, et sue ætatis Medicorũ sententia de loco Pleuritidis, & pneumoniæ.

Hippocratis de eadem re sententia.

Galenus in quo dissideat ab Hippocrate.

tia, corporis iactatio, dolor sub scapulis ad iugulum, & ad mammam, & in pectore grauitas, interdum etiam delirium. Nonnullis verò, donec tussire cæperint, sine dolore est, sed illa diuturnior est, & grauior. Idem habet in lib. de diebus iudic. text. 8. & in lib. de affect. n. 8. In peripneumonia inquit, si dolor adsit, aut dorsi, aut laterum, dandum esse ait medicamentum, quod in pleuritide ad lateris dolorē in medicamentario libro scriptum est. Ex quibus apparet tàm in peripneumonia, quàm in pleuritide eundem dolorem ad latera, & similia ferè symptomata superuenire, vt clarius constat in pluribus locis, & præsertim in 5. epid. & in coac. t. 390. & in alijs tribus subsequentibus.

Pulchra Dubitatio.

Verùm antequam vlterius progrediar, exsoluenda mihi se se offert dubitatio, quæ ex verbis Hippocratis exhauritur in coac. 400. Ibi enim habentur talia. In pulmonis inflammationibus, si lingua tota alba fiat aspera, ambæ pulmonis partes inflammatione vexantur, quibus verò dimidiata lingua, qua parte id apparet, inflammatio affligit. At quibus quidem ad vnam clauiculam dolor subit, ijs vna superior pulmonis ala laborat: quibus verò ad ambas clauiculas dolor extēditur, ambæ superiores pulmonis alæ laborant: quibus vna tota pars laborat, quæ ei parti respondent, omnia ægrotant. Siquidem igitur suspensæ vtrinque pulmonis partes aortæ dictæ, tanta inflammatione tenentur, vt ad latus adhæreant, illa corporis parte resolutionem sentiunt, & ad costam liuores foris fiunt, quos veteres ictos, aut sydere percussos vocabant. Quod si tanta non est inflammatio, vt adhæreant, dolor quidem totum occupat, neque tamen resolutionem sentiunt, neque liuores habent: Ex quibus patet in peripneumonia non vtraque latera condolere, sed vnum latus tantū, sicuti in pleuritide. Quodquidem manifestè contradicit ijs, quæ scribit in lib. de loc. in homine: vbi inquit: cum in thoracem bilis fluxio decubuerit, dolor lateris mollitudinem præhendit, & clauiculam, quæ ei è regione respondet, febris adest, linguaq; superiori parte ex viridi pallescit, & concreta

excreantur. Vbi vtraque latera doluerint, reliquaque similiter, vt in priore se habuerint, hęc quidem pulmonis inflammatio est, illa verò pleuritis: & subinde causam horum describens ait: Si in totum pulmonem fluxerit, fibræ maiores redditæ vtrunque latus attingunt, pulmonisq; inflammationem faciunt; cum verò alterum tantum, lateralis fit morbus, pleuritis dictus. Huic dubitationi sic respondendum puto: quòd nimirũ Hipp. in eo coacium loco intelligit non quidem de peripneumonia primariò, & per se facta, sed de illa, quæ per consensum fit ex latere inflammato, hoc est de illa, quæ pleuritidem sequitur; nàm frequentius antecedẽte pleuritica peripneumoniam subsequi docet Aurelianus lib. 2. acut. cap. 25. vnde cum ibi ex notis exterioribus moneat dignosci pulmonis inflammationem, non solum ex albicante, aut pallescente, aut arescente lingua coniectari dicit pulmonis affectum; sed etiam ex partium thoracis dolore: quare si latus vnum doleat, indicari vult inflammatum esse in eodem latere pulmonem: at talis inflãmatio secũdum Hippocratem non est peripneumonica, sed pleuritica. Aut dicendum est Veteres credere pulmonis inflammationẽ perinde, ac pleuritidis vt plurimum afferre lateribus dolorem: qui si vnum latus tantum occupauerit; pleuritidem vocabant; si autem vtrunq; latus, peripneumoniam: & propterea licet in coacis dicat ex vno tantum latere inflammato vnam eiusdem lateris pulmonis partem inflammatam esse significari; illam tamen pulmonis inflammationem non vocat peripneumoniam, aut si talem vocaret, nõ esset primariò, ac per se peripneumonia; sed per participationem, vt dixi, à latere affecto. Et ex his parte potest solutio totius controuersiæ: nam animaduersione dignum est, quod tam rudis erat apud Medicos vetustiores Medicina, vt morbi ijs suis pathognomonicis signis nõ distinguerentur, nec suis propriis locis patientib⁹ singuli quique morbi destinarentur; sed quibusdam communibus notis, & rudi quadam signorum, ac symptomatũ syndrome morbos distinguebant.

Solutio.

Medicinæ ruditas apud Veteres.

Tùm quia membrana costalis, vt dicebam, incognita erat Hippocrati, vt videre est in omnibus suis operibus, & præsertim

in primo de morbis n. 23. vbi manifestè apparet nullam membranam agnouisse ipsum vetustissimum Senem, quę succingeret costas: & quamuis alicubi meminerit pleuriticum morbum, non ob id credendum est intellexisse ipsius membranę costalis inflãmationem; quoniam ipsi incognita erat, vt dixi, illa membrana: sed potius eum intellexisse credendum est lateris, aut partium ad latus pertingentium dolorem: nam apud ipsum Hippocratẽ hoc nomen πλευρον seù πλευρα secundũ Erotiani, Ruffi, & Gazæ interpretationem significat latus, tametsi quandoq; etiam ex Sophoclis, & aliorum mente denotet costam: ità vt morbus, seù dolor lateralis, vel costalis, vel pleuriticus significet non membranæ costas succingentis, sed lateris morbum, seù dolorem, aut inflammationem: quo factum est ergo, vt nulli mirum esse debeat, si peripneumoniam à pleuritide non alio peculiari signo distinguebant, quàm vnius, vel vtriusque lateris dolore: vbi videlicet vnum latus afficiebatur, vocabant pleuritidem, aut morbum lateralem: si autem vtrunque latus, peripneumoniam. Neque morbi proprium locum affectum distinguentes, haud animaduertebant, an in peripneumonia pulmo solum afficeretur, an vllum dolorem alijs partibus inferret, nec ne: (nam quædam partes in thorace teste Iouberto de pulmonia cap. 7. inflammationẽ, & dolorem pati possunt citra pulmonum inflammationem: sicuti pulmones affici possunt, absq; quod latera afficiantur) sed quęrebant an febris adesset, vel abesset, si dolor acutior esset, an mitior; nam vbi aderat febris, & vehementior dolor, pleuritis denotabatur, nam pleuriticos vehementi lateris dolore affici notat Aurelianus ex Sorano 2. ac. c. 28. quare Hipp. dicebat 4. acut. text. 72. in peripneumonijs, & pleuritide id considerandũ nũ febris adsit acuta, & dolores alterius lateris, aut vtriusque affligant, & non laboret dũ spiritus sursum fertur, tusses adsint, & sputa educantur ruffa, aut liuida, vel etiam tenuia, & spumosa, & florida; atq; si quid discrepet ab ijs, quæ illis contingere consueuerunt: quod etiam videtur Galenus confirmare in com. 5. aphor. sec. 6.

Pleuræ nomen quid significet.
Morb⁹ lateralis quid.
Pleuritidis à peripneumonia distinctio apud Veteres.

Cæterum cum pulmo sui natura indolens sit, teste etiam pręter Galenum 3. acut. t. 58. Aretæo 2. de caus. acut. c. 1. quandoq;

doq; contingit, vt tanta sit pulmonis inflãmatio, vt laterib⁹ quoq; communicetur affectio: & propterea cui lateri impertita est inflammatio, in eo dolor excitatur lateralis, atq; simul cum peripneumonia fit pleuritis: & tunc non est legitima peripneumonia, sed cum pleuritide coniuncta: vera autem, & legitima peripneumonia illa est, in qua nullus dolor persentitur; sicuti vera pleuritis est, vbi citra pulmonum inflammationem latus, vel latera tantum inflammata afficiuntur dolore pungitiuo: quocirca si in peripneumonia ex Hippocrate latera quoque condoleant, non valet responsio eorum, qui dicunt talem lateralem dolorem non esse verè pleuriticum, hoc est pungitiuum, sed potius veluti pulmonis grauatiuum, vel inflammatiuum. Hæc responsio inquam non satisfacit, quia si dolor est in latere, aut ad claviculam, aut in quauis alia thoracis parte (cum necessariò membrana succingens costas inflammetur) necesse est perpetuò dolorẽ fieri pungitiuum, & non grauatiuum. Quare concludendum est peripneumoniam ab Hippocrate intelligi non tantum ꝓ pulmonum inflammatione, sed pro vtriusq; lateris dolore: quia dicit in lib. de locis: Vbi vtraq; latera doluerint, reliquaq. similiter, vt in priore se habuerint, hæc quidem pulmonis inflammatio est: quod etiam videtur repicare paulò infrà, dum inquit: Pulmonis inflammatio longè periculosior est, & dolores ad laterum mollitudinẽ, & clauiculas multò vehæmentiores habet, &c. Quòd videtur innuere ipsemet Hipp. in 3. acut. text. 58. dum inquit. Peripneumoniæ magis, quàm febri ardenti balneũ conferre, cũ lateris, pectoris, & dorsi dolorem mitiget. Quo loco Gal. alterutrum significari credit: aut scilicet peripneumonię, & pleuritidi balneum magis conferre scribendum: aut pro peripneumonia pleuritidẽ accipi; quia pleuritis in latere dolorem habet, peripneumonia non habet. Vbi Vallesius inibi suspicatur Hippocratẽ nomine peripneumoniæ significare nedum pulmonis inflammationem, sed quempiam alium thoracis affectum, eò quòd vtriq. commune sit symptoma, difficilis scilicet respiratio. Sed re vera ex his omnibus colligo, tàm in pneumonia, quàm in pleuritide spurijs communẽ locum affectum esse tùm pulmonem,

Peripneumonia legitima. Pleuritis vera.

Peripneumonia pro qua affectione sumitur ab Hippocrate.

Pleuritidis, ac Pneumoniæ spuriarũ locus affectus.

 nem,

nem, tùm latus: in illa quidem totum pulmonem, ac vtrunque latus: in hac verò vnam tantum & pulmonis, & lateris partem Quod videtur Demetrius Herophilus lib. 12. de paſſionibus apud Aurelianum cap. 25. 2. acut. ſignificare, dum ait, peripneumoniam eſſe in toto pulmonis corpore tumorem: in eius autèm parte pleuritidem fieri: tametſi ego putem ex Hipp. ſententia peripneumoniæ eſſentiam quoad effectum, vel affectũ fundari in laterum dolore; quo autem ad cauſam efficientem in pulmonum inflammatione, cum hoc tamen vt pleuritis in vnò tantum thoracis latere; peripneumonia verò in vtroque dolorem proferat, ſicuti pneumonia in toto, pleuritis in parte pulmonis inſideat.

Cum ex his ergò conſtet tam pleuritidem, quã pneumoniam ex Hipp. ſententia diuersâ ratione eſſe pulmonis affectum, ac vtramque in thorace dolorem proferre, facilè depræhendi poteſt, quàm longè interſe diſſideant in hac re Gal. & Hipp. quia cum Gal. nullam aliam pleuritidem cognouerit, quàm membranę coſtalis inflammationem, nec aliam pneumoniam, quàm pulmonis inflammationem, non eſt vt quis laboret in conciliandis interſe his duob⁹ medicinę Principibus, cùm in hoc prorſus, mea ſententia, inconciliabiles exiſtant: & propterea non poſſum non mirari tùm Claudinum alias eximium Doctorem, tùm etiam illos omnes Medicos, qui inuiolabili quadam lege ſibi propoſita, totis viribus perpetuò conantur omnes procerum Medicinæ Parentum contradictiones conciliare, quaſi quòd in omnibus eorum decretis nulla ſit vnquam inter ipſos diſcrepantia, ſed vna ſolum eorum in omnibus ſit ſententia: Scio equidem Galenum vt fidum Hipp. interpretem in quibuſcunq; potuit, & cognouit eum ad vnguem conſectaſſe profeſſum. Sicuti hunc proſequi laboratos eſſe Auicennam, Paulum, Aetium, & alios non ignoro: attamẽ inter hos omnes infinitas propemodum deprę̃hendimus diſcrepantias. Omnium ſiquidem ſapientum Virorum optima ſemper fuit intentio, vt auertendarũ contradictionum, & vnius doctrinæ ſtabiliendæ gratia, vniuerſos Doctores ad vnam tãtum ſententiam reuocarent: at multi ne dum ab huiuſmodi ſcopo longius aberrarunt, verùm potius ſuis quibuſdã coactis ambagi-

Communis Medicorum abuſus.

bagi-

bagibus rem totã multiplici confusionis labyrintho intricarunt.

Ad nostrum igitur censum reddeuntes, vt communem, & verã sectemur sententiam, statuimus propriam exquisitæ pleuritidis sedem affectam esse ipsammet membranam succingentẽ costas, aut musculos intercostales internos; sicuti in legitima peripneumonia pulmonem esse partem patientem. In spurijs verò, & falsis pleuritidibus, & pneumonijs, in quarum numero constituendam esse existimo nostram hanc Pleuripneumoniam, in illis primariò esse musculos intercostales externos; secundariò autem omnes partes ad thoracem pertingentes: sicuti in his quascunque partes, tùmque pulmonem integrant, tùmque eum contangunt, aut cùm eo proximè consentiunt: & propterea perfacilè est, vt, cùm ob partium contiguitatem, & consensum; tùm ob humoris æquam omnibus thoracis partibus communicantiam, vnius partis intra thoracem existentis affectio, alteri sibi contiguæ, vel proximiori communicetur. Hinc Sennertus lib. 2. part. 2. cap. 16. suæ pract. Med. quæ pars in pleuritide patiatur, quærens, hæc scribit. An in pleuritide sola afficiatur pleura, an verò etiã pulmo & Antiqui, & Recentiores dubitarunt. Sed vt rẽ hîc breuib⁹ cõplectamur, statuimus nõ quidem in omni pleuritide necessariò pulmonẽ affici; semper tamen ferè hoc accidere, vbi superior pleuræ pars afficitur: est .n. pleuræ cũ mẽbrana pulmonis cõmunio, & præcipuè versus collum, & circa exortum asperæ arteriæ per fibras multas cum pleura pulmo cohæret: Immo scribit Nicolaus Massa in suo introduct. anat. cap. 29. se ferè semper inuenisse adhærentiam pulmonis cum pleura, & non sine difficultate partes superiores pulmonis à pleura separari. Itaque facilè fieri potest, vt si sanguis in pleuram præternaturalitèr influat, etiam simul in pulmonem effundatur, atque tùm sanguis, & sputum, quod tussi reijcitur, non tam à pleura, quã à pulmone simul affecto prouenit; si verò inferiores pleuræ partes afficiantur, non nececessarium est pulmones simul affici, cum ibi nulla pleuræ, & pulmonum sit communio. Et hæc Sennertus.

Pleuritidis, & peripneumoniæ propria pars affecta.

Sennerti sententia de loco patiente in pleuritide & pneumonia nothis.

Concluditur ergò ob mutuam pleuræ cum pulmone communicantiam facilè lateris cum pulmone, & pulmonis cum late-

re mu-

re mutuam fieri affectionis participationem, & consequentèr partem affectam in pleuritide notha tùm esse latus, tùm pulmonem, sicuti in pneumonia non exquisita, tàm pulmonem, quàm latera.

Prosperi Martiani sẽtẽtia expenditur, & improbatur.

Prosper Martianus Vir doctissimus in com. lib. de loc. in homine vers. 261. vt hanc dubitationem eximat, duplici vtitur distictione. Primo. n. inquit Hipp. in ipso libello loqui de pleuritide non exquisita, quæ oritur à destillatione à capite: in alijs verò locis de vera, & exquisita pleuritide, in qua latus, quod costis, carne, & membranis constat, afficitur, cuius materiam à toto, & à circumuicinis partibus, inquit deriuare. Secundo dicit materiam, quæ pleuritidem veram facit, esse bilem cum pituita permixtam: quæ autem non veram gignit, eam esse bilem tantum, quæ à capite fluens, cum peruenerit in cauitates pulmonis, eius caliditate, & copia ipsum pulmonem incalfaciat, & inflammet. Verùm hic mihi non videtur dubitationem tollere, quoniam apud Hippocratem non alia pleuritidis differentia potest inueniri, quàm illa, qua dolor ad clauiculam, vel humerum vergit, & qua versus hyppochondia: illa verò, quam describit in lib. de loc. in homine, non est spuria, neque exquisita, sed peripneumonia tantum: quæ autem in cæteres libris recensentur, vnius tantum exquisitarum pleuritidum generis existunt. Quare verum est quidem, quòd illud pleuritidis genus, quod tractatur in lib. de loc. in homine, plurimum differt ab ijs pleuritidibus, quæ scribuntur in alijs libris, & præsertim in primo, & secũdo de morbis, cum in illa humor sit biliosus tantum, & à capite destillans: in his verò bilis & pituita, quæ à toto corpore, & à circumsitis vasis proficiscitur: tùm quia in illa humor pulmonis cauitates occupat, & pulmonem inflammat: in his verò humor in thoracis partes musculosas, & membranosas infunditur, & eas inflammat: sed in hoc quoque grauius differunt, quòd nimirum illa est, vt dixi, non pleuritis vlla, sed peripneumonia tantum. Tùm quia illius libri Auctor Hipp. existimatur; librorum autem de morbis non Hippoc. sed, vt

Gal.

Gal. credit in 6. epid. com. 1. text. 29. Polybius Hipp. discipulus, aut Hipp. Thessali Filius, vt Dioscorides arbitratur. Et propterea quæcunq; sit illa pleuritis, quæ in lib. de loc. in hom. tractatur, non alius generis cognita est ab illo Autore, quàm quæ ibi recensetur: sicuti quæ tractantur in cæteris libris, non nisi vnius generis à suis Autoribus cognoscuntur, & habentur.

Nec obstat, quod Hipp. in 5. epid. sec. 7. dicat Hyppósthenis peripneumoniam fuisse falsam, quia hanc talem esse dicit ad differentiam eius, quæ naturaliter fit, & non violentâ causâ, vt illa Hypposthenis peripneumonia, quæ orta est ex thoracis compressione, & refrigeratione gelidæ lauatione facta: imò cum hęc, non ex destillatione à capite producta sit, ex qua pleuritides, & peripneumanias falsas oriri inquit Martianus, sed ex fluxione à partibus pectori vicinis, neutiquam falsam dici oporteret; sed verã, & legitimã, & sic nõ falsa esset illa peripneumonia, quę fit à destillatione, sed quæ fit ab humore ex vicinis partibus inferioribus deriuato. *Obiectio 1.*

Præterea pleuritides apud Hippocratem, & Galenum à se ipsis, & à peripneumonia distinguntur non quidē penes humorem generantem, neque locum affectum, hoc est locum, ad quem fluit humor: quia pleuritis est membranæ succingētis costas, aut musculorum intercostalium inflammatio, quę ab humore quopiam fieri potest: peripneumonia verò est, in qua pulmo à quouis humore inflammatur. Vnde non minus absurdum est dicere humorem biliosum à capite destillare, q̃ pleuritidem spuriam fieri ab ipso bilioso humore cum omnes Medici prodant à capite pituitam, non bilem destillare, cum cerebrum dicant esse pituitosi humoris metropolim; & pleuritidem exquisitam non à pituitoso, sed à bilioso sanguine generari. Cæterum si humor, qui destillans à capite pleuritidē spuriam facit, esset humor biliosus, & copiosus, ipseq; syncerus, priusquam pleuritidem faceret, incitatâ naturâ, ꝑ tussim, ac sputum reijceretur; at videmus in pleuritide ipsam bilem cum pituita, aut sanguine permixtam, per sputum educi,

duci. Falsum est etiam dicere impossibile esse bilem, & pituitam in pulmonis cauitatibus accendi in peripneumonia, cum id rationi repugnet, & ipsimet Galeno, quandoquidē pituita cum propter eius crassitiem, & lentorem, cauitatibus impingatur; facilimè eas obstruit, & calidi perspiratum ꝓhibet, ex quo inflammatio succrescit. Porrò non ne recordaris Gal. in 4. de caus. puls. cap. 12. dixisse peripneumoniam pluries à pituitoso sanguine generari? Nam in hoc differre inquit pleuritidem à peripneumonia, quòd illa fit à bilioso, ac tenuiori; hæc verò à pituitoso, & crassiori sanguine, cuius rationem esse inquit, quòd tenuis, ac biliosus sanguis in rara, & laxa pulmonis substantia non inpingatur. Martiane igitur, aut fateare te neutiqam dubitationem eximisse, aut in probatiori solutione excogitanda vehementius te macerato.

Bartholomei Acursini sētentia vellicatur.

Sed hoc loco clarioris doctrinæ gratia incusandus occurrit Bartholomeus Acursinius alias nostri temporis Vir magnæ æruditionis, qui in solutione dubij à quoddam sibi propositi super illum Hipp. textum. de loc. in hom. vt ipsius Antiquissimi Authoris doctrinam ibidem illustriorem reddat, potius eam magis obscurare mihi videtur. Nam duo dicit. Vnum morem esse Hipp. ait peripneumonias non solum pulmonis, sed omnem quoque intra thoracem existentem inflammationem, ob difficilis respirationis Symptoma, denominare. Hoc enim verum non est, quia ibidem Hipp. & vbiq. conspicuò vnius lateris inflammationem vocat non peripneumoniam, sed pleuritidem: ibi namq. pleuritis, quæ penès ipsum est vnius lateris inflammatio, ab eo vocatur morbus lateralis, seù pleuritis: pulmonum autem inflammatio, in qua vtrunque latus afficitur, vocatur peripneumonia: quòd luculentius apparet in 6. aphor. 5. & in 6. Epid. sect. 7. text. 15. vbi ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσιν hoc est dolorem laterum, distinguit à dolore στήθεσι hoc est pectoris, cum dicat dolores in lateribus, & in pectore num multum differant perdiscendum: quo loco Gal. in comm. pro laterum dolore interpræatur succingentis mēbranæ inflammationem, pro pectoris autem dolore alium,

Quid lateris & quid pectoris dolor significet apud Galenū.

hoc

hoc est, non acutum, nec pungituum, sicuti pleuriticus, sed leuem, vt musculorum inter costalium significare videtur. Mercurialis autem in cõmento eiusdem pro dolore laterum, pleuritidem; pectoris verò peripneumoniã interpretatur. Porro nomen peripneumoniæ apud Grecos nedum significat pulmonum inflamationem, sed etiam eorundem vlcerationem; tametsi ego arbitrer Hippocratẽ ibi ꝓ laterum dolore intelligere pleuritidẽ inferiorem; pectoris verò superiorem: nam στῆθος superiorem thoracis partem significat, quæ vergit ad iugulum, & clauiculã: nam Hipp. in pleuritidum differentia pro curationis momento consueuit distinguere eam pleuritidem, in qua dolor pertingit ad clauiculam, ab ea, quæ dolorem habet ad hypochondria vergentem; illa siquidem venæ sectione curatur; hæc verò purgãte pharmaco, sicuti clarè innuit Gal. in eiusdem commento.

Mercurialis sententia.

Auctoris opinio.

Alterum est, quod ipse Acursinius dicit: dum scilicet materia à capite defluxa totũ pulmonem occupauerit, hunc quidem secundum vtramq; partem extensum, vtrumq; latus attingere, & sic preipneumoniam facere: quoniam, vt ille inquit, tàm copiosa est materia, quæ fluit in pulmonem, vt hic cum nequeat sua vi expultrice se se deonerare, cogitur inflammari, & sic peripneumoniâ occupari. Dum autẽ vnã tãtũ pulmonis partẽ obsederit; ità vt vnum tantum latus attingat, pleuritidem fieri dicit: eò ꝙ vt ipse interpretatur, materia defluxa, cũ sit exigua, facilè à pulmone in pleurã, ac in alias eius lateris partes trãsmittitur, & sic pulmone sarcina deonerato, non peripneumoniã, sed pleuritidẽ generari. Hęc doctrina mihi nõ ꝓbatur, quoniã pleuritis apud Hipp. nõ eatenus fit, quatenus pulmo humorẽ exiguũ facili negotio in pleurã, & alias lateris cõtiguas partes deponat, in his inflãmationẽ excitet, vt ipse perperã arbitratur: nã Hipp. vt paulo supra dicebã, nullam mẽbranę succingẽtis costas cognitionẽ habuit, neq; vllum in ea tumorem, aut similem fieri inflãmationem agnouit, quæ pleuritis vocaretur; sed quatenus repleto vno pulmonis latere, hoc inflãmetur, & versum latus sibi contiguum extendatur, ita vt illi adhærens per contactum impartiat inflãmationẽ, quam quidem non tumorẽ, sed phlogosin, aut ærysipelato-

ſam quandam inflamationem eſſe exiſtimarem. Tùm quia ipſe Hipp. manifeſtis verbis aſſerit pleuritidem, hoc eſt lateris vnius inflammtionem, vel dolorem fieri per vnius partis pulmonis repleti contingentiam: peripneumoniā verò per vtriuſq; alæ pulmonis extenſæ adhærentiam vtroq; lateri contingentem.

Problema.

Verùm hîc ſupereſt vnum problema ſoluendum. Cur ſclicet membrana ſuccingens coſtas cæteris membranis partiū internarum frequentius inflamationem patiatur? An quia, vt innuit Gal. in 4. de loc. aff. cap. proprio, hæc membrana tam exilibus venis eſt referta, vt in ipſam earum extremitates deſinentes, dū repletę ſunt, nequeant in alias partes ipsū sāguinem deijcere: imò cum ab ambientis frigore ſanguis in illis contentus concreſcat, motuq; careat, in cauſa eſt, vt calori innato prohibeatur euentatio, & ità ſuccreſcat inflāmatio? Hæc ſententia mihi non placet, quia multæ ſunt membranæ, quibus tenuiores, & obſcuriores inſunt venæ, & tamen non ità frequentem ſubeunt inflāmationē; immo partes ſunt exteriores, quibus cum venæ ſint capillares, & frigori externo magis expoſitæ, non ijs congelatur ſanguis, neq; excitatur inflāmatio: nam impoſſibile planè eſt intra thoracem, vbi ob vitalium partium pręſentiam caliditatis eſt fornax, ſanguinē congelaſcere. Sed ego ſum huius ſententiæ, quòd ob partium, quæ intra thoracem ſunt, caliditatem, raritatem, & capacitatem, ob has tanta ſcateat humorū affluentia, vt facilè in ijs excitetur inflāmatio: tùm quia neceſsùm eſt ipſam ſuccingentem membranam ab ipſis partibus calidiſſimis per contactum, & inhęrentiam contrahere phlogoſim, & inflammationem.

De Pleuripneumoniæ differentijs, locis patientibus, & definitione.

CAP. VII.

Pleuripneumoniæ differentiæ.

HIſce poſitis pleuritidum, ac peripneumoniarum differentijs, & locis patientibus; ex his facilimum erit colligere Pleuripneumoniæ differentias, & locos affectos; quoniam ſi tota

huius quiditas, & essentia ex pleuritidis, ac pneumoniæ forma, & quiditate depẽdet, tot erunt Pleuripneumoniæ species, quot sunt pleuritidis, ac pneumoniæ: quare quemadmodũ in illis dãtur secundum locum affectum, & causam efficientem, vel materialem; sicuti secundum exquisitum, & spuriũ differentię; ità etiam in Pleuripneumonia: nam huius aliæ sunt exquisitæ, aliæ nothæ; & sic aliæ ascendentes, aliæ descendentes; internæ, & extrnæ: apparentes, abditæ: siccæ, humidę: leues, & graues: benignæ, & malignæ, ac perniciosę: celeres, & longæ: cum febre, sine febre. Ità quædam à bile, quædam à pituita, nonnullæ à sanguine, aliquæ ab humore melancholico: aliæ tandẽ à catarrho, aliæ ab humore, vel spiritu flatuoso intra thoracem infestante: aliæ demum præfocantes, aliæ nequaquam: & aliæ tandem primariæ, aliæ morbos alios subsequentes.

Pleuripneumoniæ locus affectus.

Quare cum eiusmodi Pleuripneumonicę affectionis verus locus affectus sit pleuritica membrana, & simul ipse pulmo: spurię verò mediastinum, septum transuersum, & omnia vasa, omnesq; cauitates, quæ intra thoracem continentur, par est, existimari omnes ferè illegitimas illas pleuritides, & pneumonias, quę tùm apud Hipp. pluribus locis leguntur; tùm quæ apud Gal. Aetium, Gradium, & alios recentiores Medicos recensentur, esse Pleuripneumonias nothas, vel Pseudopleuripneumonias.

Pleuritis Oribasij q̃ sit.

Harum generis illas esse vereor, quas innuit Oribasius, aut quiuis alius Author in comm. 5 aph. sec. 6. quem quartũ ipse facit sec. 7. vbi hæc habet. Nam, inquit, fieri potest vt sit quispiam pleuriticus, & doleat illi pectus, atq; latera propter diaphragma, quod vicinum, & coniunctũ est epizochoti membranæ: & hanc curabimus eadem ratione, qua pleuriticum. Item fieri potest, vt sit tumor in cauitatibus pectoris, & doleat pectus, & non sit pleuriticus. Debet ergò semper Medicus affectionem cognoscere, vt sic possit peculiare præsidium adhibere.

Quare non est verum, quod Medici plures arbitrãtur, quòd nimirum in omni lateris dolore perpetuò pleura sit inflãmata, cũ sæpè eueniat, vt vel ob quandam pulmonum phlogosin, ipsa membrana ratione contactus, aut vicinię ità incalescat, vt eius

continuitate disgregatione soluta, excitetur dolor pungitiuus: vel ob alicuius biliosę, peracrisuè substantię mordacitatem, aut acutiem, aut malignitatem vellicetur, & quadam erysipelatosa inflammatione afficiatur, veluti quandoq; ipso anno 1633. in nonnullis pueris, & iuuenibus obseruaui, quibus eo tenpore, quo morbilli erant in cutem erupturi, laterum dolor obortus est, qui statim emersis morbillis, euanuit: quod Sennertus quoq; testatur se in infantium morbillis erumpentibus expertum: quinimò nonnullis vnicâ copiosi sudoris effusione vidi lateris dolorẽ abijsse. Hinc Heurnius de pleuritide ex cuiusdam laterali dolore cum delirio defuncti cadaueris sectione se nullam in cerebri menynge, neq; in laterali membrana inflãmationis notam obseruando, asserit non semper ipsius costalis membranę phlogosim in sectis cadaueribus deprehendi. Nam sepè fieri potest, vt inflammatio septi transuersi, qua parte annectitur membranæ costas succingenti, eam simul inflãmet, ac dolore afficiat; ex cuiusue diaphragmatis inflammatione, ob consensum, quẽ illud habet cum dura cerebri menynge, illi comunicetur inflãmatio; vnde phrenitis fieri consueuit: sicuti hoc modo fortasse illum cõcomitatum est phreniticum illud delirium; Et tandem aliquibus in latere dolor excitatur citra vllam pleurę, aut alterius partis inflammationẽ, sed ob musculorũ intercostalium, aut ob neruorum, qui à sexto pari, & à spina in ipsos musculos, & in ipsam succingentem membranam inseruntur, conuulsionem, aut eorũ solutionem.

Pleuritici casus ex Heurnio.

Phrenitis ex diaphagmatis inflãmatione.

Ita haud necessarium est perpetuò in qualibet peripneumonia semper pulmonem dumtaxat inflammari, cum sæpè contingat præter pulmonem etiam alias sibi continguas partes inflammari, vt extat apud Aretæum lib. 2. de caus. & sign. acut. cap. 1. ex Aetio tet. 2. ser. 4. cap. 66. & in hac dolor inest pungitiuus; in qua verò pulmo tantum inflammatur, aut nullus est, aut vix perceptibilis dolor. At quæ nostra hac tempestate diuagata est Pleuripneumonia, pro vt ego ex effectibus, & signis conijcere potui, vt plurimum quippe fuit, quę ex pulmonum, ac laterum simul inflammatione oriebatur, quã exquisitam Pleuripneumo-

Peripneumonia ex aliarum partiũ inflãmatione.

niam

niam placuit nuncupare: tametsi non negem in aliquibus me aliquam de illarum genere obseruasse, quæ in mediastini, & aliquando diaphragmatis inflammtione collocantur, quas illegitimas, vel falsas appellauimus, quarum omnium maior pars ex biliosi sanguinis copia in pectoris vasis, & cauitatib⁹ redundante producta est.

Pleuripneumoniarum Signa.

CAPVT. VIII.

QVibus autem notis innotescere possit vtra illarum partium afficiatur tàm in exquisita, quàm in notha qualibet Pleuripneumonia, ex proprijs pneumoniæ, & pleuritidis tùm exquisitarum, tùm spuriarum notis deprehendi licet. Potiora enim infimmati pulmonis signa, pręter illa, quę in superiorib⁹ allata sunt, nos pręceteris edocet Galenus lib. 2 de loc. aff. cap. 9. & lib. 4. cap. 7. & lib 4. de præsag. ex pul. c. 2. & 4. de caus. pul. cap. 12. quæ sunt difficilis respiratio, tussis, inexplebilis sitis, febris continens, maxillarum rubor, sensus quidam grauatiuus, pulsus vndosus, mollis, magnus, celer, inæqualis, intermittens, aut recurrens, aut bipulsans, æger vt plurimum supinus, aut erectus iacet: & hæc sunt legitimę peripneumoniæ inditia. Verùm quia vix fieri potest quin pulmone inflammato ratione contactus, mẽbrana quoq; costalis æstu sibi impertito, eadem inflammatione coafficiatur, & proindè acuti doloris sensum præseferat: quare cum in hac latus, aut latera compatiantur, & pulsus durus, ac serratilis reddatur, perinde ac ipsa pleuritis, eadem ferè symptomata proferat, non mirum est, si huiusmodi peripneumonia, quæ spuria nuncupatur, sępè pro pleuritide desumatur, cum re vera hæc frequentius accidat; illa verò rarissimè, licet oppositum docere videatur Galenus in 11. aph. sec. 7.

Propria pulmonis inflãmati signa.

Verùm enim, vt quisq; possit ex proprijs signis quamlibet pulmonis, aut thoracis partem affectam distinguere, hęc obseruan-

Propria singularũ partium affectarum signa.

seruanda sunt: si enim totus pulmo inflãmatione laboret, dolor quidam grauis omnes thoracis partes occupabit, ac pertensa reddentur præcordia, ità vt æger nec spiritum attrahere, nec in vllum latus iacere, neq; sine dolore tussire, ac moueri poterit; præter alia signa, quæ supra sunt relata.

Si aliqua verò pars tantum, illic è regione inerit dolor.

Si pleura compatiatur, punctorius dolor indicabit.

Si septũ transuersum, respiradi impotentia, dolor acutus, & tensiuus, intenduntur præcordia: febris adest acuta cum delirio. & saltus adest in hypochondrijs, pulsusq; fit durus, paruus, & creber.

Si aspera arteria laboret, cum cartilaginea sit, nullus dolor adest.

Pleuritis occulta quæ sit

Mediastini affectionẽ donotat in medio pectore dolor cum grauitate suppungitiuus: at cum in hac parte dolor, vt plurimũ circa morbi initia latitet, hunc morbũ aliqui pleuritidem occultam vocant: verùm quia persæpè ob difficilem humoris expurgatiõnẽ ad suppurationẽ perducitur phlegmone, ægrũ de medio tollit, sicuti eodem anno in pluribus id obseruaui.

Pleuripneumonia vera quæ.

At quoniam, vt plurimum vera Pleuripneumonia tunc fit quando pulmones simul, & latera inflammatione coafficiuntur, quod quidem fit, vel quia ex pulmonis inflammatione ratione contactus, aut viciniæ simul inflammatur membrana costalis: vel quia hac inflammata, eadem ratione inflammãtur quoq; pulmones; signa præmonstranda sunt, quibus dignoscatur vter affectus sit causa alterius: quare si ex pleuritide oriatur pneumonia, hæc signa indicabunt. Primo citra anhelitus difficultatem, & sitim præcessit in latere dolor pungitiuus, cum febre non admodum acuta, & pulsu duro, & serrino: æger ægrè decumbit in latus affectum; adest sicca, innanisq; tussicula, mox progrediente morbo, insurgunt omnia ferè peripneumonię symptomata, quę adhuc sem ꝑ ingrauescendo procedunt: cum hoc tamen, ꝙ tussiendo, in latere affecto percipitur dolor; & parũ, aut nihil ꝑ sputũ excernitur.

Si autem è contra pleuritis scilicet ex pneumonia generetur,

tur, quod sæpius, & facilius contingere consueuerit, hæc significabunt inditia. Primo videlicet circa morbi principia sine vllo lateris dolore aderit nõ parua respirationis difficultas, tussis cum febre peracuta, ac infrenabili siti, maxillarũq; efflorescentia: mox subsequi solet ne dum in toto pectore dolor quidam grauatiuus; verùm etiam in aliquo latere pungitiuus, in quo non nisi cum dolore potest ęger decumbere. In principio nullus apparet sputus, nec pulsus est durus, sed potius mollis, & languidus: at postea durior euadit, & materia copiosius adhuc per sputum excernitur.

Inditia pleuritidis ex pipneumonia generata.

Signa autem causarum sunt, si ex insigni plethora oriatur Pleuripneumonia, aderit præcordiorum tensio, difficilis respiratio, totius corporis grauitas, & lassitudo, capitis dolor, & grauedo, oculorum rubor, inappetentia, nausea, sitis immodica, vomitus, tussis inanis, & corporis iactatio, anxietasq; maxima, & nonnullis animi defectio, & tandem si misso semel, & bis vel ad libram sangnuine, ne dum pulsus, & symptomata nihilo minuuntur, verum potius cit a vllam virium iacturam incrementum suscipiunt.

Pleuripneumoniæ causarum signa.

Si ex humore pituitoso, sputus erit viscidus, & nullius saporis, & albus: si bilis, coloris erit lutei, aut æruginei, amariq; saporis: si sanguis, sputus erit cruentosus, & sanguineus: sicuti si niger, atra bilis: ità si spumosus, ex pulmonibus, si aliunde proficiscatur, non spumosus.

His igitur hoc modo se se habentibus, colligitur, atq; statuitur Pleuripneumoniam veram esse tùm membranę succingentis costas; tùm pulmonis inflammationem: notham verò esse partium his consentientium, aut ad eas spectantium similem affectionem, quæ omnes à materia siue humorali, siue spiritali, vel qualitate, vel quantitate, vel motu peccante, producuntur.

Pleuripneumonia vera, & non vera quæ sit.

In quo morbi genere reperiatur Pleuripneumonia.

CAPVT IX.

HÆc affectio, prout multiplici respectù sumitur, in omni mor-

ni morborum genere reponenda esse videtur: nam quatenus illius essentia in pulmonis, & lateris, vel aliarum thoracis partium inflammatione collocatur, fit morbus in intemperie: quatenus autem dictæ partes phlegmone oppressę in maiorem molem extenduntur, constituunt morbum in aucta magnitudine: proùt dictam intemperiem, & magnitudinem adauctam consequitur continuitatis dissolutio, vnde dolor emergit, euadit morbus in soluta vnitate.

Pleuripneumonia epidemica ad q̄ morbi genus referenda.

Cum tandem hic morbus epidemicus sit, & exitiosus, & proinde quandam sibi prauam,& venenosam qualitatem ascifcat, in eorum genere constituendus est, qui abditæ qualitatis, vel totius substãtiæ nuncupantur, quorum curationis nulla alia datur indicatio, nisi ea, qua delereriæ qualitati alexipharmacis, aut bezoarticis oppugnatur.

Quod hæc Pleuripneumonia fuerit morbus epidemicus, non autem pernitiosus.

CAPVT X.

QVòd autem ex communi illo morborum genere fuerit hęc Pleuripneumonia, quo in vna, aut pluribus regionibus plurimi vna quadam tempestate pro varia eorum natura, & vario viuendi genere, varijs quidem morbis, sed conformi morborum constitutione corripiuntur, quiuè epidemicus seù vulgaris appellatur, facilè est demonstrare. Hoc enim triplici medio potest probari, hoc est ex communibus causis, ex morborum similitudine, & ex pluralitate, varietateque eorum, qui in eadem regione, ac eadem tempestate ægrotarunt. Causæ communes sunt aer, & victus: quoniam, vt inquit Hipp. 2. de nat. hum. Morbi partim ex viuendi ratione, partim etiam ex spiritu, quem viuendo trahimus, proueniunt. Ex vtra autem harum causarum morbus oriatur, inde discerni potest. Nam vbi complures vno morbo, eadem tempestate vexantur, in id q̄ maximè commune est, quoq. omnes vtimur, reijcienda causa est:

Pleuripneumoniæ vulgaritas trib° medijs p̄batur.

eſt: id autem eſt quod inſpirando trahimus. Cum verò eodem tempore non vnus, ſed plures morbi oriuntur, ſua proculdubio, cuiq. viuẽdi ratio in cauſa eſt. Atquì anno 1633. non vnũ tantũ morbi genus Populum infeſtauit, ſed plures, vt pleuritides, ac peripneumoniæ ſpuriæ, anginæ, catarrhi, variolę, morbilli, vermes, & ſimiles, qui omnes ſimul vnius morboſæ conſtitutionis formam effecerunt; quare non aeri, ſed victui horum referenda eſt cauſa. Cæterum dato, quod hæc conſtitutio vnius tantum morbi ſit, & ab vno aere producatur, non eſt credendum aerem per ſe, ac immediatè illum morbum generaſſe; quia ſic nullus homo, nullumq; animal potuiſſet ab ipſo morbo immune fieri, cum æquè ab omni animantiũ genere aer attingatur, & ab omnibus inſpiretur. Sed ea ratione dicitur aer eſſe cauſa vnius cuiuſpiam morbi productiua, quatenus ipſe terram, ac omnia, quæ ab ea producuntur, afficiendo, quodcunq; noſtrum alimẽtum immutat, & ſic corpora noſtra ſimul immutantur. Nam temporum mutationes potiſſimum pariunt morbos, vt inquit Hipp. in primo aph. ſec. 3. vt cuiq. videre licet in cæteris eiuſd. libri aphor. & in lib. de aere loc. & aqu. Quare ſtatuitur ab aere per ſe, ac immediatè nõ poſſe morbũ vnum populariter graſſantem generari, ſed per accidens, eo ſcilicet modo, quem dixi: non nego tamen poſſe quandoq. ab vno aere corrũpto, vel inſignitèr alterato per ſe aliquem morbum pernitioſum, vel epidemicum produci, ꝙ rariſſimè ſolet euenire; quoniam licet Hipp. dicat vnum morbum plures vno tempore infeſtantem ab vno communi aere proficiſci, ibi non intelligit vnum tantum peculiarem morbum, vt ſolam pleuritidem, aut ſolam anginam, vel dyſenteriam tantum; ſed vnam vniformem conſtitutionem ex pluribus morbis conflatam, vt mox clarius patebit: quæquidẽ conſtitutio, ſi conſtet ex morbis pernitioſis, & funeſtis, ità vt maior pars perdatur, dicitur peſtilens: ſi autem non ex pernitioſis, ſed mitioribus coaleſcat; ità vt plurimi quidem afficiantur, ſed pauci pereant, dicitur epidemica conſtitutio. Hęc doctrina cõſonat illi, quam habet Gal. in comm. prim. acut. text. 9. vbi inq̃t morbos multos vno fieri tempore, quos, ſi pernitioſi fuerint, pe-

Aer quomodo ſit morborum cauſa

Quis morbus peſtilens, & quis epidemicus.

ſtem appellant: ſi verò mitiores, altera quadam indicant appellatione, epidemos, vel epidemios nominantes: vt epidemus morbus ſit, qui tempore anni aliquo, in regione aliqua abundet, inſoleſcatquè: peſtis verò epidemia pernitioſa. Eſt autem, & aliud morbi genus commune multis, quod in aliqua regione ſuperuenit, acciditq; & endemum, vel endemium appellatur, quaſi patrium dixeris, aut vernaculum. His autem omnibus aduerſantur σποράδες, ideſt qui ſparſim, priuatimq. prehendunt, ęgros diſcrepanter fatigantes, neq; ſecundum communem modum conſtantes.

Endemius.

Sporades morbi.

Modò iuxtà hanc communem cauſam Pleuripneumonia fuit morbus communis, ſiuè vulgaris; quoniam non aliundè originem duxit, quàm ab aeris, & victus communi vitio, vt in poſterum, vbi de cauſis fiet ſermo, demonſtrabitur: Sporades enim haud communem cauſam habent, ſed ex peculiari cuiuſcunq; vitio, ac errore proueniunt.

Ex communitate etiam, & ſimilitudine formæ morbus hic eſt de genere epidemiorum, quia eadem morbi forma plurimi tunc temporis ægrotabant. Nam ratio epidemiæ conſiſtit in hoc, q in eadem tempeſtate, & regione communis morbus plures infeſtet, qui ſcilicet communem, & æquiformem prę ſeferat Ideã, vt Hippocrates teſtatur in primo acut. text. 9. Gal. ibidem, & 3. epid. com. 3 text. 20.

Epidemię ratio in quocõſiſtat.

Sed quomodo ex Hippocratis, & Galeni ſentẽtia morbi vulgares, & peſtilentes ſunt inter ſe ſimiles, ſinõ vnus graſſatur morbus, ſed plures, & varij generis? Nonne ipſe Hipp. dixit in 3. epid. com. 3 t. 21 quòd ex qualibet morborum vulgariũ ſpetie comlpures ægrotabant, & moriebantur? Huic dubitationi egregiè ſatisfacit Braſauola in com. text. 9. primĩ acut. inquiens, & ſi epidemici morbi ſparſi ſint, ac diuerſi, & ſub ſpetie pleuritidis, phrenitidis, cathochi, lethargi, & ſimilium appareant: attamen quando ſub pleuritidis ſpetie apparent, tunc in omnibus, vel in maiori parte ſub illa ſpetie apparent; Ità quando ſub ſpetie phrenitidis, tunc, vel omnes, vel plures phrenitide capiuntur: Immo in vna trium, aut quatuor menſium peſtilentia, hæc

Dubitatio.

Reſponſio Braſauolę.

ſucceſſiuè variari poſſunt: quod in illa magna anni 1528. tot ius Italiæ peſtilentia obſeruauimus, in principio ſub lateralis morbi ſpetie præſentata eſt in pluribus, deinceps ſub ſpecie phrenitidis, poſtea cathochi, deīdè in varias ſpeties mutationes cōſecutę ſunt, & plura morborum genera ſimul complicabantur, & tandem in aliquibus in alui profluuia deſinebant; at per aliquod temporis ſpatium ſub vna morbi ſpetie perſeuerabant.

Saxonia vellicatur.

Quare non videtur excellentiſſimus Saxonia de Plica cap 6. ſatis intelligere quomodo tàm peſtilētes, quàm epidemici morbi ſint ſibi ſimiles, quoniàm dupliciter eos inter ſe diſtinguere videtur; vno ſcilicet modo, quòd peſtilentes generaliter ſint multiplices, ac varij morbi; epidemici verò non niſi quodam ſpeciali morborum numero. Altero modo, quia peſtilentes ſint venenoſi: epidemici verò nequaquam. Hoc enim verum eſt: quod autem in peſte non vnum morbi genus vagetur, ſed ſemp plura, eſt merè falſum, vt clariſſimè patet apud Hippocratem, & Galenum in 3. epid com. 3. text. 20 & 21. vbi manifeſtè apparet ex quolibet morborum genere, ſeù ſpetie complures, vt dictum eſt, vulgaritèr ægrotaſſe, & perijſſe. Quicunq; enim in vtriſq; fiunt morbi, nullus eſt quippe, qui non ſimilem in omnibus, vel ſaltem in pluribus præſeferat Ideam.

Tum quia tàm in peſte, quàm in morbo epidemio vnum tantum morbi genus graſſari poteſt, vt vel tantum Pleuritis, vel ſolum Angina, vel Peripneumonia tantum; ſicuti in pluribus peſtilentijs legimus eueniſſe, in quarum nonnullis duntaxat omnes mortifero ſudore afficiebantur, in aliquibus pernitioſus ſanguis expuebatur, vt in illa truculentiſſima Peripneumonia peſtilenti, quam recenſent Fracaſtorius in eius Syphilide, & Andreas Gallus in lib 4. Faſciculi de Peſte, & alij. Quemadmodum è conuerſo in epidemica aliqua conſtitutione quandoq; non vnū morbi genus inuadit, ſed plures, vt in vna aliqua tempeſtate, vnaq; regione in pluribꝰ ſub vna morborum forma communiter multos corripiunt multi morbi, veluti cum pleuritide ſimul etiam peripneumonia, phrenitis, catarrhus, capitis dolor, sāguinis ſputus, ſudor copioſus, peticulæ, vermes, morbilli, & id genus alij

morbi, velut in nostra Pleuripneumonica constitutione visũ est. Pestis enim in hoc tantum differt à morbis epidemijs, quòd in illa plurimi, in his pauci perduntur, licet in vtrisque plurimi afficiantur.

Pestis in quo differat à morbis epidemijs.

Quòd tandem hic morbus varijs affectibus plurimos diuexauerit, ex ijs quæ hîc, & in Historia enarrauimus, facilè conijci potest. Nulla enim ferè domus in nostra Ciuitate, ac in tota hac Prouincia extitit, in qna vnus, duo, tres, & plures hisce morbis non fuerint conflictati. Quare concluditur hanc Pleuripneumoniam fuisse morbum epidemicum: Nam eadẽ ratione, qua pestilentes sibi sunt similes, eadem etiam epidemici, & è conuersò: at pestilentes, ex Saxonia, in venenositate sunt similes, ergò ità etiam epidemici in venenositate, nõ autem in quibusdam spetialibus morbis essent similes. E cõuersò inquam epidemici sunt similes, secundum aliquas morborum speties, ità etiam pestilentes essent secundum aliquos spetiales morbos sibi similes: quod vtroq; modo perfalsum est. Probatur minor, quia cum pestilentes ab epidemicis, vt diximus, in hoc tantum differant, quod, teste Gal. ibidẽ, pernitiosi sint, tàm in pestilentibus, quàm in epidemicis requiritur morborum pluralitas, atq; diuersitas. Eadem ergo ratione, qua pestilentes, & epidemici sunt morbi communes, eadem sunt sibi similes; sed sporadici dicuntur, qui sparsim, & priuatim inuadunt, varioque modo ægros affligunt: Ergo illi dicuntur similes, quia communitèr, ac indifferenter inuadentes, similem in omnibus, vel in pluribus seruant afflictionis formam.

Morbi simi-les qui dicũtur.

In eo tempore autem, quo viguit Pleuripneumonia, nullus accidit morbus, qui in pluribus similem non habuerit formã. Nam, vt in huius operis vestibulo dicebamus, ab inirio vlcuscula quædam in ore, & faucibus in multis apparuerunt: inde in ijs partibus inflammationes subortę plurimos infestabant, & quosdam strangularunt: & subinde permultos pleuripneumonici morbi æqualitèr vtplurimũ affligebant: postmodum sub morbi statu alia ingruerunt symptomata, vt de

iria, ventris tormina, sopores, lumbrici, peticulæ, quæ præ-ceteris Mulieribus contigerunt, & variolæ, atq; morbilli; qui cum vermibus Pueros præsertim infestabant. Ex quo liquet hos omnes affectus Pleuripneumoniam tùm præcedentes, tùm subsequentes eodem modo, ac tempore plurimos afflixisse

An Pleuripneumonia fuerit pestilens, aut maligna.

CAPVT XI.

VErùm quia omnis morbus communis, & epidemicus vt plurimum prauam sortitur conditionem, exquirendum est an prædicta Pleuripneumonia fuerit pestilens, vel maligna? Quod vt clarius pateat, videndum est, quis sit morb⁹ pestilens, & quis malignus, tùm qualis sit inter hos differentia; nam certum est morbum pestilentem non nisi à Peste suũ nomen sortiri; sicuti malignum à re non nisi maligna, praua, vel perfida.

Quis morb⁹ pestilens, & qs malignus.

Cum enim pestilens triplicem habeat sensum, hoc est vel vt quid pernitiosum, aut truculentum citra pestem; vel vt q̃d ad pestẽ pertinens, hoc est vt populariter grassans, & multos perimens, sicuti pestis; vel vt quid venenosum, seù malignũ.

Pestilẽs tripliciter sumitur.

Ità maligni nomen multipliciter vsurpatur, vno siquidem modo pro fraudulento, seù perfido, vel prauo, vt desumptũ est ab Hippocrate in calce lib. de aer. aq. & loc. vbi terra inquit pinguis est, & mollis, & aquosa, &c. ibi homines sunt ψυχὴν κακοί animo malo, seù maligno: quo sensu desumpsit Gal. in primo prorrhet. com. 2. text. 7. dum inquit, De prauis simpliciter, & non pernitiosis nosce id dumtaxat satis est, non esse his fidendum, si absq; signis desierint: quibus non fidendum etiam monet Hippocrates in 2. aph. 27. Secundo modo pro contumaci, vt sunt vlcera cacoethia, atque cancri apud Galenum 4. meth. & qualis est, quem describens ipse Gal. in primo epid. com. 3. text. 1. ait malignos morbos illos esse, q̃ omnibus diligenter administratis, nihilo tamen meliores fiunt.

Maligni multiplex captus.

unt. Tertio pro morbo vel magno, vt primo ad Galauc. cap. 1. & 4. meth. cap. 6. vel vehementi, quo nomine febres in picrocholis inediâ malignas fieri scribit 8. meth. cap. 2. vel acuto, sicuti sumitur ab eodem in 3. epid. com. 2. text. 1. Quarto pro pericul. so, vt primo prorrhet. com. 1. text. 14. qui cum periculum vitæ minetur, spem salutis non adimit.

Hac igitur distinctione haud difficile erit noscere quid sit morbus pestilens, & malignus. Modo cum pestilens hîc pro primo, & tertio significatu desumatur, malignum autem pro primo à nõ nullis sæpè pestilentis, ac maligni morbi nomen æqua significatione vsurpatur, cum tamen non parum inter se distent: quia, licet omnis febris pestilens sit maligna, non tamen è conuersò, cum multi sint morbi maligni, qui non sunt pestilentes. Nam plures Medici arbitrantur pestilentem febrem à maligna in hoc differre, quòd pestilens significet vnam morbi spetiem, maligna verò duntaxat morem: hoc mihi non accipitur, quia tàm pestilentem, quàm malignam diuerso quidem sensu sumptas arbitror posse, & spetiem, & morem significare: nam dicere morbum pestilentem vt significat pestem, vel quid pesti analogum, vt febrẽ pestilentem, dicit spetiem morbi: proùt autem denotat quid perniciosum, dicit morem. Ità quando quis dicit morbum malignũ, prout denotat quid fraudulẽtum, & perfidum, dicit morem: quãdo autem dicit febrem malignam, dicit spetiem morbi: quoniã certum est malignam febrem esse vnam morbi spetiem à pestilenti febre valdè differentem, cum alia sit forma febris pestilentis, alia malignæ: quod ex singularum proprijs characterijs facilè deprehendi potest, nam propria febris malignæ accidentia sunt. Quod sub miti quodam aspectu, truculentam abscondat prauitatem: quòd cutis calor tactui primo se se blandus offeratur, postea acrior detegatur; in interioribus autem ignescat: ęger vix sentiat se febrire: pulsus vt plurimum sint languidi, aut pressi, aut obscuri, & quandoq; sanorũ pulsus æmulantes: vrinę sępius optimè coloratę, & sanorum vrinis similes: sitis parua, nec internæ caliditati, vel linguæ, & fauciũ ariditati congruens: hoc etiã habet non raró, quòd placidum habet ingressum, ita vt eius ac-

Febris pestilens in quo differat à maligna.

Febris malignæ ꝓpriâ accidentia.

cessiones veluti tertianæ, vel quotidianæ intermittentis suas habet intermissiones, & si non integras: at in posterum diù magis, ac magis ingrauescit; aut si quo tempore inualescit, ac vehementer ingruit, subitò remittatur, & absque vlla excretione, & coctionis nota sedetur febris, huic tanquam fraudulenti non fidendum cauet Hippocrates 2. aph. 27. sed fallacissimæ huius naturæ, fidelissimum nuntium habetur peticularum in cutem eruptio: tametsi alia sint signa hanc febrem comonstrantia, vt delirium, inquietudo, atque vigiliæ citra causam apparentem infestantes, & similia, quæ potius sunt mox apparentia huiusce febris inditia, quàm ꝓpria eius accidentia: his etiam hoc proprium adijciendum est, quod non multi ex hac pereant.

Pestilentis febris ꝓpria characteria.

Febris autem pestilentis characteria sunt hæc: mores huius non ita fallaces, ac fraudulenti existunt, sed signa tùm concomitantia, tùm subsequentia sunt fideliora: at accidentia, eo quod excellentior putredo, ac venenositas maior subest, sunt longè vehementiora, & pernitiosiora: nam vires subitò collabuntur: calor ab initio non vehemens: interiora autem ità vruntur, vt ęgri nec sindones possint sustinere, & huc illuc se iactantes, mira vexentur inquietudine: pulsus quandoq; & vrina sanorũ ferè sunt similes, licet non raro nunc languidi, nunc validi, & sæpius incostantes, & inæquales, celeres, & frequentes: sic lotia modo tenuuia, modo crassa, & iumentorum vrinas referentia, & sæpè subiugalia: sitis vt plurimum insedabilis: lingua aspera, nigra: vigiliç, capitis grauitates, sopores, totius corporis lassitudines, anxietas, spiratio inæqualis, & sæpè difficilis, deliria, atque variæ in cutim efflorescentes maculæ, aut pustulæ, bubones, carbunculi, gangrenæ, parothides, oris fætor, crebri, olidique sudores, nihiloque morbum soluentes: stillæ sanguinis è naribus; egestiones colliquatæ, praui coloris, atque grauitèr olentes; vermes, & similia praua, & pernitiosa symptomata, quæ non nisi penphengodem, hoc est aspectu horribilem, & funestam febrem portendunt, ex qua plurimi de medio tolluntur.

Ex quibus igitur conspicuò apparet, quàm longè differant

inter

inter se pestilentis, & malignæ febris Ideæ: vnde parum rectè mihi videntur facere illi Medici, qui propria febris malignæ accidentia cum pestilentis accidentib⁹ confundentes, nedum malignam febrem à pestilenti non discernunt; verum etiam quamlibet febrem, cui grauia quæq; sunt symptomata, vt capitis dolor, vigilia, sitis, inappetẽtia, linguæ scabrities, vel nigredo, sopor, aliqua mentis alienatio, & similia, statim proferunt esse malignam: & tamen hæc nullius malignitatis sunt notæ: nam ea tantum sunt malignitatis inditia, quæ sub bonitatis spetie, tandem prauitatem euomunt, quæ licet in pestilenti quoque non rarò conspiciantur, non tamen illi, sicut malignæ propriè competunt; quia quemadmodum eorum pernitiositas constituit pestilentem; ità eorundem dolositas malignam: non igitur dolositas, siuè malignitas in febre maligna exprimit solum morem, sed etiam spetiem: quoniam per morem malignum, seù dolosum constituitur vna febris spetics, quæ dicitur maligna. Nec quis miretur ex vno huiusmodi accidentium more vnum febris genus constitui, quoniam Hippocrates quoq; ex vno tantum accidente, vnam constituere consueuit febris spetiem, vt videre est in 6. epid. com. 1. text. 29. vbi ex singulis caloris, & cutis qualitaribus, sic singula constituit febrium genera, cum dixerit febres alias esse mordaces, alias mites, alias increscentes, quasdã acutas, quasdam feruidas, nonnullas debiles, quasdam aridas, aliquas verò salsuginosas, alias penphengodes, alias humidas, quasdam rubras, quasdam albas, aliquas liuidas, & id genus alias. Porro si nulla daretur propria febris malignæ forma, quorsum de hac tot libri ab excellentissimis Viris fuissent exarati, & typis consignati, totq; consultationes, & curationes traditæ?

Medicorum quorundam error.

Malignitatis inditia.

Cum igitur constet tàm malignum, quàm pestilens in febre, tùm morbi morem, tùm spetiem connotare, consequitur, quòd vtraq; febris diuersis significationibus reduci possit ad morbos; & sporadicos, & epidemicos, & pestilentes: ad sporades quidẽ, prout citra pestem, & epidemiam huc illuc sunt dispersę: ad epidemicam verò dum vtręq; popularitèr grassantur: sed pestilens dum diuulgatur, fieri nequit, quin simul etiam non pestilentialitèr

Ad quos morbos reduci possit febris pestilens & maligna.

ſiter graſſetur, & ad pestem ſimul reducatur: febris autem maligna poteſt abſq; peſte populariter vagari; tametſi poſſit etiam ad peſtem reduci, quando ſcilicet ipſę febres in peſte more maligno procedunt; ſed tunc non malignę, ſed peſtilentes ſunt nuncupandæ.

Verùm vt ad rem noſtram reuertamur, videndum eſt, an noſtra hæc Pleuripneumonia fuerit peſtilens, aut maligna? Etenim licet epidemica fuerit; non tamen peſtilens: & licet ipſa ratione affectus, præſtantiæ partis, & cacoethię fuerit morbꝰ malignus, & exitialis, ſicuti ſua natura eſt talis, non tamen pernitioſus, & peſtilens: nam pleuritis, & peripneumonia acuti quidem, & ſporadici morbi ſunt, ſed plures ab his perdi docet Hipp. in primo acut. text 9. quàm ab ipſa peſte. Sed quiſpiam dicere poſſet, quomodo peſtis pauciores interficit, quàm pleuritis, ac pneumonia, quæ ſunt morbi diſperſi, ſi peſtis eſt, quæ vulgariter graſſans, permultos perdit; ſporades verò, qui nec populariter graſſantur, nec multos interficiunt? Cæterum ſi ipſi diſperſi morbi plures interimunt, quàm ipſa peſtis, cur illi non dicuntur vulgares, & pernitioſi; peſtis verò ſporadica, nec vulgaris, nec pernitioſa? Reſpondendum eſt, quòd ipſi morbi acuti, nempè pleuritis, ac pneumonia, cum ob vehementem eorum actiuitatem, & eſſentiam, quæ ſita eſt in interiorum inflammatione, & continenti febre, frequentius accidant, & interficiant, dicuntur plures ab his interimi, quàm à peſte, quæ quidem, etſi perpetuum hoc habeat, vt plurimos perdat; cum tamen rarius, quàm ipſa pleuritis, ac pneumonia, febriſq; continua, inuadere ſoleat, ipſa dicitur pauciores perdere, quàm ipſi morbi ſporades, & acuti.

Dubitatio.

Reſpiratio.

Quare licet epidemica noſtri tēporis Pleuripneumonia, aliquam Populi partem ſuſtulerit, non quatenus tamen pernitioſa, vel contagioſa, id fecit; ſed quatenus ex ſuapte natura, & ex partis affectæ dignitate, morbus eſt acutus, & exitialis, aliquos de medio ſuſtulit.

Ratione tandem cacoethiæ morbus eſt grauis, prout ex communitate cauſæ, & ex inſigni humorum putredine, & ex acciden-

tium mali moris subsequela, facilè coniectatur, & prout clarius etiam in posterum apparebit: ex quo quidem nullatènus dubitandum, quin hæc affectio ex malignorum genere non sit æstimanda.

Quod non fuerit contagiosa.

CAPVT XII.

QVamuis statutum sit hanc Pleuripneumoniam ex communi eius causa, & ex effatu digna putredine sibi malignam conditionem asciuisse; non ob id tamen asserendum est eam fuisse contagiosam; quoniam neque ex hominum conuentu, neque ex rerũ contractatione, vel contactu compertum est quempiam similem contraxisse affectionem: tùm quia si vnus aliquis Pleuripneumonicus in vna quapiam domo ægrotasset, nullus ferè repertus est, qui in eadem etiã cum ægro conuersatus, eandem contraxerit labem: & si qui eadem infecti fuissent, prçcæteris quippe & domestici, & consanguinei, nec non etiam Medici fuissent inquinati: & tamẽ nullus horum visus est huiusmodi morbosam affectionem vllo contactu contraxisse.

Vbi cõtagionis suspitio esse nequeat.

Cæterum vbi tanta non est in corporibus putredo, atque venenositas, quæ vim habeat virolenta, ac vehementis actiuitatis myasmata, hoc est halitus venenosos effundendi, ibi nulla subesse debet contagionis suspicio. Atqui certum est per id temporis in regionibus nostris corpora fuisse à tali putredine remotissima; præterquàm quòd in non nullis, qui ob insignem humorum putrescibilium redundantiam, vna cum Pleuripneomonia febri maligna, cum peticulis detinebantur, & in quibusdam quoq; pueris, & adultioribus nonnullis, qui morbillis, atque variolis, vermibusq; conflictabantur: qui morbi licet non vulgaris putredinis sint soboles, & licet alias, exceptis vermibus, sint ex sua natura contagiosi; non tamen visum est huiusmodi morbos inuicem fuisse per vllum contactum cõmunicabiles: nam in qua domo vnus, vel alter ijsce

morbis

morbis laboraret, non omnes in ea cohabitantes, vel conuersantes similitèr afficiebantur, nisi tantum puerorum, aut alius ætatis non nulli, quibus proxima esset morbosa dispositio. Dixi proximam dispositionem, quoniam natura contagij est, vt non nisi in aptissimè dispositũ corpus introducatur vis contagiosa: nam licet magnæ actiuitatis sit spiritus ille venenosus, q. ex infecto corpore effluit, multò tamen efficacior esse debet proxima corporis recipientis aptitudo, propterquam illa fit in recipiente materia cum agente similitudo, vel conuenientia, quæ dicitur Analogia, cuius intermedio facilis fit similis affectionis communicatio, de qua re cum in alio opere fusius pertractauerim, de hac modo nihil aliud imorabor.

De causis Pleuripneumoniæ.

CAPVT XIII.

Causæ horum morborum aliæ communes, aliæ particulares: communium, alia interna, ac immediata, vel proxima: alia externa, & remota. Causa communis interna, atque proxima est humor sanguineus superfluus, & vitiosus, qui vt plurimum est syncerus, persępè bilioso, haud rarò seroso, aliquando pituitoso, rarissimè melancholico permixtus; quiue ex maiorib⁹ vasis erumpens, & in peripneumonia pręsertim per venam arteriosam in pulmones, & in pleuritide per axillares, & iugularium ramos, & mammarias, atq; per ἄζυγον maximè transmeãdo in ὑπεζωκότα & in varias thoracis partes, & cauitates fluens, & decumbens, sua mole eas replet, & extendit, continuumq; soluit, vbi vasa, meatusq; obstruẽdo, calori transpiratum prohibet, anhelitum impedit, grauat, & naturæ infensus ad sui expulsionem eam prorritat. Ità eius qualitate vel percalida, vel acri, vel corrupta partes sentientes, membranas, & maximè pulmones inflammat, lacessit tussim, & discussionem exitat: at vbi propter eius cruditatẽ, aut crassitiem, aut fortem infixionem, aut obstructionem, aut

Causa communis interna.

facultatis infirmitatem frustratur expulsio, non nisi suppurationem, aut pręsertim suffocationem, aut aliud pernitiosũ euentum succedere necessarium est.

Qui quidem affectus iuxta affectuũ naturam, & humorum qualitatẽ, & quantitatẽ, non ęquè omnib⁹ eandẽ seruant doloris, ac aliorũ symptomatum formã: etenim aliquibus, vt supra dicebamus, dolor persentitur in latere dextro, aliquibus in sinistro: alijs in superioribus costis, alijs in inferiorib⁹: nõnullis ad humerum, uel ad clauiculam, & aliquando sub spatulam, & ad dorsum: quibusdam in medio pectoris: aliquibus dolor adest pungitiuus, dum scilicet membranæ soluuntur: nonnullis grauatiuus, & obscurus, & quibusdam horum non nisi aliquot elapsis diebus persentitur; quod fit, vel quia humor spatio temporis, acredinem, & prauitatem adeptus sit; vel quia in sentientem locum mox transfundatur: aliquibus tandem musculi intercostales occupantur, quod ex dolore laxatiuo, & tussiendi, inspirandiq; difficultate deprehenditũ.

At quia membranarum thoracis aliæ sunt externæ, & extrinsecus costis adhærentes, periostium vocant: alię internę, vt ipsa pleura, mediastinum, atque diahpragma; si phlegmone sit in periostio, dum æger in latus affectum incumbit, intercæpta nimirum materia, ac latius diffusa, ampliatur dolor. At si pleuram obsideat, ægro in latus sanum conuerso, suspenditur tumor, membranaq; distenditur, & sic soluta eius continuitate, fit dolor: quodquidem fit non quia, vt plures inexperti Medici credunt; membrana scilicet costalis bifida sit, & duplicata; propter quod si tumor in ea sit parte, quę adhæret costis, ęger in eadem nequit pati decubitũ: si autem alterum occupet, insanum ægrè, in affectum facilè decumbet: non enim pleura duplici constat membrana, vt quidam perperam crediderunt, itàut eam subeat tumorum diuersam situationem: sed hoc fit, vt dixi, propter cùm membranarum, tùm earum situs diuersitatem: in illo siquidem phlegmone fit in periostio, & musculis intercostalibus internis, vel etiam externis: in hoc verò fit in membrana costas succingente; in

Pleura non est duplicata

qua

qua vbicunq; fiat tumor, is nullā facit decubitus differētiam; sed in eius decubitu, dū nō adhuc in molē auctū est phlegmone, augetur dolor; tùm ob eius lateris cōmotionē, tùm ob pulmonis superconcidentiā: dū autē adauctū mole grauitat, aduersus decubitus, ob suspensionem, maiorem adfert dolorem.

Fieri tamen potest, vt aliquando pleurâ solum inflāmatâ, in eam partem decumbens, minus doleat, in aduersam autem atrocius, ob tumoris scilicet magnitudinem, & suspensionē.

Cum autem sanguis percalidus, & biliosus in mediastinū ingruat, ob maiorem copiam, quàm eius vasa valeant continere, interdicitur calori transpiratio, & sic in eo succrescit inflāmatio, à qua propter cordis viciniam acutissima, ardēsq; suscitatur febris, magnaq; anxietas, & inquietudo, cum infrenabili siti, ac respiratione difficili, atq; frequenti, & æstuoso spiritu ex ore prodeunte: atqui cum membranæ ipsius, non vt pleura, costis sint protensæ, sed laxæ, non ità cōtinuitatis solutionē patiuntur, vt tristis sensus excitetur: & ob id dolor nō fit pungitiuus, sed in respirando, ac tussiendo molestus.

Diaphragma quomodo inflammetur.

Diaphragma autem licet vt plurimum ab alijs partibus sibi contiguis suas per consensum contrahere soleat inflammationes, vel tumores: attamen fieri potest, vt quandoque etiam per idiopathiam huiusmodi morbis afficiatur: quodquidem fit à sanguine bilioso, tenuiq; & sępè inconcocto, qui copiâ vasa replens, obstruit, & caloris perspiratum inhibendo illius accensionis fit occasio: prӕter quod etiam suâ percalidâ & acerrimâ qualitate potest in eum parere inflammationem.

Cur ex diaphragmatis inflāmatione subsequatur delirium.

Quod enim ex aliarum partium, & præsertim pulmonis inflammatione per contactum inflammetur diaphragma, ex superueniente delirio, id facile conijci potest; non quia, vt credit Galenus, ab humoris calidi feruore elleuentur vapores ad caput, qui cerebrum replendo inducant delirium: quod si verum esset, sequeretur in omni viscerum internorū inflāmatione ab humore calido generata extollerētur vapores ad caput, & ita semper excitaretur delirium, quodquidem falsum est: sed vt ego arbitror, huius ratio est, quòd ob consensum,

ſum, quem habet diaphragma cum cerebri membranis, inflammato ipſo diaphragmate, aut inflammãtur quoque ipſæ cerebri menĩges: qua ratione veteres diaphragma φρένας appellarunt, eo quod ipſo inflammato, mens turbaretur, ac delirium fieret: aut ab ipſo diaphragmate inflammatione conuulſo, conuelluntur, & ipſę ſimul meninges, à qua conuulſione prohibita caloris euentatione ſubſequitur inflammatio, & ſubinde ſpirituum animaliũ perturbatio.

Muſculorum intercoſtaliũ inflammatio quomodo excitetur.

Haud rarò etiam euenit, vt intra muſculos intercoſtales, ſiuè internos, ſiuè externos ſanguis bilioſus, & crudus, vel excremẽtoſus, aut motu, vel labore incalfactus, atque tenuatus, aut quãtitate in vaſis exorbitans, facilè ingrediatur, ac eorum venas immodicè replens, inhibitæ calidi tranſpirationis, & ſubinde eiuſdem ſuccẽſſionis, ac inflammationis ſiat occaſio: vel, vt ſæpè accidit, accedente aliqua extrinſeca refrigeratione, in ipſis ſubtilioribus venis concreto aliquatenus ſanguine, ſuccreſcat ipſa tum caloris ſuffocatio, ac intenſio, tum ipſorum muſculorum inflammatio.

Cæterùm dolor modò inſtabilis eſt, & vagus, tùm propter cauſam inflammantem, aut alio modo continuum ſoluentem, ſiue ſit qualitas prima, nempe ſumma caliditas; ſiue vapor, aut flatus, aut ſuccus aliquis tenuiſſimus, & mordax: modò fixus, & ſtabilis; quando ſcilicet à materia fit diſtendente, aut inflammãte, aut vellicante: quæ ſi putrida ſit, cum dolore febrem ingenerat: ſi non putrida, ſine febre dolorem facit.

Non rarò quoque contingit, vt in ea parte, qua inflammatus pulmonis lobus pleuræ adhæret, excitetur inflammatio, atque dolor fixus, & pungitiuus, qui ceſſante pulmonis inflammatione, euaneſcat, & durante perſeueret: quodquidem hiſce temporib⁹ in pleriſq; ægrotantibus obſeruaui, partim ſcilicet ex ſignis exterioribus, partim ex ſectionibus a me factis.

Sputi varietatis cauſa.

Sic ſputus ex vario cùm humoris, tum agentis genere, varios ſortitur colores, variamq; ſubſtantiam: niger ex atra bile, albus ex pituita: ita tenuis, & crudus ex humorum copia, & caloris imbecillitate generatur: craſſus autem ex caloris incraſſantis vbertate, & humoris modica quantitate: vbi verò ſummus eſt calor,

exigu-

exiguus autem humor, non nisi paucus, aut nullus fit sputus, ac difficilis excreatus, quemadmodum salsus, aut acer, ex intenso calore, & siccitate, vel vstione: insulsus autem, vel dulcis ex pituita, & amarus ex bile.

Præterea tussis motus est discussiuus pulmonis à causa lacessente ad illum motum prorritati: quę causa vel est humoris, vel fuliginis, vel caloris acredo.

Tussis causa.

Difficilis autem, frequens, celerque respiratio fit ex spatio thoracis ob inflammationem, haut humoris repletionem angustato; vnde quod angustia detrahit, spirationis celeritas, & frequentia compensat; accedente huic ob febrem adaucto necessitatis vsu.

Respirationis difficultas vnde.

Strepitosa autem respiratio, quam rhogmon vocant, fit quia pulmonum bronchia non nihil obstruuntur, vel humore viscido occupantur, quod accidere sæpius solet, dum quis resupinus dormit.

Oregmon vnde fiat.

Continens, & acuta concomitatur febris, ob inflammationis viciniam, & permanentiam.

Pulsus tādē redditur durus, vel serrinus in pleuritide exquisita, non quia solum pleura inflammatur, sed quia cuncta vitalia vasa à summo calore exciccantur. In pulmonis autem inflammatione fit mollis, tum ob substantiæ eorum mollitiem, tum quia non ita exsiccantur arteriæ: fitq; languidus ob spirituum vel consumptionem, vel raptum, qui fit à pulmonis inflammatione è finibus cordis.

Cur pulsus durus & serrinus in pleuritide et mollis in peripneumonia fiat.

Vnde quando simul cum pulmonis inflammatione inflammata quoque est membrana costalis, pulsus redditur omnibus hisce qualitatibus mixtus, & mediocris, præterquam quòd ratione impensæ inflammationis, & febris, euadit magnus, frequens, celer, & subdurus.

In septi autem transuersi, & mediastini inflammatione fit in omnibus remissior, quàm in pleuritide, & pneumonia.

An Pleu-

An Pleuripneumonia fiat à catarrho?

CAPVT XIV.

EX caufis communibus internis vna peculiaris exiſtimatur à multis, quæ oritur ex catarrho: verùm quia de hoc à nonnullis in controuerſiam reuocari video, nunc ſe mihi offert occaſio perſcrutandi num huiuſmodi pleuripneumonica affectio ortũ ducat à catarrho, nec ne? Auicen. lib. 3. fen. 2. tr. 11. cap. 11. ſcribit à catarrho anginam, pleuritidem, & peripneumoniam generari: quod multo prius Hippocrates de loc. in hom. ſignificauerat: & ratiomet ipſa videtur cõprobare, quia cum ex quotidiana obſeruatione, & ex Ariſtotele ipſo in lib. de ſomn. & vigil. cap. 4. cõpertũ ſit iugem dari ab imis partibus ad caput ἀναθυμίασιν hoc eſt euaporationem, ac in cerebro fieri vaporum cõdenſationem, & in ſubiectas partes defluxionem, eo perinde modo, quo in ſecunda aeris regione condenſantur vapores, & in pluuiam conuertuntur, vnde perenni quoddam circulo inſtar Euripi fiat mutuus inter ſuperas, ac inferas partes fluxus, & refluxus; aliquando euenit vt ob copioſum cibum, & potum, & præſertim calidum, & vaporoſum tam copioſa fiat ad cerebrum effumatio, vt tanta in eo coaceruetur ſeroſa, aut pituitoſa materies, quæ, ſi dum mole, aut qualitate cerebrum laceſſit, ad ſubditas partes deijciatur, ex quo fit, vt hæc quandoq; ſpiritus vias intercludẽdo, atque tracheam, & bronchia infarciendo, difficilem reddat reſpirationem, & ſæpè ſuffocationis ſenſum.

Anathymiaſis ad caput quomodo cauſa ſit deſtillationis.

Quod vapores ex ventriculo, hepate, & alijs viſceribus elleuentur, & petant caput, ex hoc deprehenditur, quòd ab ingeſtis cibis, & potibus calidis, & humidis, atq; odoroſis, vt poſt opiperam cænam, meratioremq; vini potum, vapores ſtatim in caput ferãtur, ex eo cõſpicimus, quòd inde confeſtim ſubſequatur capitis dolor, aut grauedo, aut vertigo, & quandoq; mentis alienatio, & hoc præſertim ijs contingit, quibus natura eſt calidior, & humidior, feruidumque ineſt hepar, & ſanguinis abundantia.

Anathymiaſin ad caput indicantia.

Vias

Vias autem, per quas à capite materia defluit ad pulmones, & ad alias thoracis partes, volunt esse tum abditas, tum conspicuas: hæ sunt cribriformis ductus, nares, palatum, os, fauces, asperaq; arteria: illæ verò sunt venæ, & arteriæ, præter alias quasdam incognitas vias, per quas subter cutem in vertice per ceruicem, ac tempora irreptantes, in faciem, collum, guttur, ac in totum dorsum, & ad omnes subditas partes humores tam serosos, quàm crassos eatetenus diffundi, ac eos exterioris destillationis fomitem esse, vt rem nouam commentus est Fernelius suæ patholog. lib. 5. cap 4.

Viæ defluxionis à capite ad thoracem.

Vsq; adeò igitur apud omnes inualuit falsa, fallaxq; hominum vulgi, & Medicorum ferè omnium obseruatio, vt huiusce rei perinde ac multarum aliarum rerum fraudulenta opinio in mente hominum radicitùs inueterarit: etenim in quouis pectoris affectu, in quo aut difficilis, aut crebra, aut strepitosa, & quouis alio modo vitiata reddatur respiratio, esto vel nulla adsit in pectore humoris affluxio, perpetuò astruunt materiam catarrhalē à capite ad pectus destillare, & huiusmodi symptomata parere: quod eò magis affirmant, quando vexante tussi, per hanc excernitur materia, & cum stertore respiratur, nulla habita de alijs causis idem generantibus ratione, quasi quòd ex nulla alia corporis parte, nisi ex capite, ad pectus possit fieri humorum defluxio: quod tamen tantum à veritate distat, quantum verius est partes omnes, quæ intra thoracem sunt, cerebro esse calidiores, & latioribus vasis vberius scatere, & illuc tanquam ad centrum sanguinem, spiritum, & quemuis alium humorem vndequaq; confluere. Non ne iam omnium consensu, quin sensu ipso liquet Cor vniuersi caloris, & spiritus fontem, & originem in medio pectore velut Sol collocatum cunctis partibus medio venarum, ac arteriarum ductu suum viuificum nectar impertire, & ad hoc veluti punctū venas, ac arterias tot linearū instar ab eo deriuātes conspirare? Hocq; pulmonem molle, rarumq; viscus infinitis propemodum vasis, arterijs scilicet, & venis vbiq; refertū, ac ꝑuium in suo sinu excipere, qui tanquam follis se diducēdo, & cōtrahendo, aerem ꝓ illius refrigerio nunc recipiat, nunc detrudat?

Falsa omniū opinio de catarrho.

Suffocatio, & mors repētina vnde fiat.

Sic non rarò contingit, vt ob lautiorem, quàm opus sit cibi, potusq; & præsertim meracioris ingestionem tanta sanguinis, & spirituosæ substantiæ in omnibus dictis, quę in pectore sunt, vasis, congeratur copia, vt præ multitudine repleat, & ipsos pulmones, & eorũ vasa, cæteraq; pectoris conceptacula tumidiora reddat; quo fit, vt nisi ipsa disrumpantur, aut reserentur, & immodica fiat hæmorrhagia, vix euitari potest, quin aut inhibita caloris transpiratione, ipse calor obruatur, aut obturatis in extremitatibus vasis, & præsertim asperâ arteriâ qua parte in fauces desinit, ob conniuentiam interclusâ, suffocetur calor, & mors obrepat repentina; quod abusiuè Medici ex suffocatiuo catarrho fieri dicunt: quem sæpè etiam ex pituitosæ viscidæq; materiæ prouentu ex vena arteriosa, leuibusq; arterijs emergente, ac in pulmonis bronchia affatim irruente fieri compertum est: vel ob crassitiem, & lentorem facta in pulmonis, aut aliorum pectoris partiũ, vasis obstructione, excitetur inflammatio, atque febris: vel, quod sępius euenit, inchorosa quędam humiditas ex ipsis vasis per διαπηδησιν in omnes thoracis cauitates trãscoletur, aut in brõchia pulmonum traijciatur, & sic difficilis, & rhogmonosa fit respiratio; quæ postmodum à calore incrassata, ac per tussim, & sputum excreta, fit morbi solutio.

Respirationis difficilis, & rhogmonis causa.

Thorax peculiaris sanguinis elaborationis, & excremẽtosi prouẽtus officina.

Si igitur planum est intra thoracem latiora inesse vasa, ac affluentius illic sanguinem, & calorem adaggerari; ibi rationabile est hæmatosin perfici, & plusquàm in hepate, & porta sanguinem percoqui, & exactius elaborari: & proinde haud modicum excrementi ex eiusmodi coctione, & elaboratione ibidem credendum est superfluere: cum enim duo maxima vasa, caua nimirum, & aorta ex finibus cordis oriunda hęc scilicet ex sinistro oritur, illa dextrum permeat, secus spinam, subterq; pulmonem ad iugulum ascendant, dum plurimo sanguine, & spiritu sunt repleta, parest intra thoracis cauitates ab eis multum ichorositatis exsudare; præter eam, quæ per sudorem, & ab emulgentibus per renes, & vesicam excernitur. Ita ex alijs duobus insignibus vasis, vena scilicet arteriosa, quę

sa, quæ ex dextro cordis ventriculo egressa, in posteriorem pulmonis partem diffunditur, & ex arteria venosa, quæ è sinistro cordis specu deriuata in anteriorem pulmonis regioné disseminatur, rationi consonum est, dum multâ turgent materiâ, in totam pulmonis substantiam quicquid superfluit, & exsudat, excolari, & postea pulmonis excussione in bronchia, & in asperam arteriam reijci, & per sputum tandem expurgari. Quę autem materia excrementitia, dum è vasis in pulmones delata, vel sua mole, vel cruditate, aut lentore, & crassitie neutiquam possit deijci, cogitur ipsa vasa angustiora, ita replere, & obstruere, vt inhibitâ caloris transpiratione, in causa sit, vt ipsius caloris fiat accensio, & pulmonis inflãmatio.

Quomodo fiat pulmonis inflammatio

Hæc enim materia superfluens, cum ob eius inquam crassitiem minimè possit per vrinam, & per aliam partem expurgari, necessum est per illorum vasorum laxitatem, & lęuitatem in laxiorem, & leuiorem pulmonum substantiam transfundi: quod autem fiat ex eiusmodi vasis in pulmonem traiectio, ex Laurentio in anatomica facultate præstantissimo conijci potest, dum in eius anat. hist. lib 3. cap. 12. hæc habet. Et ꝑpterea ad hoc vasa pulmoni capaciora à natura sunt constructa, quam eius moles expostularet, vt per ea fieret substantię perennis effluxio. Sed quid plura? Non ne ipse sapientissimus Senex expresſè primò de morbis docet pulmonis inflammationem, aut erysipelam fieri, dum plurimus sanguis in ipsum trahitur è venis magnis, quæ illi maximè vicinæ sunt, ipsiq; superincumbunt, quas nonnulli interpretantur esse præcipuè venam arteriosam, trahi quoq; subiungit ex alijs vicinis maximè tenuem, & debilem, hoc est ichorosum sanguinem?

Hinc mirari non est si sæpè contingat, vt in multis tempore hyemali, aut vernali, postquam vberiori, quàm oportuerit cibo, potuq; fuerint infarciti, vsq; adeo dicta insigniora vasa sanguine obtumescant, vt omnes tum grandiores, tũ subtiliores pulmonis, & capitis venæ, & arteriæ repleantur, & obstruantur; itaut hæc omnia illis contingant, hoc est, &

Morbi frigoris vocati symptomata & generatio

capitis grauedo, atque dolor, & illa vasorum, & meatuum oripilatio, & difficilis respiratio, & raucedo, & tussis, & præcordiorum tensio, & totius corporis grauitas, & lassitudo, & inappetentia, & gustus, & odoratus deperditio, & omnium tandem naturalium expurgationum suppressio: quæ omnia illam affectionem constituunt, quam vulgus abusiuè malum frigoris vocat: tametsi non raro etiam in æstiuo tempore afficiat: quæ quidem symptomata non frigidi affectus, nec frigorificæ causæ sunt indicia, cùm ex impedita caloris euentatione potius excitetur in toto corpore caliditas præternaturalis, & quædam continua febris, quæ malè dicitur catarrhalis; sed sunt manifesta extremæ plenitudinis vasorum signa, & effectus: etsi non negem posse ex superueniente aeris insolita frigiditate facta per antiperistasin in vasis humorum, & caloris collectione, & colliquatione, (cum enim caput nimium incaluerit, in eo pituitam liquescere inquit Hippocrates in princ. primi de morb.) aut ex austrina constitutione laxatis meatibus, & vasis, excitari catarrhum: sed hunc ab aere quidem, vt à causa exteriore: à vasorum autem repletione, vt ab interna causa fieri pro certo habendum est:

Quod si natura aliquam molita coctionem, aut copiâ, vel qualitate lacessita, excrementosam materiã expellere incipiat, tunc augetur tussis, respirandi difficultas, & raucedo: moxq; per tussim, excreatum, & sputum paulatim expurgatur.

Medicorum ineptia de pductione catarrhi.

Ex his ergò deprædendas quàm ineptè credunt Medici quamcunq; materiam in pectore coaceruatam, vel ex eo prodeuntem non ab insignibus dictis vasis eius prodire, sed à capite tantum in subiectas partes præcipitare, perinde, ac pectus omni vasorum genere, & sanguinis, & caloris affluentiâ egens, & omni functione naturali destitutum, suos excrementorum prouentus ex vno capite emendicet: & tamen tota res hæc, mea sententia, opposito modo se habet: nam si αὐτοψία oculatâ fide, & Hippocratis testimonio in libello de corde comprobatum sit venam cauam, & arteriam magnam in pectore maximos esse humanæ naturæ fontes, & amplissima flumina, quibus totum corpus irriga-

Caput ex quib' vasis materiã exhauriat.

tur, quid dubitandum caput quicquid sanguinis, & spiritus in se habet, totum ex his maioribus vasis mutuari? quodquidem eò magis & minus in eius venis, & arterijs exuberabit, quò vberius, & partius in ipsis grandioribus vasis redundabit: & sicuti in his, vt dictum est, iugis fit sanguinis elaboratio, & excrementorum excretio, ità in illis, vt purior euadat sanguis, & vt ex illo spiritus reficiantur, necessum est in ijs exactiorem fieri percoctionẽ, & superfluæ materiæ secretionem, quam eò copiosius emergere par est, quò affluentius sanguis, & spiritus in ipsis vasis aggeratur.

Verùm præter eam, quæ ex secunda, & tertia fit elaboratione, excrementitiæ materiæ in cerebro secretionem, alia quædam non mediocris materia inutilis existimatur in ipso cerebro continenter generari, quam non ex secunda, vel tertia coctione excrementitio modo superesse creditur, cùm verè excrementum non sit, sed ex prima, & secunda alimentorum coctione, ex ventriculo scilicet, hepate, & cæteris hypochondrijs sub vaporis specie elleuari, & in caput deferri, eo perinde modo quo, vt paulò supra dicebamus, vapores è terra in secundã aeris regionem subleuantur, quã postea illius frigiditate condensatam suo pondere ad inferiora decidere, & illam affluxus, & defluxus reciprocationem fieri arbitrantur.

An detur vaporosæ materiæ ad caput ascensus, & ad inferiora descensus?

CAPVT XV.

VBi duo præcipuè sunt expendenda: vnum est, an re uera detur huiusmodi vaporũ ascensus, & descensus: alterũ est, si detur, an quod in capite congestum est, in thoracis partes destillet.

Quòd primum attinet, Anathymiasis licet ab omnibus in corpore nostro concedatur, & quadam similitudine fieri volunt ex inferioribus nostri corporis ad caput vaporum elleuationem, eo perinde nomine, quo illi è terris ad secundam aeris regionem efferruntur: attamen hanc potius in imaginationis cõmẽto, quàm in rei veritate sua habere fundamenta existimo: nam vt talis ab

infi-

Anathymiasi sex requiruntur.

infimis ad supera fiat vaporum elleuatio, sex requiruntur: primum ipse vapor: secundum materia, ex qua effluit vapor, quæ non alia esse potest, quàm quæ vel in venis, & arterijs, vel in cæteris cauitatibus reperitur: tertium agens calidum, disgregans, & in halitum conuertens, quale est calor influens: quartum terminus, à quo, vt venæ, arteriæ, ventriculus, hepar, & alia viscera, & cauitates: quintum terminus ad quem, vt caput: sextum est medium, vel spatium, per quod fit huiusmodi motus ab infimis partibus ad caput: hoc autem, vel sunt venæ, & arteriæ, vel aspera arteria, vel oesophogus, fauces, os, nares, & id genus aliæ si quæ sunt cauitates. Verùm harum sex conditionum tribus concessis, prima, & duo posteriora mihi non leuem afferunt dubitandi occasionem; quandoquidem, nec spatium vaporationi capax, & idoneũ videntur venæ, & arteriæ, quoniam cum hæ sint sanguine, spirituq; repletæ, haud superest locus, per quem & moueri possit ipse vapor, & à subiecta materia recedere: & tanto magis angustatur medium, quanto versus fines earum fit progressus: & si quid ab harum extremitatibus effluit, id non nisi fuliginosum, ac insensibile existens, per cutaneos poros exhalat, quod quidem esto in cerebrum emittatur, impossibile est ibi in corpulentam materiam concrescere; sicuti impossibile est omne, quod per digestionem euaporat, condensari.

Obiectio.

Si quis dicat in quas cerebri cauitates, vt maximè ventriculos, erumpunt venæ, & arteriæ, in eas vapores effundi, qui postmodum condensati, & corpulentiam adepti; pituitosam materiam efficiendo, eam catarrho paratam generant.

Responsio. Cuius substãtiæ sit vaporosa materia in cerebri sinus elata.

Responsio sit, quod illa, quam supponit in cerebri sinus, euaporatio, non est materiæ crassæ, & excrementitiæ, sed est purissimæ, vtilissimæq; substantiæ expiratio, vel affluxio, quã quidem substantiam vocant spiritus animales, quos nemo dixerit incrassam, & pituitosam, catarrhalemq; materiam degenerare; alioquin ipsimet spiritus animales, ac cerebri sinus ea repleti, vsq; adeo coinquinarentur, ac horum meatus occluderentur, vt perpetuò paralysis, aut appoplexia, aut alij

exitia-

exitiales morbi producerentur.

Neque ab hepate, vel liene, vel vtero aliæ patēt viæ, quę ducant ad cerebrum, quàm ipſæ venę, & arteriæ, quia præter ſeptum tranſuerſum, intercedit etiam thorax, à quibus intercipitur vaporum tranſmigratio. Hinc Crato tom. 1. conſ. primo de catarrho dicebat hæc. Cur vapores calidi, & humidi potius illi per ventriculum ab hepate ad cerebrum, quā per venas ad caput deferri videantur, cauſam non reperio. De his verò nullam controuerſiam moueo.

Via, quæ ducunt ad cerebrum.

Cratonis ſententia de euaporatione.

An ex ventriculo cùm ob eius amplam cauitatem, tùm ob ſuperni oris latitudinem dices liberam fieri ad caput euaporationem? Id niſi quadantenus poſſum admittere, hoc eſt quatenus pro illius capacitatis, & vicinitatis ratione, aliqua fieri poſſit ad os ingeſtorū ebullientium exhalatio, & præſertim eorum, quæ acutiſſimi, aut grauiſſimi ſunt odoris, vt alliorum, caſtorij, teriacæ, muſci, vini odoroſi, & ſimilium, quorum inſignis halitus nedum ad os, & ad nares peruenit, ſed ad caput etiam: at ipſe ſubtiliſſimus ſpiritus neutiquam poteſt in ſenſibilem, materialemq; ſubſtantiam condenſari, cum in eo non niſi quid ignei, aereiq; reperiatur: nam vbi nihil terrei ineſt, nulla fieri poteſt concretio: nec obſtat quod in ſecunda aeris regione in glaciem congelentur vapores; quoniā in ijs cū aqueo non nihil etiam terrei permixtum eſt; & ꝓpterea aquę ſtillatitię, & vina ſyncera, eo quod terrei nihil contineant, minimè conglatiantur: tum quia in cerebro non tantà actu frigiditas dari poteſt, quæ velut in aere medio condēſandi vim habeat. Qua ratione pro vana, ac futili habetur eorum ratio, qui dicunt euaporationis ad caput magnum eſſe argumentum poſt cibum, & potum ſtatim excitari dolorē, & grauedinem, & alia accidentia capitis, & præſertim quando ea, quæ ingeſta ſunt, halituoſæ ſunt naturæ: conceditur quidem hæc ſpiritalis naturæ causâ caput ferire, & illa accidentia in eo parere: at non probant corpulentam, pituitoſamq; materiam trāsferri ad caput, aut ipſam ſpiritoſam ſubſtantiam in cerebro condenſari, & in pituitam abire: quia

Quæ ex ventriculo poſ ſint ad caput enhalare.

Quæ concreſcere poſſunt

De euaporatione ad caput quorundā ratio fruſtratur.

Halitus insensiles cur feriant caput.

cùm totum corpus sit peruium, ac transpirabile, non est mirum, si halituosa, spiritalisq; substantia per venas, arteriasq; & occultos meatus possit ad cerebrum infinitis penè meatibus refertum peruenire. Atqui vaporibus crassis non datur additus liber, sicut halitibus spirituosis; nam à ventriculo ad caput non alia apparet via, quàm oesophagus, os, & nares; sed hæ partes non sunt aptæ, per quas possit vaporosa materia crassa transferri ad superiora, quoniam cum ipsum os ventriculi supernum partium eius conniuentiâ semper sit clausum, non sinit quidquam vaporosi è ventriculo ad os peruenire; alioquin sequeretur ex ore etiam inferiori, quod pyloron dicunt, fætidos fæcum vapores admitti, cùm pari tunicarum conniuentiâ claudatur. Quare nullius momenti est ratio eorum, qui in febribus ex linguæ, atq; palati nigritie, atq; sorditie manifestam ex ventriculo, & alijs partibus infimis ꝑ oesophagum euaporationem arguunt; quia talis nigredo, atq; sordities non à ventriculo, aut alijs hypochondrijs egreditur, cum ex ijs partibus, vt dixi, per oesophagum nihil expiret: sed fit à fuliginibus ex corde, pulmone, & ex cæteris partibus spiritalibus emissis, mediante scilicet expiratione, qua fuligines ex corde, & venis arterijsq; prodeuntes, ac per bronchia, asperamq; arteriam permeantes, in fauces, palatum, & linguam immittuntur, & in ijs velut camini fuligo impinguntur: verùm hæc fuliginosa exhalatio in os desinit, sicuti corpulentus vapor: quod optimè videtur à Latino Tancredo cõfirmari, qui in lib. 2. de fame, & siti cap. 28. scribit sitim in thorace velut in proprio subiecto suam originem trahere: vnde non mirum est, si ex æstuanti corde fuligines siccę, atræque eicijantur expiratu, quæ tum maximam faucibus siccitatem, atque linguæ scabritiem, nigritiem, situm, ac sitim inferant perinsignem. At dato, quod ipse crassus vapor è ventriculo in os transferatur, is non vltra palatum effertetur, sed in ipsomet palato velut ollæ cuperculo coalescens, in os destillaret: & hoc modo arbitror tenuiorem saliuam, quæ in ore colligitur, & expuitur, ex huiusmodi vaporum ex imis prodeuntium, ac in palatum desinentium concretione generari: præter illam quoq; crassiorem, ac viscidiorē

Euaporationis fallax inditium.

thorax proprium sitis subiectum ex Tancredi sententia:

excre-

excrementitiam humiditatem, quæ ex faucibus, & lingua partibus quippe spongiosis, & porosis iugiter emanat.

Nec obstat quod Sanctorius lib. primo meth. vit er. cap. 27: dicat humorem quendam pituitosum ex prima cibi coctione ab oesophagi fibris sursum trahi, qui paristhmia, & guttur permeando, feratur supra palatum, vbi vacuis eius opletis, inde sensim vlteriorem sibi viam parans, sub osse iugali in latissima oculorum foramina coaceruetur, ac inde ꝑ totum cerebrum dispergatur. Quoniam licet verum sit ipsum humorem pituitosum ex prima coctione, è ventriculo per dictas oesophagi fibras, & tonsillas, & guttur in os colligi, & per sputum reijci, impossibile est tamen eundem humorem in cerebrum per insolitas illas vias peruenire: quandoquidem cùm nõ aliæ dentur vię, quæ ferant in cerebrum, quàm venæ, & arteriæ, perperam mihi facere videntur illi, qui comminiscuntur excremeta alioquin ab omni corporis parte procul abijcienda, in nobillissimam partem ascendere, à qua potius quotidie videmus quamlibet exiguam superfluitatem, non modo per consuetos, sed quandoq; etiam per insolitos ductus sedulò expurgari: imò dementius, & furiosius natura operaretur, si dum per loca conuenientia, & per faciliorem, breuioremq; viam superfluam materiam commodissimè potest espurgare, nempè per os, & sputum, velit longiorib⁹, difficilioribusq; vijs abutendo, eandem in cerebrum prius reijcere, & spiritus animales, ac substantiam eius purissimam absq; vlla ratione, & necessitate coinquinare, vt postmodum per longiores, ac difficiliores ductus expellat.

Furiosi naturæ abusus quales essent.

Quare cum nulla necessitas cogat hanc vaporosam materiam crassam, vel pituitosam ad caput tranferri, eò quòd in os collecta facilè per sputum reijciatur, mirum esset quidem hanc absq; vlla indigentia caput appellere: sicuti nullius admirationis est de spiritosa exhalatione: sed mirificum quidem esset subtillissimam, inuisibilemq; substantiam in cerebro condensari, & in corpulentam materiam transmutari: imò mirabilius adhuc esset cerebrum, quod semper actu est calidum, & spirituum, sanguinisq; affluentiâ vndiq; semper opulentum, vim habere vaporosam

Quę in natura forēt admiranda.

substantiam sua frigiditate condensandi, & in pituitosum humorem conuertendi. Non ita enim amplè sumenda est Aristotelis sententia in secundo de part. anim. cap. 7. quòd cerebrum à natura sit contra cordis caliditatem constructum, vt eius frigiditate ipsius cordis feruorē contemperet, vt existimetur eam esse actualem frigiditatem; quod quidem in viuente homine intrinsecus non datur. Quam Philosophi sētentiam multis rationibus conuellit Galenus 8. de vs. par. sed eatenus cerebrum cordi refrigerando constructum esse intelligendum est, quatenus, sentiente Auerroe, spiritus, & sanguinis à corde ad cerebrū effluentium caliditas à cerebri substantia medullari, & spermatica obtemperetur, & ab eius humiditate, secundum Alberti sententiam cordis siccitas humectetur: sed re vera non cordis caliditas obtemperatur à cerebro, sed ipse tantum spiritus, & sanguis in cerebro temperatus, nequit ad cor eius refrigerationis, humectationisq; gratia refluere: quare tantū abest, vt cor à cerebro refrigeretur, vt potius cerebrum à corde spirituum, & sanguinum interuētu incalescat, & exsiccetur: quod eo rationi consonantius videtur; quoniam calidior, & tenuuior sanguis, & spiritus est qui ad cerebrum fertur: qui quidem sæpè vsq; adeò abundat, ac viget in capite, vt illud calidissimum, siccissimumq; reddens, multorum, ac vehementium affectuum fiat occasio: quare hac ratione cerebro incalefacto, tàm distare videtur, vt vaporosa materia ab ipso cerebro incrassescat, & in pituitam vertatur, vt potius ab eius caliditate tenuetur, & in halitum digeratur: sicuti crassior magis solidetur, & in mucum abeat. Præterea si daretur illa ab infimis partibus, & præsertim à ventriculo, aut ab alijs viscerib' vaporum ad caput eleuatio, omnibus indifferenter perennis fieret à capite destillatio, cum omnibus semper fiat euaporatio, licet aliquibus maior, aliquibus minor pro ratione ingestorum, & dispositionis viscerum.

An cerebrū p cordis refrigerio sit constructum

Sanguis, & spiritus feruentior fluit in cerebrū.

His ergo sic stantibus, non videtur æqua comparatio meteorologicæ euaporationis cum ea, quæ fit in corpore nostro; quia

Anathymiasis in nobis, ac in aere nō æqua comparatio.

quia in illa vapor est crassus, & terreus; in hac verò aereus, & aqueus tantùm, qui nullam admittit concretionem: & si quandam habeat consistentiam, hic non vltra palatum egreditur; sed vt dixi; per sputum eijcitur: ita spatium in illa amplum est, & liberum; in hac verò angustissimum, & multis interstitijs præpeditum: sicuti terminus ad quem in illa est secunda aeris regio actu perfrigida; in hac verò cerebrũ actu semper calidum, & potius disgregans, quàm cõdensans: quare non illius exemplo peræquè se se habet illa quæ fit in nostro corpore vaporatio; & hæc quo ad primum quæsitum.

Conclusio veritatis

A qua causa fiat in cerebro materiæ catarrhalis prouentus.

CAPVT XVI.

CVm ijs igitur rationibus tanta nequeat ex vaporibus eleuatis in cerebro coaceruari pituitosa materia, quæ tam copiosæ destillationi gignundæ sit suffectura, aliunde petendus nobis est istius cerebralis materiæ prouentus.

Causam internam, ac immediatam huius catarrhalis materiæ in cerebro redundantiæ, paucis verbis explicat Auicennas in lib. 3. Fæn. 5. tract. primo cap. 11. vbi scribit. Cerebrum frigidum non digerere illud, quod peruenit ad ipsum ex nutrimento. & non resoluere quod ad ipsum ascendit ex vaporibus: quibus duplici causa fieri catarrhũ significat, hoc est ex alimenti coctione vitiata, & ex vaporatione; quod vtrumque comprehendens Aristoteles in 2. de part. animal. cap. 7. inquit fluxiones etiam ob eam rem ex capite oriuntur in ijs corporibus, quibus cerebrum frigidus est, quàm temperamentum modicum postulet; cum enim alimentum per venas sursum respirat, vbi excrementum ob eius loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ, saniejq; mouet. Verùm explosa tanquam re vana huiusmodi euaporatione, nunc videndum restat quomodo cerebrum sua frigiditate, aut imbecillitate, vel intẽperię ipsius pituitosę materię sit ferax: (nolo

Causa catarrhalis ꝑuentus in cerebro ex Auicenna.

Catarrhi causa ex Arist.

Quomodo cerebrũ gignat materiam catarrhalem.

enim in præsentiarum disputare num ventriculus, an cerebrum sit pituitosi generis officina, cùm sciam in quocũq; loco fit coctio, ibi fieri excreméti secretionem.) Cùm enim cerebrũ quoad eius temperaturam, ac naturalem statum optimè se se habuerit, eius functiones, & præsertim naturales rectò modo procedent: quã do autem è contra se habuerit, omnes illius actiones cõuitiabuntur: quod quidem vitiũ ex frustrata cerebri alteratrice procedit. Sed quoniã ipsa alteratrix facultas ex Gal. 3. de sympt. caus. cap. 1. frustratur, vel ab ipsius propria læsione, vel ab errore externo. Modo relictis erroribus externis, vtpotè qui deriuant à reb⁹ quibuscunq; extrinsecus accedentibus, quæ materiam in capite tum quantitate, tum qualitate peccantem generãdi vim habent, quales sunt præceteris rerum sex non naturalium abusus, superest exquirendum, in quo consistat ipsius facultatis læsio: pro facultate scilicet naturali hîc Medici temperamentũ intelligunt, quod cum in symetrica quatuor qualitatum elementarium proportione consistat, quarum vnâ, vel pluribus ab huiusmodi proportione recedentibus, tota destruitur temperatura, & tunc dicitur dyscrasia, quæ vel simplex est, vel composita, proùt vna, vel plures ex dictis qualitatibus alterantur.

Quibus frustretur facultatis alteratricis actio.

Modo cum ijsce omnibus qualitatibus, tàm simplicibus, quàm copulatis possit cerebrum dyscrasiari, de frigida, & humida tantum, proùt ad nostram spectat disputationem, nunc est disserendum: quare cùm coctio sit innati caloris opus, Medici arguunt ex Arist. doctrina in 4 meteor. cap. 1. cruditatem esse frigiditatis sobolem: cerebro igitur non coquente, huius impotentiã dicunt ex frigida intemperie generari: & proinde catarrhus à Gal. comparatur lienteriæ, eo quòd ventriculus eadem afficitur frigidâ dyscrasiâ, qua cerebrum in catarrho; & hac ratione dicunt senib⁹, ac in tempore hyemali contingere catarrhos, quoniã in his prædominatur frigidum, sicuti id clarius ex his, quæ iuuant, & lædunt, depræhendi videtur, cùm ventriculum, & caput à calidis iuuari, à frigidis verò non parum lædi asseuerent: præter excrementa, quæ siuè ex ventriculo, siue ex capite prodeant, vt ex illo flatus, acores, & rugitus; ex hoc verò pituita, mucus,

Coctio; & cruditas cuius opus.

Catarrhi symptomata & cerebri, ventriculiq; excrementa an sint frigiditatis ã imbecillitatis inditia?

mucus, & alia excrementa; omnia ſint frigiditatis inditia.

Ego autē hæc omnia dico eſſe caloris innati imbecillitatis quidem, non frigiditatis argumenta: nam cùm plurimũ diſtet frigidum ab imbecilli, non recta videtur argumentatio: caput eſt debile, ergo frigidum: calor vētriculi imbecillus eſt, ergo frigidus: ſic enim ſequeretur omnem partem, aut omnem calorem debilē eſſe frigidũ; & ità quemlibet calorem febrilem, heparq; æſtuans eſſe frigidum: nam ſi per eos omne debile eſt frigidum; febriens hępar, calidumq; febrile, quę ſunt debilia, eſſent frigida. An fortaſſe ex frigido arguent imbecille, non autem è conuerſo? Hoc nō ꝓbatur, quia ſic tēpore hyemali corpora refrigerata eſſent plusq̃ in ęſtate debilia, & tamen è contra ſe habent; ſic manus refrigeratæ eſſent imbecilles, nec poſſent nutriri; ſicuti piſces, angues, ſalamādra, & id genus alia frigidiſſima animalia eſſent infirmiſſima quod tamen non eſt verum. Porrò quæ cerebro frigiditas ineſt, ſi catarrhum patientis caput ad tactum percalidum eſt, & quadā febriculâ afficitur, inappetit, vigilat, nares incēduntur, & alia caliditatis accidentia ſubſequũtur? Præterea ſequeretē calorē febrilem eſſe cęteris calorib⁹ validiorem: nam ſi ex frigore, vel remiſſo calore debilitas oritur, vtiq; ex calore intēſiori fiet validitas, & robur; quę omnia ſunt nugationes, & ineptię. Cũ igitur cōcludatē ex imbecilli nō poſſe frigidum argui, ſicuti è conuerſo nec imbecillum ex frigido, ſequitur vt dicamus calidi naturalis imbecillitatē ex ipſius calidi deprauatione, imò potius imperfectione proficiſci; quoniā ſi concoctio teſte Ariſt. In 4. met. cap. 3. eſt perfectio rei facta à calore naturali, certè nō niſi à calore perfecto fieri poterit; quia cùm agens naturale agat in paſſum, vt id ſibi ſimile reddat, calor innatus, vt ſe ipſum tueatur, vtque ſpirituoſam ſubſtantiam pro ipſius pabulo ex ſubiecta materia coctili exhauriat, eouſque in opere coctionis perdurat, quouſque ex eadem recoctibili eam calidam, & ſpirituoſam ſubſtantiam expreſſerit, quæ ſibi congrua exiſtat, quod videtur à Galeno ſignificari in 8 de comp. med. cap. de hepate, dum inquit, coctionem eſſe alterationem, quæ eouſque procedit, donec in ſimilitudinē partis, quod concoquitur, ſit tranſmutatum: hocque confirmat

Authoris opinio.

Calor innat⁹ quomodo ſe tueatur.

Aui-

Auicen. dicens coctionem esse substantiæ adæquationem; & propterea non mirandum si ea, quæ exactè sunt concocta, plurimo, & perfecto calore, & spiritu sint prędita; cruda verò è contra se habeant. Si ergo quod coquitur secundum eius calorem perficitur; par est, vt à perfecto calore tale redigatur. Atqui huiusmodi caloris pfectio non in i itensiori, vehementioriq; caliditate consistit; alioquin febrilis calor, vt dixi, præceteris esset perfectior: sed in quadam mediocritate, atque temperie constitutus est: propter quod rectè dicebat Iulius Delphinus in 3. art. med. coctionem esse reductionem caloris ad temperamentum: & Fernelius lib. de purgandi ratione, esse substantiæ in naturæ conuenientiorem statũ caloris vi factam mutationem: cum itaq; res, quæ coquitur, ad quãdam proportionatam temperiem à temperato calore redigatur, necessum est hunc calorem non esse supra mediocritatem intensum, neque acrem, atque igneum, sed mitem vaporosum, & benignum; quemadmodum exprimere videbatur Gal. in 2. acut text. 22. dum dicebat. Ciborum πέψιν coctionem ἑψήσει elixationi persimilem esse oportere, quæ tanquam à calido fiat, non sicco squallentiq; cuiusmodi est febrilis, sed humido, vaporosoq; cuiusmodi est, qui in animalib[9] secundum naturam existit.

Calidi naturalis perfectio in quo consistat.

Coctio quid.

Si igitur concoctio fit ex perfecto, ac temperato calore ἀπέψιος cruditas, vel inconcoctio fiet ab imperfecto, distemperatoq; calore: verum hæc caloris imperfectio, & discrasia, vel supra, vel infra mediocritatem existit: infra enim valde remissum, ac frigidum intelligo: supra verò acrem, & igneũ: illum quidem, quando modicè tepidus est, humidus, & vaporosus, non debilem esse arbitror; sed potius perfectum, & validum: hunc verò, eo quod à sua naturali temperie, ac a vaporosa humiditate plurimum distat, imperfectum, debilemq; esse duco. Cum igitur in corpore nostro viuente calor innatus ad tantam frigiditatem, ac remissionem perduci nequeat, quæ imperfectum, ac debilem eum reddere possit, solus ille redditur imbecillis, qui supra illius temperantiam intendi-

Calor quis p̄fectus, & qs imperfectus

tendi-

tenditur, acrior fit, & ignescit: non enim calidi naturalis efficacia, atque perfectio in caloris intensione consistit; sed in vaporosa, vt dictum est, & miti quadam caliditate: vndè quò modicè remissius, ac tepidius est calidum innatum, eò perfectius est, & validius: sicè conuerso quò imodicè intensius, & acrius, eò debilius est: quam calidi naturalis validitatem nō intelligo eam, quæ in adultis est, hæc enim cùm ex caloris influentis affluxu intendatur, robustior est: sed de illa caliditate intelligo, quæ in pueris, & in semine, vel in solidis corporis partibus continetur, quæ licet tepidiuscula existat, suâ tamen perfectione, & efficaciâ non caret, sicuti videmus in arboribus, in piscibus, & in alijs animantibus, quorum, etsi caliditas innata actu sit frigida, eximiæ tamen validitatis existit, cùm ad maximam corporis molem, & ad longissimam vitæ perdurationem illa traducat. Non nego tamen quin ipse calor innatus immediatè à frigore, aut à substractione pabuli, possit remitti: licet sciam ipsum calorem ità remissum, & subactum statim aliquam concipere acredinem, & discrasiā, sicuti hanc magis tunc contrahit, quàndo vel pabulum, vel aeris euentatio illi defuerit.

Caloris innati perfectio, & efficatia in quo posita sit.

Restat igitur vt præsertim is calor sit imperfectus, & debilis, qui suprà excesserit: rarissimè autem, & non nisi in ijs calor reperitur ex refrigeratione, ac remissione debilis, nisi qui aliqua repenti causâ extinctioni poximus est.

Calor imperfectus, et debilis quis.

Verùm quoniā video his me multos irritare censores, qui me vitio vertentes, quòd dixerim illam tàm à Medicis celebratam intemperiem cerebri, aut ventriculi frigidam, non dari talem, sed eam esse calidā: sic arguunt. Cum æquè tot numero ab omnibus dentur simplices intemperies, quot simplices temperaturæ: si frigidam ab illis partibus aufers, vbi seruabis eam? Respondeo me frigidam intemperiem non negare, neque à nostris corporibus ablegare: sed vbiq; eam peræquè reperiri posse, ac ipsāmet temperiē frigidā: verum est tamen, quod nón æquo modo se se habet intemperies, atque temperies, quoniam scitu dignū est apud Medicos vocarī tēperiem

Obiectio in Auctorem.

An detur frigida cerebri, aut vētriculi intempies.

Responsio.

Intemperies frigida quomodo relatiuè detur.

periem frigidam relatiuè; hoc est, non quia re vera detur temperatura frigida, quæ actu in viuente corpore frigida sensui præseferatur, cùm actu talis in viuenre non detur; sed in respectu ad calidam temperaturam, qua illa mitior est, & remissior: nam cùm homo omnium animantium sit calidissimus, impossibile est reperiri vllam temperiem actu frigidam in homine viuente: ità intemperiem frigidam: nam etsi hæc re vera sit ipsâ temperie frigidâ actu calidior; tamen in respectu ad intemperiem calidã dicitur frigida: differt enim intemperies frigida à calida in hoc, quòd hæc non copiosam, nec crassam gignit humiditatem, sed paucam, & tenuem, atque salsam, vel acrem, nisi quando iam disperata est, qualis in hydrope, quæ tunc copiosam gignit materiam aquosam: illa verò copiosam, crassam, & insipidam: sed vtræq; in hoc conueniunt, quòd ambo sunt excrementitiæ humiditatis feraces. Cùm igitur intempéries frigida in frigido præsertim sit temperamento, hoc peculiaris habet, quod licet in hac quoq; calor sit ad igneam quandam naturam conuersus; tamen quia in natura non est calidissima, & siccissima, biliosa nimirum, vel atrabiliosa, sed in remissa, & humidiori, pituitosæ, crassæ, & copiosæ materiæ effectrix est; & eò vberius hanc gignit, quò propius ad calidam accedit temperiem, & quo vberius cibus, & potus ingeritur. Sed non mireris me dixisse intẽperiem frigidã esse frigidâ temperie actu calidiorem, quasi quod ipse vellem intẽperiẽ, atq; temperiẽ frigidã vocatã nõ esse frigidã, sed vtrãq; esse calidã: ne mireris inquã, quia calor innatus, vt nuper dicebam, cùm acrem, & igneam quandam naturam sit nactus, ita secundum eius temperiem, ac perfectionem labefactatus est, vt non nisi imperfecta obeat munera naturalia; vnde cruditates, & excrementorum prouentus emergunt: & propterea huiusmodi intemperiẽ vocant frigidam, tametsi re vera actu sit percalida, cum ipso tactu eius acuties, & acredo percipiatur. Hæc enim calorificis gaudet extrinsecus admotis, quoniam ob debilitatem ipsius, pars quoq; redditur debilis: ex quo fit, vt ab accedente extrinseca caliditate ipsa pars foueatur, atque non parum iuuetur, ob cuius caloris imbecillitatem nequit ferre calidi,

Intemperies frigida in quo differat à calida.

Cruditas, & excrementorum prouentus vnde.

frigi-

frigidiq; exuberantias.

Quando igitur cuiuspiam caput, aut ventriculus imbecillitate laborat, hæc imbecillitas non ex illarum partium frigiditate proueniet, sed ex ipsius caloris deprauatione, hoc est ex illius intemperie calida, vel qualitate ignea.

Nec etiam quis admiratione afficiatur, quòd ex intemperie calida, & sicca insignis prodeat humiditatis excrementitiæ prouentus, cùm huiusmodi caliditatis vis sit imbecillima, nec nisi imperfectarum coctionum sit effectrix, vt dixi, & copiosæ, superfluæq; humiditatis generatiua: nam sæpè videmus in febricitantibus, vbi caliditas, & siccitas prædominatur, plurimam dictæ humiditatis copiã vndiq; effluere: sicuti etiam in ijs, qui gallicâ lue afficiuntur, in quibus tametsi calida, & sicca insit hepatis, & aliorum viscerum dyscrasia; tamen vndequaq; vitiosâ humiditate scatent.

Cur ex intẽperie calida, & sicca humidi excrementosi prouentus generatur.

Nec obstat quod offeras hydropisiam; quæ cùm ex omnium ferè Medicorum sententia in frigida hepatis intemperie stabiletur, copiosissimam gignit humiditatem: quoniam huiusmodi affectio non ex hepatis frigiditate oritur, vt ferè omnes arbitrantur, sed ex ipsius, & vniuersi corporis imbecilli calore, quam imbecillitatem ex ignea, præternaturaliq; caliditate diximus deriuare: cùm enim hepatis, & totius corporis caliditas naturalis suæ temperiei benignitate amissâ, ad igneam acredinem, & squalliditatem perducta sit, nequit amplius, vt dicebam, suis fungi naturalibus officijs: vndè alteratrice penitus deprauatâ, non nisi vitiosa fit coctio; quinimò hematosi disperatâ loco sanguinis gignitur tantum ichorosa materies: quare tantum abest, vt huiusmodi affectio à frigida iecoris intemperie producatur, vt potius ex calidissima, vt id conspicuò liquet ex infrenabili siti, macilentiâ, lotiorum, & excrementorum biliosorum excretione, quæ non nisi summam hepatis efferuescentiam contestantur: quod etiam inde magis patet, quòd huiusmodi affectio eos potissimum inuadit, qui calidissimo, bilioso scilicet, atrabilio soq; præsertim sunt temperamento: quorum caliditas, quãdo ad eam perducta sit acerrimã efferuescentiã, qua humidũ

Hydrops ex qua fiat intemperie.

Calidam hepatis intemperiẽ arguentia.

substantiale ex toto ferè depabulatum sit, ita squallescit, ac ignescit, vt nihil naturalitatis illi supersit: & propterea nullius operis naturalis amplius est effector. Non nego tamen, quin ad tantam accedat squalliditatem, & ferè incinerationem, vt inducto marcore, illa calidissima intemperies tandē desinat in frigidam, atque siccam.

Frigida, & sicca intemperies in hydrope quādo fiat.

Sed vt reuertamur vnde sumus digressi, concludimus materiam illam catarrhalem gigni ex labefactata cerebri alteratrice, quod perinde est, ac si dicamus ex ipsius vitiata coctione facta ab eius innati caloris deprauatione, quam non in frigida, sed in calida ipsius caloris dyscrasia fundari diximus.

Per quos ductus cerebrum sua excrementa reiciat.

CAPVT. XVII.

Materia excremētosa in capite dupliciter accumulatur.

CVm enim supra statutum sit duplici modo materiam superfluam, & vitiosam in capite congeri, hoc est ex iugi vaporum ex imis partib⁹ ascēdentium in cerebrum collectione, & ex vitiata ipsius cerebri coctione; ex illa quidem modicum, ex hac vero plurimum excrementi in eius conceptaculis redundare necessum est: à quaquidem materia, siuè copia, seù qualitate, vel vtraq; peccante, dum natura lacessitur, eā per suos consuetos ductus cogitur expellere, & expurgare. Dum autem ipsius superflui, vitiosiq; humoris plus in cerebro congesta sit copia, quam vt solita vasa capere, ac sensim expurgare naturaliter valeant, natura illam inuitò cogitur ꝑ alias insolitas vias ad varias partes detrudere, proùt natura à partis recipientis dolore, aut calore, aut vacuo, aut imbecillitate, aut alia dispositione prolectatur: & per has non modò incognitas, sed etiam consuetas, ac patentes vias volunt Medici omnes materiam catarrhalem à capite in subiectas partes destillare, vt in posterum planius apparebit.

Vię per quas fertur materia catarrhalis ex Hipp. sententia.

Licet enim Hippocrates in libello de loc. in hom. & de gland. dicat cerebrum sua excrementa per aures, oculos, nares, palatum, in guttur, & gulam, per venas in spinalem medullam

dullam, & in sanguinem expurgare: & Galenus in Arte parua cap. 13. sicuti 2. de loc. aff. cap. 3. per palatum, nares, aures, & oculos, & 3. aph. 12. per venas ad partes inferiores: & Fernelius per externas quasdam subcutaneasq; capitis partes ad verticem pertingentes, quas super caluam reptantes in omnes corporis subditas partes exteriores superuacuum humorẽ deferre scribat lib. 5. de part. morb. cap. 4.

Fernelij sent.

Attamen pro nunc insolitis ductib⁹ omissis, ordinarij sunt, & conspicui ex omnium sententia palatum scilicet, atque nares: quod videtur Galenus confirmare in plurib⁹ locis, & pręsertim in primo aph. 21. & 9. de vs. part. cap. 1. vbi decliues, ait, cerebri meatus tũ ꝑ palatũ in os, tum ꝑ corpus nariũ cõspicuis ac magnis orificijs crassa eructat excrementa: tametsi palatũ magis idoneum expurgãdæ è cerebro pituitæ ab omnib⁹ æstimetur, quàm nares, cùm hæ odoratui primariò sint à natura destinatę, quod videtur innuere Galenus ipse in 8. de vs. part. cap. 7. & primo de sympt. caus. Et quamuis anatomici ferè omnes cum Medicis credant à tertio cerebri sinu ad anticam eius basim conspicuum ferri ductum, ac inde membranulam quãdam in summo latam, in fundo angustam infundibuli instar subeggredi, per quam volunt pituitosum humorem excolare, ac in spongiosam illam glandulam excipi, quam pituitariam vocant; tum deniq; per cuneum foraminolentum in palatum, & os instillare: siq; huius pituitosi humoris colluuiei non sufficiant huiusmodi consueti canales, alios huic necessitati insolitos natura parauit; inter quos sunt illa duo tubercula mamillaribus papillis persimilia, quę per ossa cribriformia in nares materiam traijciunt: attamẽ ego cum Argenterio arbitror illam pituitosam, crassamq; colluuiem non ex illo cerebri vẽtriculo deriuare, cum omnes cerebri sinus ad hunc solũ vsum sint destinati, vt purissimos spiritus animales tanquam eorum thesaurarij excipiant, & vniuerso corpori distribuant: & sic tantum abest, vt ipsi excipiendis cerebri crassioribus, & vitiosis excremẽtis sint à natura parati, vt potius ab omni huius generis excrementorum sorditie sint liberi: alioquin ho-

Ductus ordinarij, & patuli.

Ductus per quos è cerebri sinu materia excolat in palatum.

Materiæ pituitosæ crassęq; ductus.

mo continuis epilepticis, aut apopleticis, aut paralypticis affectionibus esset obnoxius. Credo igitur huiusmodi pituitosum prouentum ex cerebri venis, & arterijs, atq; mēbranis effluere, & in nares, & palatum mediantibus dictis ductibus transfundi.

Tenuiū excrementorū canales.

Tenuia autem cerebri excrementa, biliosa quidem per aures, ichorosa pre oculos, & nares quoq; expurgantur: at crassa, mucosaq; non ita quidem è cerebro scaturire credendum est, sed tenuia, & acquosa, licet ex cerebri substantia lentorem adepta, in naribus, & palato crassitiem illam à calido spiritu è pectore in palatum, & nares elato per moram adipiscantur.

Quęsita duo

Si igitur materia, quę ex vitiata coctione, vel anathymiasi superfluit in cerebro per ordinarios ductus in palatum, & nares, siue per alias insolitas vias expurgatur, operis texturæ, vel connexionis ratio exposcit, vt hîc duo perquirantur. Vnum est, vtrum materia à capite fluēs in pulmones, & alias subditas partes deferratur? Alterum est per quos ductus ipsa materia è capite fluxa defluat in pulmonem, & alias subiectas partes?

An materia à capite fluens, defluat in pulmonem, & alias subditas partes, & per quas vias deferratur?

CAPVT XVIII.

Cōmunis sētentia de destillatione.

Qvo ad primum perquisitum, scio equidem, vltroq; fateor omnibus Medicis, atq; philosophis pro comperto haberi materiam, quæ facit peripneumoniam, pleuritidem, asthma, orthopnæam, phtysim, catarrhum, & alios pectorales morbos à capite deriuare, ac in thoracem, & in alias subditas partes instillare. Hæc opinio tā inualuit, & occaluit apud omnes, vt etiam crederent nullam partem in nostro corpore fluxione tentari, & laborare, in quam materia nō suppeditetur à capite, quasi quod à nulla alia corporis parte possit morbosus humor deriuare, nisi veniat à capite: ita vt dixerit Auicen. destillationem esse omniū ęgritudinum matrem; ex quo facilè in hanc sententiam perducti sunt eò quòd fortasse iam proditū est ab Hipp. in epist. ad Regē Demetrium, caput esse omnium morborum fontem: quippe cum toti

Destillatio ōniūmorborū Mater.
Caput omnium morborum Fons.

corpo-

corpori superemineat, eorum omniũ, quę ingeruntur, reliquias, & tenues humores, non secus ac cucurbitulam excipere, ac in eo postmodũ immodicè exuberantes in subiectas partes deponere, aut cerebri frigiditate cõdensatos in easdem partes suo pondere destillare. Quodquidẽ sensus met ipse videtur cõprobare, cũ videamus ex capite iam antea humoris copiâ grauitante, ex narib⁹ & palato materiã delabi, & ꝑ nariũ emũctionem, & per sputũ expurgari: & tũc tẽporis etiã respirationẽ, atq; vocẽ vitiari, tussim excitari, & è pectore materiã catarrhalẽ excerni: quę omnia manifestã indicant materię è capite ad subditas partes destillationẽ.

Quod autem humor destillans à capite vltra nares, palatum, & os decidat in alias subiectas partes, videntur omnes cum veteres, tum recentes vno consensu stabilire. Nam diuinus Hipp. lib. de carnib⁹ numero 17. hæc habet. Ad eundem etiam modũ cũ cerebrum colliquatũ, plurimam materiã ex se in palatũ, & fauces, & pulmonem, reliquumq; ventrem detriuserit, id percipiunt humores, & ex capite destillare dicunt, etsi in reliquũ etiã corpus destillat, idq; cũ calore quodam contingit. Quod etiam videtur Arist. cõfirmare in primo probl. 9. vbi inquit. Si verò pituita redundat in capite, raucitates, destillationesq; in pulmonẽ oriuntur: nam destillationes ex capite oriri prodit probl. 17 sec. 2. & propterea illis fluxiones è capite magis excitari inquit 2. de part. animal. cap. 7 quib⁹ cerebrũ frigidius est, q̃ temperamentũ modicũ expostulet. Cęterũ ꝙ catarrhus è capite in palatũ, in fauces, & in omnes corporis subiectas partes ferratur, luculenta oratione explicat Gal. in 6. de tuen. val cap. 9. sicuti etiam Auicen. lib. 3. Fen. 5. tract. 11. cap. 11. Aetius tet. 2. ser. 4. cap 53. Paulus lib. 3 cap. 28. Aurelianus lib. 2. tard. pass. cap. 7. Celsus lib. 4. cap. 2.

Materiã catarrhalem à capite in subiectas partes destillare demonstratur.

Quib⁹ destillationes excitantur.

Quamuis igitur ex tot insigniũ Virorũ sententijs, rationib⁹, & experientijs clarissimè pateat materiam à capite in subiectas partes destillare, itaùt de hac re nullus sanè dubitationi, ne dicam quæstioni locus superesse videatur: attamen cùm hæc sententia mihi videatur toto cœlo à veritate aliena, hancq; animaduerram sexcentorum in Medicina errorum læthalissimam esse occasionem, haud patior illam amplius per vulgum ire personatam:

Cõmunis õnium sententia de destillatione pestis est in Medicina.

vnde

vnde licet eandem iam in hominum mente altius corradicatā euellere(quod assequi impossibile duco) non præsu.nam;hoc vnum tamen me præstiturum fore non diffido, vt nimirum, saltem ipsa detecto vultu omnibus suam pandat deformitatē. Quapropter cū ego huic contrariam sententiā insectari, tueriq; animum intendam, atque modo præuideam per multos aduersum me insurrecturos Zoilos, & Sycophantas, qui me acriter vitio vertant, quòd contra commune omnium veterum, & recentium Medicorum decretum, auferim illam vetustissimam, & vno omnium consensu comprobatam de catarrhalis materiæ in subiectas partes defluxione opinionem euertere, & nouam de hac re sententiam cōminiscendo, hanc palam introducere (à quo quidem animus meus longissimè abhorret) satius mihi fore æstimaui de hac re in vtramq; partem probabili, vnius quippe promulgandæ veritatis gratia, quæstionem contexere, & hinc inde suas rationes, & authoritates cuiq; præ oculis ponere, ac subinde meam opinionem exponere; adhoc scilicet, vt quisq; rectus iudex ei. quæ sibi gratius arriserit sententiæ, ad libitum adhæreat, & pilum à lana, vt aiunt, distinguere noscat. Nam etsi mea, quā mox exponam, opinio, authorum tutelari penè careat patrocinio, physicis tamē rationū momētis haud destituēdā fore nō despero: plus enim rationi demonstratiuæ fidendum, quàm centum clarissimorum Virorum testimonio. Hinc Cicero tanti faciebat rationem, vt hoc dicere consueuerat in Paradoxis. Irrideat si quis vult, plus apud me vera ratio valebit, quàm vulgi opinio; nam in re magna ratio vincat authoritatem, dicebat Plinius iun. lib. primo: vnde Seneca epist. 67. Ama rationem, inquit, huius te amor contra durissima armabit. Nā sine ratione authoritatibus nō credendum, persuadebat Gal. in 2. meth. cap. 5. quoniam, vt monebat Socrates apud Platonem in Phædro, oportet præter Hipp. authoritatem considerare, vtrum disputationis ratio nobis consonet: quare rationi tanquam Medico se ingenuè committendum esse consuluerat Plato lib. de rhetor. Hinc non mirandum si magnus Hip-

Authoris de hac re opinio, & promissio

Ratio autoritati præferenda.

Hippo crates, si mirus naturæ Genius Arist. sique insigniores cæteri ex antiquioribus Viri citra vllam authoritatem sua placita solo rationis stabilimento communiuerint.

Per quas vias deferratur materia à capite ad subiectas partes.

Sed vt clarius innotescat an materia à capite defluat in inferiores partes, opere prætium est prius noscere, per quas vias deferratur. Nam certum est in catarrho terminum, à quo esse cerebrum: ad quem verò esse thoracem, & alias subiectas partes: spatium autem per quod fluit huiusmodi materia, creditur esse nares, palatum, os, & asperam arteriam, & hæc sunt viæ patentes: abditas verò dicunt esse venas, arterias, neruos, & spinalem medullam. Vtræ autem harum existant, modò exactè perquirendũ. Omnes quidem vnanimi cõsensu astruunt materiam in catarrho à capite in thoracem, in pulmonẽ, & in alias subditas partes destillare: & vias, per quas defertur, plurimi quidem, vt video, dissimularunt, pauci insinuarunt. Cur autem has non explicuerint, non aliam possem afferre rationem, nisi forsitan quia omnes præsupponunt per vnam asperam arteriam, cæteris ductibus patentiorem deferri. At quoniam hanc non nisi excipiendo, demittendoq; spiritui destinatam esse cognoscebant, hinc factum est fortasse, vt nullam aliam cognoscentes viam, pauci huius meminerint. Hippocrates verò, quem pauca latebant, in libello de loc. in hom. duas, vt dixi, videtur vias assignare, hoc est guttur, & asperas arterias: in libello autem de glandulis, tres patulas, palatum, fauces, & gulam: occultas verò venas, & spinalem medullam. Ex quibus apparet duas ab Hippocrate vias assignari, nempè venas, quæ feruntur ad spinalem medullam, & asperam arteriam, quæ ducit ad pulmonem: quod ferè idem sentit Gal. in 3. aphor. com. 12. vbi inquit. defluxiones à capite fieri per asperã arteriam ad pulmonem; & per venas à capite ad partes inferiores: & 7. aph. 38. destillationẽ à capite per arteriam asperã ferri, ait, in ventrem superiorem.

De destillationis termino à quo, & ad quem, & de medio cõmunis sententia.

Viæ destillationis ex Hip. & Gal.

Perquisita.

Verùm antequam videamus num per asperam arteriam fiat huiusmodi delatio, disquirendum est prius an per alium ductum fieri possit, hoc est per gulam, venas, & arterias, atq;

per neruos, vel ſpinalem medullam.

Per gulam enim non videtur, quoniam per hanc non niſi quæ noſtro arbitratu deglutimus, ventriculum ingrediuntur: in quē ſi ſpontè dilaberentur humores, nullius catarrhalis morbi eſſent occaſio; quoniam ſi purum id eſſet excrementum, deijceretur p alluum: Si autem pituita eſſet, aut ſemicoctum alimentum, in ipſo ventriculo percoqueretur, & ſic vtile tantum intra venas raperetur, inutili extra aluum eiecto.

Venæ, & arteriæ nō ſunt deſtillationis viæ.

Nec per venas, & arterias, quoniam hæ vel iugulares, vel carotides eſſent: neutra enim harum poſſet vnquam huic muneri inſeruire, cum vtræq; recta quaſi via ducantur à corde: vnde ſi quid ex capite per has poſſet materia deorſum refluere, multa ſequerētur incommoda: primum enim in tranſitu obſtruerentur ipſæ viæ, & ſic fieret apoplexia, aut ſubita ſtrangulatio: præterea ipſe humor catarrhalis, & vitioſus prius cor peteret, & huius puriſſimos ſpiritus, & ſanguines coinquinaret, & ſæuas ipſi cordi affectiones inferret, antequam ad pulmones, & ad pleuram perueniret. Tum quia factu, excogitatuq; perindignū, & fatuum eſſet credere naturā in ſuis operib⁹ alias mirè ſolertem, impura & noxia cerebri excrementa, ſpretis eius ſolitis ductib⁹ & emiſſarijs, in vitalia, & nobiliſſima membra deponere. Illæ autem venulæ, arteriolæue, quæ in aſperam arteriam eius nutritionis gratia inſeruntur, tam exiles ſunt, vt deferrendis humoribus ſuperuacuis non ſint capaces.

Nerui, & ſpinalis medulla inepti sūt ductus materiæ catarrhalis.

Neque per neruos, aut ſpinalem medullam, quoniam ijs cum nulla ſit cauitas, ſed tota eorum ſubſtantia ſit medullaris, & compacta, inſtrumenta ſunt deuehændis tantum ſpiritibus animalibus deſtinata: præter hoc, quod ſi per ipſa materia catarrhalis deflueret, illo ſubſtantia eorum poroſa maximè conſtiparetur, itaùt intercepto ſpirituum fluxu, fieret paralyſis, cum ſenſus, & motus totali priuatione.

Spatia inania & ſubcutaneæ viæ non ſunt mediæ fluxionis materiæ.

Neque tandem per ſpatia quædam inania, aut per illas ſubcutaneas Fernelij vias deferri poteſt; quia cum hæc, prout anatomica dictat inſpectio, non vltra caput, & faciem extendantur, impoſſibile planè eſt per has vias talem fieri tranſpoſitionem.

Relin-

Relinquitur ergò, vt per asperam tantum arteriam fiat, si quæ sit, eiusmodi materiæ cerebri excrementosæ ad subiectas partes defluxio.

Asperā arteriam nō esse fluxionis viā demonstratur.

At ego arbitror nullius materiæ defluxū fieri naturaliter posse per tracheam arterim, vt paulò infrà demonstrabitur: quoniam, vt dicebamus, non videtur conueniens, vt vas spirituosum, ac vitale præter spiritum, quidpiam materiale, ac impurum admittat; periculosum enim esset, ne repletis bronchijs, interciperetur via, quominus aer inspiratu traheretur, ac fuligines per expiratum emitterentur: tum quia etiam tantum abest, vt cerebri superfluitates in spiritosa, & vitalia organa deijciantur à natura, vt potius è contra, si quæ sunt in ijs excrementa, in os, & palatum detrudantur, quemadmodum sæpè contingit in vasorū pectoris plenitudine per tussim, & screatum.

Naturæ peruersio quæ esset.

Porò non ne improuidam, immo peruersam diceremus naturam, si inutilia cerebri excrementa suorum propriorum ductuum benefitio abutens, in os vsq; & in nares extrudendo, ea nec per sputum, nec per narium emunctionem expurgaret, sed ignauiter, & iniquè sineret spontè in spirituosas, ac vitales partes præcipitare? Non ne multò satius esset ipsam materiam in ventriculum, quàm in pulmonem demandari, cum ipsius ingressui latius pateant istius, quàm illius fores? Nam ipsa materies, cùm in os peruenerit, vix fieri potest, quin primo illi ostium offeratur, & ab oesophago naturali quadam obligatione non excipiatur; sicuti hoc sæpissimè deprehendimus in pueris, & non raro etiam in quibusdam ex rustico, & rudi genere adultis qui pituitosum humorem per tussim ex pulmone, & aspera arteria in os explosum, mox veluti quid alimentosum deglutiunt. Deniq; si quid aliud præter aerem, quantumuis paucum, liquidū, purum, atq; lene asperam ingrediatur arteriam, non ne statim infrenabilis tussis excitatur, & respiratio simul impeditur?

Materia catarrhalis vnde prodeat.

Reliquum est igitur, vt idem, quod supra statutum est, concludamus materiam scilicet illam, quæ dicta organa spiritualia, & respirationi dicata occupat, & tussim, rhogmonem, atq: spirandi difficultatem, & quandoq; suffocationem efficit, non qui-

Nota

dem à capite per destillationem prodire, vt omnes falsò arbitrantur, sed ex dictis partibus spiritalibus proficisci, quę quidem in maioribus pectoris vasis redundans, deijcitur in pulmones substantiâ raros, & spongiosos, ac inde per tussim, in asperam arteriam, & fauces expurgari; quod videtur Aretæus significare in lib. primo diut. cap. 10. dum inquit. Rarus enim ac foraminulentus pulmo est, spongiæ similis, humorē haud molestè ferens, qui aliam post aliam innanitatē eousq; donec ad asperam arteriam deueniat, permutare solet. Quo fit, vt tanta, vel tam crassa quandoq; materia effundatur in pulmones, vt leuibus eius arterijs obturatis, intercipiatur respiratio, ac indè obruto spiritu, repentinus subsequatur interitus: quod ipsemet Aretæus innuit in lib. primo de caus. & sign. acut. cap. vlt. dum ait. Trahit enim in se ipsum pulmo rarus, & calidus, & ad proxima trahenda se se commouens, tuncq; morbi transitu, seu migratione repente homo strangulatur. Hæc doctrina videtur esse ex Hippocrate desumpta in lib. primo de morb. text. 63. vbi sic habetur. Pulmonis inflammatio, cum commotam, & humectatam pituitam, & bilem propter calorem ex vicinis locis pulmo ad se traxerit, super ea, quæ in ipso existunt: quod idem ferè videtur confirmare lib. de inter. aff. numero 4. dum inquit. Pulmonis inflammatio tunc fit, cùm ad se se pulmo sanguinem, aut pituitā salsam traxerit, neq; rursus dimiserit, sed ibi collecta, & coacta fuerit. Et subinde n. 6. declarans locum proximum, ex quo dictus humor attrahitur inquit. Cum venæ cauę, quę in pulmonem pertingunt, sanguine, aut bile atra refertæ fuerint, venulæ nimirum in angustijs interceptæ, inter sese constringuntur, cumq; exitum non habeant, dolorem, & flatum in pulmone excitant. Idem paulò infra confirmat, dicens numero 8. si pulmo ex erysipelate in tumorem sublatus fuerit, qui tumor potissimum ex sanguine oritur, cùm pulmo attractum ad se sanguinem receperit, & continuerit. Hinc Cornelius Celsus lib. 4. cap. 4. de tussi cum sanguinis eruptione dicebat. Haud rarò quoq; fieri solet, vt aut ex pulmone, aut

Respirationis interceptio, & suffocatio quomodo fiat.

Pulmonis inflammatio quomodo generetur.

ex pectore, aut ex latere, aut iecinore feratur sanguis. Vnde sæpè fæminæ, quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc expuunt, authoresq; Medici fuerunt. Quo fit vt ex suppressis mensibus suboriatur tabes, docente Hippocrate in lib. de morb. mul. sicuti etiam ex suppressis hemorrhoidib⁹ eandem generari scribit 6. aph. 12. Quare qui tentãtur mariscis, neque pleuritide, neque peripneumoniâ, nec alijs morbis corripiuntur, teste eodem Hioppocrate 6. epid. com. 3. text. 37. quoniam cùm venæ sedales, sicuti vteri, & membrorum genitalium venæ magnum consensum habeant cum thorace, vt pluribus locis contestatur Galenus, optimo iure facta ex ijsdem partibus euacuatione vel ab arte, vel à natura, vt plurimum sequi solet morborum pectoris solutio: nam sæpè videmus ex copiosa, vel sanguinis, vel vrinæ, vel sudoris euacuatione subsequi pleuritidum, aut peripneumoniarũ exsolutionem, teste Actio tetr. 2. ser. 4. cap. 66. quod quidẽ non fieret si materia flueret à capite: quoniam cùm certum sit morborum causam à sanatione doceri, vt monet Hipp. in 2. aph. 17. nulli dubium est, quòd ipsi pectoris morbi, cùm à maiorum venarum euacuatione auferãtur, suam causam habent in ipsis maioribus venis, nempè sanguinis, & aliorum humorum plenitudinem. Ex quo mihi lubit valde mirari Galenũ ipsum, qui dicat 6. de tuend. val. cap. 9. humorem scilicet à capite destillantem in omnes corporis partes deferri, ac in ijs suos morbos parere: quod si verum esset, sequeretur febrem illam quotidianam, seù quamlibet aliam febrem continuam cum catarrho, licet sit ex genere putridarum, suam mineram habere non in venis maioribus, aut medijs, vel hypochondriorum, sed tantum in capite, quod quantum à veritate dissideat, illi norunt, qui sciunt febrem esse vniuersi generis venosi passionem, vt docet primo de cris. cap. 7. & qui non ignorant crassiorem, ac impuriorem sanguinem copiosius reperiri in maioribus venis, & præsertim hypochondriorum, quod ipse quoq; Galenus asserit in pluribus locis, & præsertim 5. de loc. aff. cap. 7. & 6. de vsu part. cap. 10.

Quib' mulieribus oriantur hæmoptysis, atque tabes.

Venæ cum thorace consentientes.

Gal. sẽtentia de destillatione couellitur.

Anatomica ignoratio cuius ignorationis fuerit causa in Antiquis.

Sed nihilo mirandum, si ne dum Galenus, & alij eius tempestatis, sed etiam Hipp. & cæteri antiquiores crediderint ex vno capite humores in quascunq; subiectas partes destillare; quoniã propter rudem anatomicæ disciplinæ cognitionem, arbitrabantur homini caput non modo omnium vaporum ex infernis partibus effumantium, sed totius pituitariæ generationis, ac prouẽtus sentinã existere, & ab eo velut incessabili fonte quamcunq; fieri in subditas partes defluxionem.

An morbi articulares, & præsertim podagrici ab humore à capite destillante generentur?

CAPVT XIX.

Ridiculum est asserere omnes articulorũ morbos ex destillatione à capite prouenire.

Opinionis huius instabilitas vnde.

De fluxionis termino cõmunis est cõsensus, de via autem varia est opinio.

a. Author libelli de gland. n. 10.

b. Hipp. de loc. in homine.

c. Fernel. de part. morb. sympt. cap. 18.

NOn igitur febris, nec alius quiuis morbus, qui ab humorum è venis maioribus prodeuntium fluxione generatur, ab humore à capite defluẽte procreatur: quare ridiculum est comminisci, ne dicam asserere humorem, ex quo fit podagra, aut alij articulares cruciatus, ex capite deriuare: In quam falsam opinionẽ delapsi sunt nõ modò Neoterici fere omnes, verùm etiam omnes Antiquiores, quorũ antesignanus fuit Hipp. in libello de gland. n. 10. quẽ postea omnes Greci, Arabes, & Latini sunt cõsectati.

At quoniam huiusmodi fallax opinio infausto quodam infortunio ob instabile forsitan fundamentum, tanquã cimba in Mari tẽpestoso, varijs sententiarũ fluctibus agitatur: idcircò in assignatione termini generalis, à quo fluit ipse humor, omnes quidẽ vno consensu statuunt esse caput: at in assignanda parte capitis particulari, atq; via, per quam defluit, multum inter se discrepant, & plurimum digladiantur: ex qua sententiarum diuersitate ancipitis fidei redditur ipsa opinio. Nã *a.* Aliqui credunt humorẽ à capite per venas in spinalem medullam, ac inde in articulos defluere *b.* Alij dicunt à carne seu frigore expressa, seu calore colliquata in articulos fluere. *c.* Alij verò à capite, non quidem è cerebro, sed à subcutanea intercapedine ꝑ sũma corporis cutetenus deorsum fluere arbitrantur, quorum author, & princeps fuit Fernelius, qui forsitan huius suæ sententiæ occasionẽ desumpsit ab Hip-

pocrate in lib. de oss. nat. vbi credit à vertice capitis vsq; ad infimas corporis partes rectâ viâ venam quandam per ceruicē, ac dorsum recurrere. *d.* Alij quoq; ne dum ex subcutanea capitis cauitate, sed etiam ex spatio, quod est inter cranium, & duram meningem, ac inde per extimam spinalis medullæ superficiem decurrere ad articulos. *e.* Alij à cerebro per mediam spinalem medullam tantum fluere. *f.* Alij & per hanc, & per venas. *g.* Alij à capite per palatum, & nares, vel ab hepate per venas, & arterias. *h.* Sic alij originem statuunt esse caput, & membra principalia, cum hoc tamen, vt humor prius à visceribus, hoc est à ventriculo, intestis, hepate, & cæteris emittatur ad caput, deinde ab hoc in subditas partes articulares transmittatur. *i.* Alij tandem vt plurimum à capite, aliquando autem ex naturalibus visceribus per medias venas, & musculos. *l.* Alij demum à capite quidem per venas, & etiam ab vniuerso corpore, & à multis partib⁹ particularibus ꝑ venas, & arterias humorē deferri ad articulos.

Has oēs opiniones ad duo tantū capita redigā, hoc est ad fontē, è quo humor effluit, qui ab omnibus ferè, vt dixi, statuitur caput: aliud ad vias ꝑ quas fluit, quas plurimi cōstituunt esse omnes alias pręter venas, & arterias, nēpe cutim, subcutanea spatia, neruos, spinalē medullā, musculos, palatū, & nares, quę quidē cūplurimū à veritate, & à se ipsis quoq; discrepent, & vacillent, meritò à plurib⁹ magni nominis Viris vellicātur, & vt falsę reprobantur.

Quare in hanc ceù veriorem, & omnib⁹ numeris acceptiorem sententiam ego deuenirem, vt crederem fluxionis humoris articulos inuadentis originē esse, non caput, nō hepar, non lien, neq; ventriculum, neq; intestina, neq; vterum, neq; aliud viscus particulare, sed vniuersum corpus, & præsertim maiora corporis vasa, hoc est venam cauam, atq; portam, nec non magnas arterias, à quib⁹ velut à cōmuni sanguinis, & aliorum humorum fonte arthriticam fluxionem suam originem trahere non est dubitandū. Nam etsi ex mensibus, aut hęmorrhoydib⁹ suppressis, aut vomitu, aut alia singularium partiū consueta euacuatione retenta suborti fuerint articulorū dolores, eiusmodi fluxionis origo nō vterus, nō venę sedales, nec vētriculus, nec alia pars peculiaris extitit

d. Eustach. Rud. cap. pp

e. Apud Scholieg. ad lib. 1. Hollerij de morb. cap. 63.

f. Plater, & Scholieg. ibid

g. Adrian. Spigel. de artrith. & Nicol. Piso lib. 4. c. 62.

h. Franc. India lib. 1. de gutta c. 4.

i. Trincauel. lib. 7. sec. 1. c. 1.

l. Thō. Erast. in Parac. & Lud. Mercat. de inter. morb. lib. 4. c. 18.

Autoris sententia de humoris fluxione in articulos.

sed venæ cauæ, arteriæq; magnæ, atq; portæ communes fontes: sicuti si dolor colicus in arthritidem degenerarit, non solo intestino humorem mittenti, sed maioribus dictis vasis referenda est originis causa: quoniam humor, qui ad vterum, vel ad hemorrhoidas, vel ad crura defluebat, sicuti antea à communibus dictis fontibus ad has partes effluebat; ita dum facta est earundem purgationis suppressio, par erat ipsum humorem illuc refluere, vnde prius scaturiebat, hoc est ad dicta maxima vasa, è quibus postmodum eo vitioso humore repletis, conuenientissimũ erat ipsum non nisi in articulos ceu ad infimas partes demandari.

Capitis dignitas.
Autoris sententiæ rationes.

Caput autem, cui ob eius eminentiam, & supremam organi dignitatem (principium enim, & excellentium animæ facultatum arx est, & domicilium, ac purissimorum spirituum conceptaculum) natura puriorem corporis sanguinem parare, ac suppeditare consueuit, indignum esset, ac monstruosum fieri crassiorum, ac impuriorum corporis excrementorũ sentinam, aut fœdissimam pituitariæ prolluuiei scaturiginẽ.

In capite quãdo excremẽta redundant, & per quas vias expurgentur

Haud negandum tamen in eo, prout nutrimenti sui fert coctio, aliquam excrementi portionem superfluere, quæ ꝑ proprios ductus, non autem per cæcos, & insolitos expurgatur. Quare multũ obliquè sentire vidẽtur illi, qui manifestis vijs relictis, per abditas, & incognitas fluere humorem arbitrantur: quandoquidem nerui, spinalisq; medulla, cùm omni careant cauitate, & tota eorum substantia sit solida, & compacta, non nisi spiritibus animalibus deferendis sunt à natura constructa: & propterea si per ipsam nerueam, medullaremq; substantiam flueret humor, oporteret continuò fieri conuulsionem, aut paralysim, aut alia huiusmodi symptomata: immo sequeretur materiam è neruis semel egressam iterum venas subintrare, aut è venis in neruos transitum facere, quod quidem impossibile est, cùm natura hanc de vno in aliud diuersi generis vase traiectionem dari non patiatur. Præterea si materia deriuaret à capite, necessum esset ante fluxionem præcedere capitis grauitatem, & dolorem, sensuum obtusionem,

Neruorũ, & spinalis medullæ natura & vsus.

Natura quid nõ patiatur.
Symptomata catarrhũ præcedentia.

nem, somnolentiam, & id genus alia accidentia, quæ congesti humoris in capite præbent inditium. Atq; si sub capitis cute colligatur humor, fieri non posset, quin ibi in conspicuã molem cutis obtumescerer: & tamen experientiã compertum est nihil horum accidere illis, qui arthritide patiuntur. Cęterum impossibile planè esset, vt aliquo modo ipsa materia sub cute fluens per ceruicem, & dorsum decurrere non persentiretur, sicuti spiritus flatulosi huc illuc moueri percipiuntur: nam Galenus in 6. de diff. feb. cap. 11. expresè inquit. Quæcũq; à capite fiunt defluxiones, capiti vicinas partes aures, oculos, dentes, gingiuas, & proximas glandulas, aut pectus, & pulmones, ac dorsi musculos, & alias partes solent occupare. At quia nullus vnquam visus est in articulis laborans, qui motum huiusmodi fluxionis persenserit: vnde nullius ferè momẽti habetur argumentũ, quod Erastus disput. 4. contra Paracel. defluxu humoris à capite, desumit ex eo, quòd in arthritidis inuasione persentiatur humor quidam frigidus aquæ pluentis instar à capite per ceruicem, latera, dorsumq; descendere, cum læui quodam frigore, vel horrore; quoniã hic horror nedum percipi solet in arthritide, verùm etiam in inuasione febrium intermittentium, & in erysipelate, variolarum eruptione, abscessuum suppuratorum apertione, & in huiusmodi alijs affectibus, in quibus tamen humor non effluit à capite, nec per habitum corporis diffunditur, vt perperam multi cũ Galeno arbitrãtur; sed hoc fit ex caloris influẽtis retractione, quo destitutę partes ipsæ exteriores eo modo rigescunt, vel horrescunt, quo percipitur, occupante, & lædente partes sentientes humore vitioso, atq; acri. Porro cum intra articulum, vel circa periostium, & ligamenta affligat dolor, non est credendum humorem cutetenus occupare, quod ex membri afflicti obtumescentia, quę sub fine paroxysmi solet euenire, conijci potest: ex quo apparet naturam postquã humorem in articulo latitãtem deuicerit, extra in subcutaneã cauitatem dijcere.

Humoris sub cutẽ decurrẽtis inditia.

Defluxiones capitis cõsequentia.

Erasti argumentum nullius momẽti

Horror in quibus morbis sentẽtiatur.

Horror, & rigor vnde oriatur.

Cur in fine doloris arthritici obtumescat articulus.

Non igitur à capite destillat materia ad articulos, sed à venis,

Quod à venis, & arterijs, non autem à capite fluat humor.

nis, & arterijs maioribus deriuat; quod inde magis constabit, quoniam ex Hippocratis oraculo planum fit totũ corpus vndiq; peruium, ac transpirabile esse, humor, qui in podagra pedem occupauerit,& qui sępè postea genu, deinde coxendicum ascendendo inuadere consueuit, si à capite descenderet, non ne contrarium motum efficiendo, prius scilicet ceruicis vertebras, humeriq; vel scapulæ articulum, deinde coxendici, & tandem genuum, & pedum, manuumq; articulos peruaderet?

Fluxionis origini applicandum remedium.

Si item eiusce defluxionis origo esset in capite, cur in horum morborum curatione vni tãtum capiti non applicentur remedia, sed articulis tantum laborantibus, vt ab omni Medico ferè consuetum est fieri?

Ex quib' dolor arthriticus subsequi soleat.

Rursus quemadmodum sæpè post febrem aliquam continuã solet succedere dolor arthriticus, vel podagricus; ita etiam quãdoq; constat à repellentibus medicamentis importunè curatos huiusmodi dolores subsecutam esse febrem; quod quidem non fieret nisi in hac febre materia intra venas repelleretur; in illa autem nisi à venis ad articulos transferretur: & hac ratione ex suppressis mensibus, vel hęmorrhoydibus, vel aliâ consuetâ venarũ euacuatione, vt plurimũ solent arthritci dolores suboriri. Vnde mulier podagrâ non laborat, nisi menstrua defecerint 6. aph 30. Sic Polemarchi Vxori ob menstruorum suppressionẽ articularibus doloribus vexatæ, vehementem quendam coxendicum dolorem contigisse scribit Hippocrates in 5 epid.com.4 text. 3. Ita quibus ex intempestiuè curatâ dysenteriâ suborti sunt dolores articulares; quod sæpè cõtingere inquit idem in coac. n.462. & vt contigit Hecasoni in Omilo eodem teste in 5. epid. namq; dolorem arthriticum ex coli intestini dolore subortum esse docet idem in 6. epid com. 4. text. 3. Quis ergò dixerit humorem illum prauum, & pernitiosum non è venis prodire, & in eas remeare, sed è capite prouenire, & in caput reuertere?

Arthritis, et Podagra ex quo humore, & quomodo generetur.

At si quis etiam num dubitet, eum certiorem reddet ipsemet Hippocrates in lib. de affect. numero 30. vbi cum bilis, inquit,& pituita in sanguifluam venam incubuerit,& inde per totum crus vagans in articulum coxæ, & in alios articulos inciderit. Et paulò in-

& infrà: Pedum dolor, inquit, ijs omnibus, quę circa articulos contingunt, violentior quidem existit, & maximè diuturnus, quique ęgerimè soluitur; estq; hic morbus quidem sanguinis in venis à bile, & pituita corrupti: quare ꝓ huius curatione iubet venam paulò supra articuli nodum inuri. Hinc etiam in lib. de ossium nat. numero 2. in doloribus dorsi, atq; coxendici ex poplitibus, & malleolis fieri mandat venæ sectionem, sicuti factum esse Eupolemo in Oeniade ad coxam dextram dolenti scribit in 5. epid. numero 3.

In coxēdico, & dorsali dolore quę venæ scindatur.

Quòd igitur humor, qui irruit in articulos, ex interioribus venis prodeat, nemo est qui possit dubitare: nam quibus speratur absessus futurus ad articulos, eos liberat abscessu vrina multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam è naribus fluxerit sanguis, breui admodum fit solutio 4. aph. 74. quod contigisse Archigenis famulo scribit in calce lib. de humor. Ex quibus clarissimè patet materiam non quidem à capite defluere, neq; per subcutaneas partes obrepere in articulos; sed à venis ab intimo corpore deriuantibus prouenire, testibus quoq; tum Galeno in 3. aph. 20. & in 6. 28. & lib. de Ischiade secund. loc. propter quod arthriticos sanguinis missione præseruandos, & curandos consulit lib. de ven. sec. cap. 7. & 10. tum etiam Aetio tet. 3. sec. 4. cap. 7. & Auicen. lib. 3. Fen. 22. tract. 2. cap. 5. & plerisque alijs ex antiquioribus, & modernis, qui in dictis affectibus humoris defluxionem à toto corpore, & à venis maioribus; non autem à parte aliqua particulari, vt a capite, neq; ex cutaneis cauitatibus, neq; ab vtero, vel hepate originē ducere cōfirmant.

Qua ab abscessu liberent.

Humor arthriticū dolorē faciens ex qua parte effluat.

At si, dum huiusmodi articulorum dolores, aut pectoris, aut aliarum subditarum partium affectus iminent, vel incipiunt, aut vigent, persentiantur in capite dolor, aut grauedo, aut sensuū obtusio, & ad nares, & palatum materiæ defluxio, hæc non debent esse firma destillationis à capite ad dictas subditas partes argumenta; quoniam sæpè contingit, vt vbi totum corpus superfluitatibus scatet, pari ratione caput etiam non minus, quam cæteræ partes humoribus abundet, qui quidem non quatenus

Quæ fida nō sunt destillationis argumenta.

extra caluariam sub cute resident, sed quatenus sub cranio meninges, aut cerebum lædunt, illa pariunt symptomata, quę neutiquam fierent, si humor extra cranium subcutanea spatia occuparet: quandoquidem cùm ex venis, arterijsq; maioribus quandoq; minus subtilis sanguis feratur ad caput, ibique ex coctione non parum excrementi superfluat, quod cùm nō satis à natura secretum sit, sed cum sanguine intra venas permaneat, fieri potest, vt quâ vitiosus ipse sanguis influxerit, ibi tum mole vasa nimis distendendo, tum sua acredine, vel acutie sentientes partes vellicando, in causa sit, vt dolor, & tensio, atque grauedo ibidem persentiatur: vnde non mirum esset, si vel ipse sanguis vitiosus, vel excrementum aliquod, prater id quod per consuetos ductus expurgatur, per illos iugularium surculos in partes aliquas capiti proximè inferiores transmittatur, vt vel in ceruicem, vel glandulas, vel fauces, vel humerū, vel brachiū, vel in aliam partē, præter quàm in inferiores, vt ad coxendicū, vel ad crura, atq; pedes, ad quas nulla reperitur vena, vel arteria, quæ à capite deriuans rectâ perducatur. Ità si quæpiam particula ad articulos pertingens, mediantibus paruulis venis, & arterijs, quæ propagantur à maioribus, suum suscipit nutrimentum, non ne rationi consonum est, vt humor etiam arthritidem pariens per eadem vasa, non autem per cæcas illas, & insolitas vias feratur ad articulos? Huius rei inditium clarum est, quòd cernimus eo tempore, quo ingruit dolor, circa articulos venas fieri turgidiores, & sæpe febrem excitari.

Capitis dolor, tensio, et grauedo vnde possint oriri.

Ex his ergo videant Medici, quàm manifestè in huiusmodi morbis in assignanda fluxionis origine sint hallucinati! Propter quod meritò Fernelius id genus morbi pro incurabili derelictum esse, & Medicorum opprobrium vocari asserit; eo quòd materiæ fluxionis origo prorsus ignoretur: & propterea Alexander Trall. lib. 11. cap. primo asseuerat, quòd si & differentiæ, & species ipsius morbi, quot, & quales existant probè internoscantur, is facilè curatu Medicis foret: nec de se tam molestam, tristemq; opinionem aquisiuisset, quòd nimirum

Medicorum hallucinatio. Arthritici morbi vt Medicorum opprobrium relinquendi. Cur arthritici dolores curatu sint difficiles.

Nota

mirum curari non possit. Propterea quòd caueat ipse Fernelius, ne (vt Sennertus perbellè inquit) dum verâ morbi scaturigine relictâ, falsam in capite quęritat, hoc de illius opinione verificetur.

Sennerti arguta improbatio in Fernelium.

Cùm igitur ego nullâ habitâ capitis ratione ꝑmultos sanguinis missione, & vniuersali corporis purgatione ab huiusmodi morbis vindicauerim, iure potui asserrere fontem humorum arthriticos dolores efficientium esse non caput, sed vniuersum corpus, & præsertim maiora corporis vasa. Quã meã sententiam pręter experientiam, permultis, vt videre est, rationib⁹ confirmaui, & multorũ sapientũ Virorũ authoritate cõmuniui: cuius equidẽ opinionis nòn inuentionẽ, sed persecutionẽ mihi debeo arrogare, cùm vltra Mercatũ, Erastũ, & alios cellebertimos Viros, pręcęteris mihi patrocinetur Sennertus, quẽ in multis secutus sũ, què in tractatu de arthritide, de hac re peculiarẽ, & dissertissimã questionẽ exarauit, in qua facilè poteris videre, ac intelligere quàm accuratè huic faueat opinioni.

Autoris assertũ ab experientia.

Autor quæ sibi arroget.

Pulmo cęteris partibus calidior.

Quod in affectibus pneumonicis humor præsertim effluat à sibi proximis maioribus vasis, non autem à capite, quod ipsiusmet Galeni testimonio comprobatur.

CAPVT XX.

EX superioribus ergò liquet materiam in affectibus pulmonis non à capite, sed à toto corpore, & à circonuicinis præsertim partibus deriuare. Pro qua re haud mirandum est humores superuacuos in pulmones restagnare non solum tanquam in partem valde raram, & spongiosam, ac infinitis propemodum vasis refertam; sed vt in partem pręcæteris calidiorem: nam vbi est caloris fons, illuc confluunt omnes humores: vnde dicebat Aristotiles in primo de hist. aial. cap. 7. Thoracem esse vniuersi corporis truncum à iugulo vsque ad pubem: vnde Galeno data est occasio, vt in lib. de ven. art. disec. cap. 1. diceret arteriam aortam, vel magnam esse tan-

Thorax vniuersi corporis truncus.

Arteria aorta velut caudex in arbore. quam caudicem in arbore. Hinc inibi venã cauam, arteriamq; magnam maximos esse, vt dicebam, humanæ naturæ fontes, & amplissima flumina, quibus totum corpus irrigatur, dictabat Hippocrates in libello de corde.

Caua, et aorta maximi fontes in corpore nostro. Quòd igitur ab huiusmodi grandioribus vasis humor, & non à capite defluat, sed ab imis, ac penitioribus partibus pulmonis, à vena scilicet caua arteriaq; magna, & proximè à vena arteriosa, ac arteria venosa in pulmones ferratur, & per asperam arteriam, & fauces tussi expurgetur, illud argumento est, quòd videmus non raròob eius humoris acredinem, & impensam caliditatem, vt plurimum fauces inflammari, aut dissulcerari, quod quidem non fieret, si ex cerebro natura frigido, & humido deriuaret ipsa materia: at quoniam ex calidioribus pectoris partibus exanthlatur, in quibus ob maximam illarum partium caliditatem non nisi acerrimæ, vrentisque naturæ euadit: ideò par erat, vt in exitu fauces, aut palatum excoriet, vel inflammet: Hoc maximè quoq; contingere solet ijs, qui tempore hyemali iter faciunt, è quorum pectore per antiperistasin plusquàm parsit calidiori facto, spiritus quidam ita feruidus expiratur, vt ijs fauces, aut palatum, aut frequentius labia atq; nares inflammet, & propemodum exurat.

Cur fauces, palatum, os, labia, nares tempore frigoris inflammentur.

Gal. cõtra se ipsum aduocatur in testimonium. Pro qua igitur veritate stabilienda te quoq; Galene, licet in hac re iure suspectum habere te debeam, vtpotè quòd contrariæ sententiæ sis fautor, & professor, in testimonium aduoco.

Primo enim amabò dicas, non ne vltro fateris in 4. de vs. part. cap. 3. Ne quidpiam corpulenti præter quàm aer asperam ingrediatur arteriam, ipsius capiti operculum quoddam à natura constructum esse, quod epiglottidem vocant, ad hoc scilicet vt aeri quidem ingressus pateat, cibo, potuiq; denegetur: Quòd si quid clanculum, aut fortuitè in ipsam deciderit, protinus tussis excitatur, quæ non prius cessat, donec ex toto quod sibi molestum est, non discusserit? Si ergo ad arterias tracheas non nisi solus aer ex pharynge peruenit, vt asseris etiam 7. de vsu par. cap. 7. & ob id si quicquid ipsi asperæ arteriæ molestum est, tussim excitandi vim habet, te in lib. de simpl. med. fac. cap. 13. confir-

Epiglottis velut asperę arterię operculum. *Tussis quomodo excitetur.*

firmante, cur pituita salsa, aut acris, & purulenta, dum in tracheam descendit, vt tu arbitraris, tunc tussim non excitat, sed postquam tota est in pulmonem, aut thoracem collecta, & dum è pulmonibus, & bronchijs egreditur? Cùm enim natura haud perperam operetur, sed omnia perpetuò sapienter agat, non ne inconuenientissimum esset, vt cerebri escrementa, postquã in nares, aut palatum ipsa detruserit, eadem in pulmonem, & alia organa spiritualia deijciat, vt ex ijs partibus iterum per asperam ipsam arteriam foras expellat? Frustra enim natura cuiq; parti principali ad propria excremẽta purganda suos ductus cõstruxisset. Nam vt ipse doces primo de morb. vulg. com. 2. text. 44. & 11. meth. cap. 19. eorum, quæ in ventre coquuntur excrementa, per aluum deijciuntur: quæ in pectore, & in pulmone per tussim: quæ in cerebro per nares, & palatum; & quæ in venis per vrinam excernuntur. Quare rationi dissentaneum esset quę per tussim educuntur, non ex pulmonis, & circumiacentium vasis, sed ex cerebro deriuare. Quoniam cùm in omni particula, quæ nutritur, generentur excrementa, vt testis es in primo de nat. fac. c. 17. certum est, vt tu noris, in dictis pulmonis, & cæterarum thoracis partium venis, & arterijs non paruã fieri sanguinis coctionem, & excrementi secretionem non minus imò magis quàm in cerebri vasis: quæ quidem excrementa, cùm exuberent, & molesta sint, in pulmonis cauitates, & leues arterias ac inde in bronchia, & asperã arteriam depelluntur, quod ipse fateris in 2. prognost. text. 50. dum ita scribis. Itidem pulmo inflammatione laborans, excernit humores quosdam ad intimas sui ipsius sedes inanes, quæ asperæ sunt arteriæ: quòd etiã clarius exprimis in 3. de victus ratione acutorum textu 2. dum inquis. Nam per venas multas digestum, confectumq; in amplam bronchiorum, & primò minorum, irruit capacitatem; atque ab his ad maiora excipitur, secum & crassos tollens humores, quibus non calidius solum, verùm quoque, & tenuius existit. Scis autem pulmonem ipsum ab humoribus crassis, viscosisq; per tusses expurgari.

Nota

Inconuenientissimum naturæ quid esset.

In qua parte gignuntur excrementa.

Excrementa pulmonis vnde fluant, & quo expurgentur.

Si igitur crassum cerebri excrementum, quod ab Antiquis, &

præ-

Excrementũ cerebri crassum quomodo ab antiqs vocetur.

præsertim ab Hippocrate, & Prodico vocatur Blena, à Recentioribus verò Mucus, in tracheam, & bronchia perduceretur, quomodo posset in leues, ac tenuiores pulmonis arterias peruenire, & ex his tenuissimarum arteriarum, & venarum à corde prodeuntium oscula subintrare? Nam vena arterialis, ac arteria venalis è cordis finibus egressæ in pulmonem inseruntur, illa quidem sanguinem pro eius nutritione deferendo, in posticam pulmonis partem ad extremam vsque eius superficiem disseminatur; illa verò aeri deferendo dicata, in posticam eiusdem regionem ad extremum vsq; dispergitur; arteria autem aspera in pulmonem vniuersum decurrens aeri deferendo, fuliginibusq; excludendis constituta, totum pulmonem intertexit, & in omnes eius partes desinit. Quare cùm inter hæc tria vasa nulla continuitatis appareat mutuatio, sed per anastomosin tantum inter se mutuò communicent, impossibile planè erit humorem crassum è cerebro defluxum, ac in tenuiores bronchiorum ramos perductum, in angustissima dictorum vasorum oscula subingredi. At si ipse humor crassus ex his in bronchiorum oscula traijciatur, hoc quippe non nisi magna pulmonum discussione, maximoq; conatu perficitur: quæ quidem discussio non quidem ingredienti, sed duntaxat egredienti humori famulatur; & propterea tussis animantibus ad hoc solum constituta est à natura, vt noxius humor ex pulmonis, & aliarum pectoris partium vasis excludatur, non autem vt aliunde in cordis, pulmonis, & aliorum nobilium viscerum penetralia iniquè surripiatur.

Arteriæ venalis, & venæ arterialis diuaricatio, & vsus.

Arteriæ asperæ progressus, & vsus.

Tussis ad quē vsum sit constituta.

Quòd autem arteriæ, atq; venæ è cordis finibus profectæ in tenuiores adhuc surculos desinant in pulmones, tu ipse Galene doces 15. de vsu part. cap. 6. dum scribis venas; & arterias, quæ feruntur ad pulmonem, semper se minuendo procedere, ita vt veluti arboris radices in eo inserantur, vt scribis 6. de loc. aff. cap. 3. Quod verò huiusmodi angustissima vasa effundendis quidem in pulmonem, non autem ab hoc excipiendis humoribus crassis, & viscidis sint valdè parata, nec est vt verearis, cùm hoc ipse doceas in 4. de præsag. ex puls. cap.

Venæ, et arteriæ quo ordine sint per pulmonē distributæ.

Vasa pulmonis tenuissima cui vsui sint destinata.

cap. 2. dum inquis. Quia laxum, & molle viscus pulmo est, & vndiq; vacuū, à pituitosiori, atq; crassiori sanguine inflammatur, cùm subtilis, biliosusq; fluat ferè, neq; cum viscere vlla ratione cohærere valeat: quod etiam testatur Aetius tetr. 2 ser. 4. cap. 68. dicens. Ex cruditatibus plurimis, & cibis humoris crassi, ac pituitosi, veluti sunt bulbi, ac fungi, & consimiles; crudi humores, viscosiq; & tenaces in corpore generātur, qui aliquando repente se in vacuum thoracis locum ingeruntur, aut in ipsum etiam pulmonem. Quare si humor inter pulmonem, & thoracem contentus in asperas arterias recipitur, vt ipse quoq; asseris in 5. de loc. aff. cap. 3 & 5. aph. 8. cur non etiam ille, qui est in venis, & arterijs, quæ à corde deriuantes, insinuantur in pulmonem, non recipietur in ipsam asperam arteriā? Non ne pulmo ab ijs suscipere debet excremētum à quibus suscipit nutrimentum? Id maximè, quoniam tu pluribus locis edoces pulmonem à corde mediante vena arteriali nutrimentum accipere, vt 6. de vs. par. c. 17. & 2. de nat. fac. c. 1. omnimoda namq; pituitæ cruditas, & redundantia intelligenda est, te docente in 2. de nat. fac. c. 9. quæ in ea coctione incidit, quæ in venis agitur, non autem, quæ prima est, & quæ ventriculo percipitur, cùm, si hac deficeret, vt succus quidam, omnino esset. Si ergo nutrimentum ex maioribus vasis è corde proficiscētibus pulmoni suppeditetur, non est verendum excrementum quoq; simul impertiri, cùm ipsi plumoni, dicas in lib. de nat. hum. com. 2. text. 6. sanguinem ex corde per venam magnam subministrari: & ob id fateri coactus es in 11 meth. cap. 19. & 7 eiusd. cap. 13. per asperam arteriam, & fauces, pectus, & pulmones expurgari; immo 2. de loc aff. cap. 9. clarius id declarans, hæc scribis. Quòd autem inflammatarum thoracis partium excrementa per asperam arteriam referantur, eius rei causa, tum ad positum, tum ad formationem referenda est, quippe quæ per solam hanc viam effluere possunt: nam pulmo tā coniunctus est, & proximus cordi, vt communem habeat per maxima ostia humorum confluxum, te teste in 4. de præsag. ex

Pulmo rar⁹, & laxus à quo sāguine inflāmetur.

Pulmo à q̄bus vasis excrementum, & alimentū suscipiat.

Pituita omnimoda cruditas, & redundantia, quę intelligatur.

Pulmonis cū corde ob viciniam communio.

ex pulſ. cap. 2. propter quod commune horum principium viſcerum conſenſum, & viciniam mutuam alterutris gratiam eſſe referendam ſcribis 6. de vſ. part. cap. 10. eo quòd ſicuti pulmo ſpiritum inſpiratione protractum cordi ſubmininſtrat; ita cor vt pulmoni hoc beneficium rependat, non paruum illi nutrimentũ ſuppeditat: etenim pulmo cùm, vt ibidem inquis, propter eius perennem motum, & propter caliditatis copiam, quam ipſe ex cordis vicinitate, & ex ipſa motionis aſſiduitate, & conſtantia conſequitur, copioſiore quàm cæteræ corporis partes, egeat alimento, opus habet, vt craſſus, & grauis ſanguis in ſingulas eius particulas dimittatur.

Humorum ſcaturiginem pulmonem proxima, & remota quæ ſit.

Ex ijs igitur tuis proprijs monumentis conſpicuò intelligere poteris eorum, quæ colliguntur in pulmone, vel in alijs pectoris cauitatibus, humorum ſcaturiginem non eſſe cerebrum, vt tu paſſim autumas; ſed vt propiorem fontem, eſſe maiores, quę intra thoracem ſunt, venas, & arterias: vt autem remotiorem, eſſe vniuerſum genus tum venoſum, tum arterioſum; cùm ab omni corporis particula facile poſſint ad pulmonem velut ad centrum, & ad viſcus omnium calidiſſimum, & rariſſimum humores confluere.

Idem probatur authoritate Sennerti, à quo duabus etiam quæſtionibus demonſtratur materiam in Aſthmate non quidem à capite, ſed à vena arterioſa, & ab alijs circumuicinis vaſis deriuare.

CAPVT XXI.

Sennertus fauet Autoris opinioni.

HVic meæ opinioni appoſitiſſimè fauere videtur ſapientiſſimus Daniel Sennertus, qui in 2. eius locupletiſſimę practicæ libro, cap. 2. de Aſthmate, hæc ſcribit. Materia autem bronchia pulmonum, ſeù obſtruens, ſeù comprimens, nunc in pulmonibus ſenſim colligitur, ob debilitatem, & cachexiam illius viſceris, vt docet Auicen. 3. canon. fen. 14. tract. 4. cap. 3. & bron-

bronchia obstruit, quæ interdum etiam in calculum, & grandinem induratur: nunc verò aliunde affluit. Fit hoc interdum à capite, cùm catarrhi à capite lapsi in pulmonibus subsistunt, id quod vulgo frequentissimè fieri putatur. Verùm ego id rarius accidere puto, vt postea quest. 2 dicetur, & frequentissimam Asthmatis causam esse puto materiæ per venam arteriosam in pulmones effusionem; dum scilicet circa hapar in venoso genere crudi humores colliguntur, & per venã arteriosam in pulmones effundũtur & bronchia pulmonis comprimentes respirationis difficilis, & asthmatis propriè dicti mali, scilicet diuturni, & contumacis illius causa sunt. Et si enim in hydropicis humor serosus ad thoracem penetrans respirationem difficilem efficere possit: tamen ea respiratio difficilis propriè Asthma non est, sed ab hydrope morbo primario dependet. Et quidẽ ille humor, qui è venis per venã arteriosam in pulmones confluit, non sẽper crassus est, sed sępè tenuis, & serosus, qui in venis, & arterijs collectus, nunc motu corporis, nunc ira, sępè verò ad aeris, & tempestatis mutationes, agitatus in pulmones irruit; vnde paroxysmus sæpè secundũ Lunæ motũ, & quarto ferè die exacerbatur. Non impossibile tamen videtur, vt humor etiam talis (cùm arteriæ multo sero abundent) per arteriam venosam in pulmones infundatur. Hactenus ille.

Potissima Asthmatis, & difficilis anhelitus causa.

Humor Asthma efficiens qui sit, et vnde effluat

Paroxysm' asthmaticus lunatico more procedit.

Præterea in fine huius capitis, vt dictum est, duas quæstiones proponit, & eruditissimè illis satisfacit, quas, quoniam non parum ad nostram sententiam confirmandam conferre animaduerto, huc non pigebit, neq; pudebit in compendium transferre.

Quæstio prima.

Prima est, An humor Asthmatis causa, hæreat etiam quandoq; extra bronchia pulmonum?

Alexander Massaria, inquit, Auicennam repræhendit, quòd statuat humorẽ Asthmatis causam contineri quandoque etiam extra bronchia pulmonum in ramis leuium arteriarum, quarum propagines multę per pulmonem distribuuntur, statuitq; si in pulmonibus obstruantur propagines leuium arteriarum, non asperæ arteriæ, cor laborare, pulsusq; fieri inæquales, minimeque asthma excitari, nisi bronchia pulmonum simul obstruantur.

Verùm enim verò materiam asthmatis causam quandoque

Humor asthmatis causa ubi quãdoq; resideat. *Hollerij obseruatio anatomica.*

etiam extra bronchia pulmonum in alijs pulmonis vasis, imò in ipsa pulmonis substantia consistere, multæ Medicorum observationes docent. Ita Hollerius in quodam pulmonem tanquam spongiam imbutum multo humore pituitoso inuẽtum esse scribit: & patet id ex eo, quòd qui asthmate laborant, non continuò cum stertore, & sonitu respirant, neq; etiam semper tussiunt, aut si tussiunt, tussis tamen sicca est, quod minimè fieri deberet, si materia in asperis pulmonum arterijs semper consisteret. Nam aer materiam transiens, & displodens, sonitum, & stertorem excitat, & quicquid in aspera arteria, eiusque ramis extitit, tussim excitare solet: & ipsa tandem origo Asthmatis, de qua quæstione sequenti dicetur, satis docet, causam asthmatis potius in venis, & pulmonis substantia, quàm in asperis arterijs contineri.

Stertor in asthmate unde fiat.

Quæstio altera.

Altera quæstio est, An Asthma frequentius à catarrho, an verò ab humore crudo è venis in pulmones effuso excitetur?

Vulgi opinio de causa asthmatis.

Vulgata opinio est, inquit, frequẽtissimè à cerebro frigido, & humido, atq; excremẽtis abundãte materiã pituitosã ad pulmones descendere, atq; ibi hærentẽ Asthma parere. Verũ, etsi nõ nego quandoq; post catarrhos aliquid pituitę in pulmone restare, eiusq; brõchia obstruere, & asthma excitare posse: tamen rarius hoc fieri existimo, sed frequẽtissimè asthma generari puto ab humorib⁹ crudis circa hepar; imò in vniuerso genere venoso collectis, & per venam arteriosam in pulmones effusis. Etenim si materia è cerebro descẽdens causa asthmatis esse debet, necessariò catarrhus deberet asthma precedere, atque tussim adesse, quod tamen nõ semper obseruatur: namq; si vel leuiter saltẽ asperæ arterię afficiãtur, tussis excitatur. Multaq; alia subdit cõtra Zecchiũ, cũ quo disputat circa causã, ꝓpter quam in asthmate vt plurimũ tussis desideretur, quæ quoniam nostro huic instituto parum conducunt, parũ imorabor.

Nota

Asthma si fieret ex catarrho; quid sequeretur.

Cur in Asthmate non fiat tussis?

CAPVT XXII.

HOc vnum tamen lubet non silere, quod scilicet ratio, propterquam non fiat tussis in asthmate, non est, vt

sentit

ſenſit Ioannes Zecchius in conſult. 18. quod ob ęqualem partium ſpiritalium intemperiem illis habituatam triſtis ſenſus ijs non fiat, qui valeat tuſſim excitare; quoniam ipſa reſpirationis organa non ita ſenſus expertia ſunt, quæ ab aliqua intemperie licet habituata, quoquo pacto non ledantur, tum quia non tantum ea, quæ in æquali intemperie lædunt, tuſſim irritandi vim habent, ſed etiam quæ ſpiritus vias impediunt, vt facit humor in bronchijs pulmonis hærens, qui perpetuò tuſſim irritat, quemadmodum eadem ratione efficiunt grandines, & ſi longa patiendi aſſuetudine ab his vllus in ea habitus talis poſſit introduci. Nec quia ob humorem aquoſum ſenſim deſtillantem, & pulmonis hydropem efficientem, non ita irritentur illa ſpiritus organa, quæ tuſſim pariant, vt ibidem arbitratur Mercurialis: quoniã præter quòd ipſimet duo excellentiſſimi Viri fatentur nihil quantumuis minimũ poſſe citra tuſſim in aſperam arteriam illabi, non etiam id fieri poſſe dico ob pulmonis hydropem, quoniam ita nõ aliquãdo aſthmatis ſymptomata ſoluerentur, ſicuti nunc inuadere, nunc remoueri conſueuerunt, ſed ſemper eodem modo ſe haberent, aut ſaltem more hydropis perpetuò ſuſciperent incrementum. Neq; id arbitror euenire, vt ipſe Zecchius ibidem ſubdit, ob magnam ſpiritalium vaſorum obſtructionem, ꝑpterquam confracto ſpiritu propulſante, haud tanta fieri poſſit efflatio, quæ tuſſim efficiat: quia ſi vis efflatiua ſic languida eſſet, vt arbitratur, nõ tam expedita, nec maior in aſthmate, vt ſolet, inſpiratione fieret reſpiratio: imò præ illorum organorum anguſtia, & ſpiritus interceptione obruto ſpiritu, fieret ſuffocatio, aut ſaltem aliqua tuſſis formaretur; quorũ tamen neutrum ſequi obſeruatur. Cęterum manente etiamnum in bronchijs pulmonum causâ, ſimul etiam continuaret affectus, quod tamen non apparet, cùm ſæpè contingat ęgrũ ab aſthmatis paroxyſmo liberari. Huic reſpondens Alſatius Crucius de quæſit. per epiſt. cent. 2. quæſ. 9. inquit fluentem à capite ad tracheæ initiũ pituitam per ſcreatũ maiori ex parte excerni, fluxam verò, quæ in aſperis arterijs, & bronchijs

Io: Zecchij ſententia de cauſa cur in aſthmate nõ fiat tuſſis.

Mercurialis de eadem q̃ſtione ſentẽtia.

Zecchij alia ratio vellicatur.

Alſarij Crucij reſponſio non accipitur.

continetur, nec tuſſi educitur, in halitum digeri, & reſolui in thorace præſertim calidiſſimo: quæ autem, vt ſæpè euenire ſolet, leuibus in arterijs concipitur, per vrinę vias expurgari eo modo, quo empyicorũ, pleuriticorum, & pneumonicorum pus per vrinam mediantib⁹ arterijs ſolet expurgari. Hæc reſponſio non accipitur, quia, vt dicebam, quodcunq; modicũ pituitę decidat in tracheã, impoſſibile eſt tuſſim non excitari: tũ quia q̃buſcunq; pectus calidum eſſet, ſicuti plurimis ineſt, ſequeretur pituitam in aſperam arteriam inſtillatam per habitum reſolui, nec vllum in pectore morbum vnquã efficere: quę quidem abſurdiſſima ſunt; imò ſequeretur quibus calidius ineſſet pectus, non ſolum materiam in tracheam deſtillatam minus reſolui, ſed potius in pectore catarrhali materia abundare, cùm doceat Auicen. fen. 5. lib. 3. tract. 1. cap. 11. habentes complexionem calidam, vehementius eſſe præparatos ad recipiendum cauſas extrinſecas facientes catarrhum, quàm habentes complexionem frigidam.

Catarrho magis obnoxij.

Cauſa igitur, cur in aſthmaticis non adſit tuſſis, eſt, vt ego arbitror, quoniam materia non à capite defluit in arteriam aſperã, neque in bronchijs pulmonum reſidet, & obſtruit, vt plurimi Medicorum arbitrantur: ſed quia vt plurimum reſidet in leuibus arterijs, & etiam in tota pulmonis ſubſtãtia, teſte Auicen. l. 3. fen. 10. cap. de aſthmate; quoniã ſi in aſpera reſideret arteria, vel in bronchijs pulmonum, oporteret tuſſim adeſſe perpetuam; quia quantulacunq; teſte Hippocrate 4. de morb. pituitæ portio in pulmonem peruenerit, aut in fiſtulam ipſius, multa ac fortis tuſſis oboritur, atque conuulſio: cuius rei inditium eſt, quòd ſæpè, vt dictum eſt, videmus aſthma citra tuſſim, aut materiæ expectorationem remoueri; quoniam materia illa in venas maiores reuerſa, vel ibi remanſerit, vel per vrinam, aut aliam viam expurgata fuerit: tum quia non rarò euenit, vt ſuppreſſis menſib⁹, vel hmęorrhoydib⁹, aut alia conſueta expurgatione, citra catarrhum aſthma ſuboriatur, q̃ quidem arguit in leues arterias materiam illã eſſe refluxam: leues autem arteriæ, cùm pertenui, debilique tunica ſint conſtructæ, vt teſtatur Gal. in 6. & 7. de vſ. part. nõ mirũ eſt ſi nullam vim habeant materiã ꝑ tuſſim deijciẽdi, ſi-

Authoris ratio.

di; ficuti è contra cumulatè obtinent asperæ arteræ, quibus den sior, atq; durior inest tunica; quoniam aspera arteria cùm in medium pulmonem ferratur, ac in vtranq; eius partem biceps dispergatur, necessum erat hanc robustiorem esse, tum vt pulmo aeri recipiendo latissimè hiaret, tum ad fuliginosum spiritū emittendum, materiamq; pituitosam discutiendum, validam haberet expultricem: tum etiam vt totam pulmonis machinam simul expanderet, & contraheret; tametsi horum motuū principium alijs attribuatur. Hoc totum luculenter à Galeno expressum est in 7 de vs. par. cap. 9 dum inquit. Vnde perspicuum fit asperas arterias sic à natura fuisse constitutas, vt pulmonem in maximam distentionem agerent: quo vno commento id est assecuta, vt in inspirationib⁹ aer externus in has solas necessariò ingrederetur. Quando igitur spiritus in cor attrahitur? Nēpe eo dilatato: quēadmodū rursus compresso excernitur: leues enim arterias cordis motibus, asperas verò pulmonis seruire est necesse. Porro ꝙ duo sint horū motuū principia toto genere discrepantia; quodq; cordis motus à natura, thoracis verò ab anima edantur, & quod melius fuerit actionē nostram esse respirationem voluntati animali semper seruientem, iam sæpè demonstratum est. Hęc Gal. Ex quibus clarè conijci potest causam, ob quam materia in leuibus arterijs contenta, sicut in asthmate, non faciat tussim, triplicem esse, hoc est earum imbecillitatem; nec non quia sunt organa facultatis naturalis; tussis autem fit partim à natura, partim à causa morbifica lædente, authore Gal. in 2. de simpt. caus. cap. 3 propter quod vocatur motus illegitimus ab eodem ibidem cap. 1. tum etiam quia ipsæ leues arteriæ sunt instrumenta cùm spiritum, tum sanguinem deferentia, quæ cùm sanguini sint assuetæ, neutiquam ab humore irritantur ad discussionem, sicuti faciunt asperæ, quæ soli aeri deferendo sunt assuefactæ; propterquod ab humore quopiam vel benigno ad tussim prorritantur; vt docet Gal. 7 de vs. part. cap. 8. his verbis. Si portio aliqua sanguinis in asperas arterias ex leuib⁹ effundatur, hunc casū repentè tussim consequi, & per os sanguinem educi opus est.

Asperæ arterię natura, & vsus.

Arteriæ leues, & asperæ cui vsui sint constructæ.

Cordis, & thoracis motus à quo fiat.

Cur materia in leuib⁹ arterijs contēta non faciat tussim.

Illud quoque non omittam, quod ipse Zecchius scribit in con-

Zecchij sententia de termino à quo materiæ catarrhalis.

consult. 18. vbi quamuis non neget à capite in asperas arterias, & pulmonem materiam destillare, asserit tamen à toto corpore, & à vasis ad pulmonem pertingentibus deriuare, his verbis. Ad hunc affectum aliæ duæ causæ cõcurrunt, nẽpè excrementorum ab vniuerso corpore copia in pulmones delegata. Partes etenim omnes, Hippocrate authore, simul consentiunt, conspirantq; nec non succi vitiosi in eorũdem pulmonum substantia accumulati, ob vitiatam coctionem, & c. Hoc etiam videtur insinuari à Scholiographo ad cap. 25. lib. 1. Hollerij de morb. inter. his verbis. Causã symptomatum asthmatis, siuè morbum ipsum non semper in fistulis, aut cauitatibus pulmonum consistere experientia constat. Anno 1549. Mense Septembri quidam in Collegio d'Arras breui asthmate interijt. Corpore dissecto, abscessus repertus est in vena arteriosa, & sine pari, integris omnino pulmonibus. In quodam nomine Britio asthmate mortuo in via Calendæ, pulmo tanquam spongia imbutus multo humore pituitoso inuentus est. Quam autem materiam horum morborum effectricem haud dicendum est à capite prouenisse, sed à vena caua, deinde ab arteriosa, ac inde in leues arterias influere, in quibus non raro ob dictum humorum crassorum influxum fieri obstructiones, prodit Petrus Diuersus in cap. 21. morb. part.

Scoliographi sententia de causa Asthmatis.

Casus Asthmatici.

Casus alter.

Terminus à quo materiæ Asthmatis.

Tandem non ne quotidiano experimento cernimus in ijs, quibus partium inferiorum, vt hęmorrhoidum, vteri, genitalium, crurum cauteriorum, plagarum, & eiusmodi aliarũ partium consuetæ purgationes sunt suppressæ, asthmata, orthopnoeas, phthyses, tusses, & copiosos pituitæ prouentus ex pulmone succrescere, quæ quidem nemo vel mediocris ingenij auserit dicere à capite destillare, sed à partibus infernis ob consensum, quem habent cum thorace, atq; pulmone mediãtibus venis, & arterijs maioribus, è quibus superflua sanguinis cùm minus valeant ꝑ dictas partes expurgari, regurgitant in pulmones, eoq; velut in cloacam restagnare consueuerunt.

Cõsuetę purgationis suppręssæ incõmoda.

Noto

Nam rarus, vt supra ex Aretæo l. 1. diut. c. 10. dicebam, ac for-

ac foraminolentus pulmo est, spongię similis, humorem haud molestè ferens: qui aliam post aliam inanitionem, eousq; donec ad asperam arteriam deveniat, permutare: quod videtur ipsemet Gal. adamussim confimare in 2. prognost. com. 50. dum inquit. Itidem pulmo laborans inflammatione excernit humores quosdam ad intimas sui ipsius sedes inanes: quæ, inquam, asperæ arteriæ sunt: qui cum à tussedine sursũ ferrantur, excreantur, inditium afferentes committentis pulmoniam fluxionis: illius enim ceu serum quoddam habentur.

Hũoris pulmonem inflãmantis origo, & residentia.

An potus in pulmonem, cibus in ventriculum deferratur?

CAPVT XXIII.

VTrum autem potus in pulmonem, cibus verò in ventriculum ingeratur, tam planum est, & compertum, vt nõ mereatur in controuersiam reuocari; attamen cum de hoc antiquissima sit, & à grauissimis Viris plurimum agitata quęstio, non erit fortasse citra rationem hîc quoq; eandem refricare. Nam diuinus ille, ac Philosophorum facilè Princeps Plato iure merito quidem posset à quopiam nedum mirari, sed maximè vitio verti, quòd asseruerit potum deferri per tracheam arteriam in pulmonẽ; nisi Protogens Gramaticus apud Plutarchum 7. sympos, quæst. prima contestaretur id omnium primum sensisse Homerum. Vnde excusatione dignus videtur ipse Plato à tanti Viri authoritate fuisse seductum: quoniam tantæ existimationis erat Homerus apud Antiquos, vt quæ vel fabulosè cecinerit, tanquam vera crederentur. Ita non mirandum sed pariter excusandũ esse inquit Nitias Nicopolita Medicus, illum Alcęum antiquissimum Poetam, qui peræquè Homerica auctoritate deductus, illum versiculum promulgarit.

Plato cur in re mirãdus, & vitio vertendus.

Homerus quantæ existimationis fuerit apud Antiquos.

Alcæus cur excusandus.

Τεγγε πνευμονας οἴνῳ τὸ γὰρ περιστέλλεται, hoc est

Riga pulmones vino, nam caniculæ astrum exoritur.

Tum etiam quia cùm vates exiuerct, illud credendum est igno-

Agellius incusatur.

ignorasse. At hîc incusandus est Agellius, qui conspicuò hallucinatus est, dum inquit. Plutarchum in 7. sympt. q. 1. illius Platonicæ sententiæ authorem fuisse Hippocratem, quia nec ibi hoc dicit Plutarchus, nec vllibi constat ab Hippocrate suam sententiam mutuatum esse Platonem. Quod fortasse causa fuit, vt in eundem errorem lapsus sit quoq; bonus Mercurialis in lib. 3 var. lec. cap. 5. & alibi. Verum est quidem quod Plutarchus in Stoicorum repugnantijs asserit Hippocratem, Philistionē, Dioxippum Hippocraticum nobilissimos Medicos, & ex Poetis Euripidem, Alcæum, Eupolem, Eratosthenem Platoni illius sententiæ non Authores, sed Testes existere. Nam etsi constet in libello de corde à quodam authore sub Hippocratis nomine illam Platonis opinionem sectari; attamen in 4. lib. de morb. apparet ab Hippocrate; aut ab aliquo eius sectatore illam sententiam acriter aduersari. Idcircò magnus est error existimari ab Homero, & Platone, vt inquit Nicias, cibi viam esse stomacum, potus autem asperam arteriam: at grauius est credere nedum potum, sed & cibum transferri in pulmonem, vt arbitratus est Florus apud Plutarchum, qui Platonis, & Homeri simul defensionē arreptus, ad id probandū, illud affert in odiss. p. 373. *Ille* (scil. Polyph.) *erructauit p fauces frusta crueto mixta mero.* Quasi quod illi Cyclopi vnicus esset meatus potui, ciboq; communis perinde atque oculus.

Mercurialis excusabilis lapsus.

Error grauis qui sit.

Error grauior qui. Flori sētētia

Cæterum ad probandum asperæ arteriæ excipiendi, ad pulmonemque deuehendi potus vsum, alios Poetas adducit testes, vt Eupolin, Eratosthenem, & Euripidem: quibus, quoniam Poetæ sunt, hoc piaculum condonemus. Verùm grauius est in re medica Medicos quoque hîc aberrare: nam ipse Florus, non nullos celeberrimos nostre Artis Professores ad idem confirmādum producit, nēpè Philistionē Locrensem peruetustum quippe hominem ac Dioxippum Hippocraticum, imò in Stoicorum repugnantijs, vt dixi, Hippocratem ipsum. Hic enim vt eius placitum rationibus confirmet, ait epiglottidem arteriæ a natura fuisse præpositam, vt veluti sepimentum, & penu, vel operculū potum ab alimento secernat, quatenus scilicet nō sinat eum confertim

Grauior adhuc error q.

Flori ratio. Epiglottis cur præposita sit arteriæ asperæ.

sertim, & subitò influere, & spiritum opprimere; aut saltem turbare; sed sensim, ac paulatinè in ipsam arteriam percolare, quod sensu ipso patere dicit, quòd nimirum arteriâ perforatâ per vulnus erumpat potus, non autem deglutiatur. Huic maior fides conciliatur ex vehementissima siti, quę ex pulmone oritur inflammato. Item aues cùm careant Epiglottide, nequeunt potum haurire, aut lambere, vt nos facim us, sed immersis rostris paulatim eum in arteriam excipiunt, & sic eam irrigant: Hinc obseruatum est animalia pulmonis expertia, potum nescire; & ob id ijs vrinæ instrumenta deesse certum est. Cæterum sicuti distincta sunt potulentæ, & esculentæ materiæ vasa excretiua; ita discreta esse debent eorundem excipientia: pulmo igitur potulentum recipit, & retrimentum vesicę delegat: ita ventriculus alimentum admissus, reliquias in intestina detrudit. Si igitur vtrisq; vnum esset receptaculum, vnumq; emissarium, frustra essent duo exceptioni, duoq; depositioni membra constituta. Præterea in vrina, quę est potus retrimentum, aliquid exculenti vestigiũ deprehęnderetur, quod scilicet vel colorem, vel odorẽ cibi repræsentaret. Et tandem si venter esset etiam receptaculũ potus, cur in eo sicut in vesica non gignitur calculus? Nam ex potulento humore lapidem coalescere volunt. Statuit ergo vẽtriculum eam humidi portionẽ retinere, quæ diluendo cibo sufficeret; reliquum verò pro irrigando pulmone in tracheam surripi. Et hæc Dioxippus, cui propè assentitur Author libelli de corde, q sub mẽtito Hippocratis nomine hęc ibi scripta reliquit. Cùm quis bibit, maximam partem in ventrem demittit. Gula enim velut infundibulũ, & potus copiam, & quęcunq; expetimus excipit. Cùm bibit autem, in guttur demittit, verùm quasi ex mamma sugens quantum suo impetu fluens latere possit. Epiglottis enim Græcè dicta, operculum exactum, nec ampliorem quidem potum transmiserit, cuius rei hoc est inditium. Si quis enim aquam ceruleo colore aut minio inquinatam valde sitienti potui exhibeat, præcipuè verò Sui (Hoc enim pecus, neq; curam adhibet, & immundum est) deindè adhuc bibẽti iugulum secuerit, hanc tali potu coloratam reperiet. Cęterum qua ratione

Aues cur nequeant potũ haurire.

Vrina quid sit.

Calculus ex quo humore coalescat.

Gula cui essimiletur.

Epiglottis cui vsui facta.

Cur aqua affatim hausta tussim excitet.

aqua affatim incidens, molestiam, ac multam tussim exibet? Hac sanè de causa, quod ex aduerso respirationi occurrit. Nam quod per asperam arteriam influit, cùm iuxtà parietem feratur, aeris sursum elationi non obsistit, sed quandam vel lucem ipsi viam humectatio præbet. Hunc autem humorem vnà cum aere à pulmone abducit. Aerem itaq; cùm medela existat, retro, vt per eandem viam, per quam adduxit, ex necessitate reijciat oportet. Humoris verò partem quidem in suam vaginam absorbet partem etiam rursus vnà cum aere foras ferri permittit. Istaque via, cùm spiritus retrofertur, palatum diuicit. Iusta autem ratione retro recurrit. Neq; enim hæc hominem alere possunt. Hactenus ille. Talis est ergo priscorum Poetarum, Philosophorum, atque Medicorum

Platonicorũ excusatio.

Platonicorum opinio: quos omnes vtpotè qui vetustissimi Vatis authoritate sunt prolecti, tum qui tunc temporis floruerunt, quo adhuc Ars medica, & præsertim anatomica rudis erat, & balbutiens, ita vt non mirum sit si multa tunc ignorauerint, quæ nobis clarè innotescunt, gratis ignoscendos, & excusandos esse arbitrarer.

Sententiæ opposita sectatores.

Verùm enim verò non nulli Philosophorum, atque Medicorum Veterum pręstantissimi Viri hanc perfalsam sententiam indignè ferentes, in eos, & pręsertim in Platonem principem eiusce opinionis fautorem acriter insurrexerunt: inter quos potiores extitere Hippocrates, Aristoteles, Erasistratus. Post hos autem Plutarchus, Galenus, Macrobius, Agellius, Lactantius, Rhodiginus, & alij recentiores. Hæc sanè opinio tam rationi est dissentanea, vt, teste Nicia penès Plutarchum eodem loco, eiusdem defensoribus nullam verisimilis rationis occasionem reliquerit. Quare illam vt falsam, atque fatuam à nemine audiendam, atque prorsus irridendã esse prodit Aristoteles in 3. de part. ani. cap. 3. multis rationi-

Aristotelis rationes.

bus: nam nullus apparet meatus, qui è pulmone ad ventrem perducatur, sicuti ex ore gulam tendere cernimus: deinde per vomitum, & nauseam, vnde humor fluat, & refluat, non est incertum, sicuti planum est humorem non ex pulmone continen-

nenter in vesicam aggerari, sed prius in ventrem colligi, & inde in renes, & vesicam excolare: cuius rei indicium est excrementa alui à vini atri fæce colorari: quod etiam patefactum est ex ventre vulnerato, ex quo quicquid potulenti esculentique ingestum fuerat, effluxisse visum est. Sed stultum fortasse inquit esse stultas opiniones admodum perscrutari. Rursus, subdit, arteria aspera, ne à cibo infestetur à ligula, mirè operitur: propter quod nō omnibus viuiperis hęc inest, sed ijs dumtaxat, quibus est pulmo, & quæ pilis, non autem cortice, neque pinnis intecta sunt: ijs enim loco ipsius ligulę guttur inest, qui hiat, & conniuet; hoc est admittēdo, demittendoq; spiritui aperitur: cibo autem ingerendo, ne quid illabatur, operitur: quod si contingat cibo suum iter aberrare, vel per inspiratum quidpiam in arteriam surripi, tunc protinus tusses, & strangulatus excitantur: quare solerti quodam ingenio motus ligulæ, & linguæ inditus est à natura, vt cibus nec in ore, cūm molitur, cadat sub dentes, neq; meando per fauces, labatur in arteriam. Quam duorum receptaculorum distantiam, & ciborum, ac potuum distributionem doctissimè, & luculenter explicat Erasistratus apud Macrobium in 7 satur. cap. 15. hisce verbis. Duas enim esse fistulas, inquit, instar canalium, easque ab oris faucibus proficisci deorsum, & per earum alterum induci, delabique in stomachum esculenta omnia, & poculenta, ex eoque ferri in ventriculum, quod græcè appellatur ἡ κάτω κοιλία, atque illic subigi, digerique, ac dende aridiora ex his retrimenta in aluum conuenire, quod græcè κῶλον dicitur: humidiora autem per renes in vesicam trahi, & per alteram de duabus superiorib⁹ fistulam, quę græcè appellatur τραχεῖα ἀρτηρία, spiritum à summo ore in pulmonem, atque inde rursum in os, & in nares, commeare: perque eandem vocis fieri meatum: ac ne potus cibusue aridior, quem oporteret in stomachum ire, procideret in ore, labereturque in eam fistulam, per quā spiritus reciprocatur, ex eaq; offensione intercluderetur animæ via, impositam esse arte quadam, & ope naturę ἐπιγλωττίδα,

Experimentū ex ventre vulnerato.

Ligula cur mirè operetur, & quibus insit, & quibus non.

Gulæ, & asperæ arteriæ distantia, & officium ex Erasistrato.

quaſi clauſtrum mutuum vtriuſque fiſtulæ, quæ ſibi ſunt cohærentes: eamque ἐπιγλωττίδα inter edendum, bibendumq; operire, ac ꝓtegere τὼ τραχεῖαν, ne quid ex eſca potuue incideret in illud quaſi æſtuantis animæ iter, ac propterea nihil humoris influere in pulmonem ore ipſo arteriæ communito. Hæc Eraſiſtratus. Hos duos in homine ductus, materialem ſcilicet, & ſpiritalem elegantiſſimè deſcrtbit Firmianus in lib. de opific. Dei cap. 11.

Firmiani deſcriptio de duplici ductu.

ſub his verbis. Quoniam ergo duo ſunt in homine receptacula, vnus aeris, quod alit animam, alterum ciborum, quod alit corpus, vt flecti ceruix, ac moueri facilè poſſit, duas eſſe per collum fiſtulas neceſſe eſt, cibalem, ac ſpiritalem, quarum ſuperior ab ore ad ventrem ferat, inferior à naribus ad pulmonem. Quarum ratio, & natura diuerſa eſt. Ille enim qui eſt ab ore tranſitus, mollis effectus eſt, & qui ſemper clauſus cohereat ſibi, ſicuti os ipſum quoniam cibus, & potus dimotâ, & patefactâ gulâ, quia corporales ſunt, ſpatium ſibi tranſmeandi faciunt. Spiritus contra, qui eſt incorporalis, ac tenuis, quia ſpatium ſibi facere non poterat,

Gurgulionis forma; & ſtructura.

accepit viam patentem, quę vocatur gurgulio. Is conſtat ex oſſibus flexuoſis ac mollibus, quaſi ex anulis in cicutæ modum inuicem compactis, & cohęrentibus, patetque ſemper hinc tranſitus. Nullam enim requiem meandi habere ſpiritus poteſt, quia is, qui ſemper commeat, demiſsâ vtiliter de cerebro membri portione, cui vua nomen eſt velut occurſu quodam refręnatur, ne aut teneritudinem domicilij cum impetu veniens attracta peſtilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat. Hactenus ille.

Vuæ natura, & vſus.

Accedit Author libri 4. de morbis, qui propter eximiam eius doctrinam merito inſcriptus eſt Hippocrati; at ſi huius non ſit, ſaltem Hippocraticum, vel Ariſtotelicum, vel Eraſiſtraticum ſtylum redolet. Is enim vt hanc falſam, & antiquam grauiſſimorum Virorum opinionem deſtruat, & ab hominum mente penitus deleat, multis, & validiſſimis rationibus vtitur.

Autoris quarti de morbis rationes.

Ratio prima

Prima eſt. Pulmo cùm cufuus exiſtat, & fiſtuloſus, orgaumque ſit ſpirabile, atque vocale, ſi in eum potus influeret, repletus nequiret ſpiritum reijcere, nec dimittere,

nec

nec consequenter vocem edere. Secunda. Si potus concideret in pulmonem, cibus in ventriculo tam siccesceret, & solidaretur, vt minime concoqui posset. Tertia Medicamenta purgantia in potu exhibita, cùm per vomitum, aut per secessum, vel vtroque modo deiectiones facere consuescant, si caderent in pulmonem, nec supernè, nec infernè purgarent. Quarta. Cum ipsa cathartica sint acria, & mordicantia, pulmonem exederent: etenim pulmonis substantia mollis atque rara, si à pituita salsa, vel acri facilè vlceratur, eò facilius à purgantibus vlceraretur. Quinta. Si potus in asperam arteriam, & pulmonem descenderet, protinus tussim excitaret, nam si tantillum pituitosi humoris laryngi insideat, confestim molesta tussis irritatur. Sexta. Vbi quis vinum nigrum ingesserit, nigra per aluum egerit. Septima. Cuipiam allia, aut quid aliud grauiter olens edulium ingesto, vrinam eiusdem cibi odorem referens excernitur. Octaua est Erasistrati. Si quis ciceonem, aut farinam coctam ebiberit, aut aliud glutinosi quidpiam sorbitione acceperit, idque ad pulmonem perueniat, hunc minimum temporis victurum speramus; nam obstructis spiritus vijs, aut subita obrepet suffocatio, aut saltem vehemens calor, & impensus dolor in toto corpore excitaretur, nec conueniens ventris egestio, si ad pulmonem deueniat, consequeretur. Nona. Quomodo posset lac pueros enutrire, si in pulmonem transferretur? Et subinde hæc addit. Ac ne ista quidem argumenta ad orationem nostram probandam adduxissem, nisi adeò multi potum ad pulmonem concedere existimarent. Ac necesse est eum qui velit auditorem à pristina sententia diducere, suisque verbis fidem facere, ad ea, quæ firmiter in opinione inhærent, multa argumenta adferre. Atque ob eam causam potus non ad pulmonem, sed ventriculum fertur, quòd ei propè adiuncta est hominis gula, quæ supra hiat, & ad quam tendit, simulque pulmonis fistulæ tanquam hederæ folium ita incumbit, vt si ad eum feratur, in deuorando minimè in se demittat. Et hæc Hippocrates.

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.*

His, & alia suggeruntur argumenta. Nam sæpè visum

Autoris argumēta alia. Primū argumentum.

est exhibitum vomitorium, paulò post totum cum cibo, vel sine hoc vomitu citra tussim fuisse reiectum; quod si è pulmone per asperam arteriam prodijsset, neutiquam absque tussi, ac anhelitus difficultate excerni, nec pristinâ quantitate reddi potuisset. Præterea sequeretur illis, qui totâ eorum vitâ

Secūdū arg.

aquam exhauriunt, vsqueadeo cor refrigerari (nam aquam aere longè frigidiorem esse constat) vt pro cordis caloris refrigerio, non aliâ opus habeant aeris inspiratione. Sicuti è contra qui vina maluatica, & generosa, vel aquam ardentem liberaliter ebibere consueuerunt, ijs pulmones protinus inflammarentur, & cor ita æstuaret, vt continenter febre vel ardente, vel hectica afficerentur; quod tamen nulli euenisse compertum est. Cæterum qui vnico haustu sex, aut octo vi-

Tertiū arg.

ni, vel aquæ libras ingesserint, si aliqua quantumuis exigua portio in pulmonem concederet (nam totam illius quantitatem impossibile planè est in pulmonem excipi) ijs abundè replerentur bronchia, ita vt necessum esset præpedito spiritus itinere, subitum subsequi strangulatum, aut orthopnæam, & aphoniam, aut non leuem vocis depravationem: & tamen conspicuò videmus, talibus & respirationem, & vocem multò faciliorem, & clariorem reddi. Præter hęc multa alia possent ad hoc probandum afferri argumenta: sed quoniam ex se res est superque satis cuique manifesta; superuacaneum videtur in hoc longius imorari.

Hæc controuersia conciliatur à Galeno in 8. de plac. Hipp. & Plat. c. 9 qui inibi Platonis partes suscipiens, vt cū Hipp.

Cōtrouersia cōciliatio ex Galeno.

Aristotile, Erasistratoque, & alijs eum calumniantibus conciliet, hac vtitur distinctione. Si totum, inquit, nos potum in pulmonem deglutire existimat Plato, merito accusandus est: quippe qui apertissimam rem ignoret: Si verò portionem quandam potus per asperam arteriam transfusam exudare ad pulmonem arbitretur, probabile quoddam dicit. Modo cō-cludens, Platonem sensisse nō totum haustum deferri in pulmonem, sed portiunculam quandam, iure damnat illos, qui perperam deriserunt Platonē. Quòd vt rem clariorem red-

dat,

dat, hanc quæstionem expendendam proponit. An videlicet inter bibendum è potu aliquid ad pulmonem per guttur & asperam arteriam feratur, non repentè totum, neque per mediam instrumenti fistulam influens, sed per tunicam ipsā sensim irrorans. Vbi ipsismet Platonicis verbis demōstrans quàm indignè damnatus sit ipse Philosophorum Princeps, hæc habet. In eodem enim libro Timæi, in ventrem, quemadmodum cibi, ita potulenta omnia descendere inquit: neq; id semel, sed sæpius asserit. Eam verò, ille inquit, animæ partem, quæ cibos, & potus concupiscit, & reliqua, quibus ob corporis naturam indiget, inter præcordia, & umbilici terminos collocarunt: quibus luculenter explicat non in corde, & pulmone ciborum, & potuum concupiscibilem partem esse, sed infra septum transuersum. Et paulò post rursus ait. Cùm futuram in nobis ciborum, & potuum intemperantiam præuiderent, qui genus hoc nostrum condiderunt, nosque illis longè plusquam aut modus, aut necessitas postularet, ob ingluuiem esse vsuros: ne interitus ex morbis repentinis accideret, atque ita imperfectum statū mortale genus finiretur, cibi, & potus receptaculum supra eum, qui inferior venter appellatur, constituere. Inferius itidem scribit. Idem profecto de nostro ventre etiam considerandum est: qui cibos, & potus ingestos potest retinere: spiritum, & ignem, quę constitutione eius sunt longè tenuiora, non potest. Hic etiam manifestissimè, ait, dixisse cibos, & potus in ventrem deferri, ac inde succum ex his secretum in venas transferri, & totum corpus irrigare. Deinde non multo post subdit. Cùm enim, inquit, vltro, citroque respiratio commeat, ignis interior connexus sequitur, atque identidem, per ventrem diutius cibos, potusque depręhendens macerat, ac liquefacit: eosque in minutas particulas contritos per exitus, per quos ipse fertur, traducit, ac facit, vt quasi è fonte hausti in riuos, hoc est venas permaneant: atque ita per corpus quasi cōuallem venarum fluenta diducit. Quare subiungit hæc Galenus. Qui igitur stultum putant fuisse Platonem, vt qui in-

Quæstio à Gal. ꝓposita.

Plato indignè damnatus.

Anima concupitrix vbi resideat.

Cibi, & potus receptaculū vbi positum.

Succus ex cibo potuque expressus quo trāsferatur.

Calor innatus quomodo alimentū cōficiat, & per corpus distribuat.

Gal. in Platonis conuitiatores.

pulmonem ferri potum vniuersum opinatus sit, eos illo stultiores esse dixit, ac ideò valdè damnandos, quod ità impudenter mentiantur.

Galenus pro defensione Platonis duo facit.

His ita se se habentibus, modo Galenus, vt appareat quàm iniustè Plato condamnatus fuerit ab Antiquis, duo facit. Primum enim probabilem quęstionem ponit; num scilicet aliquid potus per interiorem gutturis, & asperæ arterię tunicam ingrediatur: cuius partem affirmatiuam, experimento quempiam in se ipso probare inquit; dum scilicet stans ipse satis copiosam aquam in os recipiat, deinde resupinatus orificium gutturis paululum aperiat (in nostra siquidem est potestate aperire, & claudere cùm volumus) tumque interlabi pauxillum quippiam in id ex ore persentiet, quod titillare, & irritare, si paulò copiosius extiterit, consueuit. Quia etiam irritatam tussim tollerando, aliquis cohibere potest, vt statim cesset, si pusillum in id sit, quod titillationem induxit. Quandoq; etiã fit, vt parua tussis excitata titillationem omnem nulla rejectione facta, discutiat. Secundum vnica distinctione hanc controuersiam dissoluit, & omnia Hippocratis argumenta demolitur. Inquit enim, ex quo satis patere arbitror, potionem, si vniuersa fuerit, & multa, ac demũ tanta, vt spirationis vias occupet, tussim irrigare; Si verò adeo pauca sit, vt per interiorem gutturis, arteriæq; asperæ tunicam quadam irroratione inspergatur, neque irritare, neque vllum penitus, dum per arteriam delabatur, sensum efficere. Quod cuique perspicuum fieri posse dicit, si quodcunque libuerit animal ad eam sitim redigens, vt coloratã aquam haurire patiatur, tum vel cæruleo, vel minio infectam potionem exibueris, ac mox iugulatum ipsum dissecueris, colore eodem infectum pulmonem habere depræhendens. Hoc idem asserit in secundo de simp.med.fac.cap.17.lib.7. de vs. part. c.17. & 5.meth.cap.12.

Primum. *Secundum.* *Experimentũ ex potione colorata.*

An aliquid potulenti defluat in asperã arteriã, & in pulmonẽ?

CAPVT XXIV.

Galeni sententia diligenter expẽditur.

AN autem hæc Galeni asserta opinio planè sit vera, non parum dubitatur: nam etsi hanc omnes Medici, vt multis Virorum

rorum teſtimonijs confirmatam, & quibuſdam apparentibus rationibus, ac falſis experimentis ſtabilitam, obſtinatè conſectentur: attamen ego firmioribus rationum momentis innixus, fidiſſimis Ducibus experientiâ, & magni Hippocratis doctrinâ, non vereor cum ipſius oraculo in 4. de morb. aſſerere, ac tueri nihil cibi, nec potus, & nihil aliud in aſperam arteriam, nec in pulmonem cedere, præterquàm ſpiritum, quem inſpirando trahimus: quoniam dato, nec admiſſo, quòd ex Galeni ſententia aliqua potus portiuncula per aſperæ arteriæ interiorem tunicam excolletur in pulmonem, præter hoc quod Hippocrates id non admittit; hoc etiam ſequi non prohibet, quòd nimirum quantulacunq; potionis purgantis, vt veratri albi portio ingrediatur pulmonem, fieri nõ poſſet, quin nedum maximã tuſſim excitaret, ſed etiam pulmonem ipſum vlceraret, imò cordis penetralia ſubingreſſo medicamento, illius tremores, ſyncopes, & alia vehementiſſima cordis pathemata conſequerentur; & tamen quotidiano experimento didicimus nunquã ex medicamenti purgantis hauſtu, licet acerrimo tuſſim fuiſſe excitatam; ſicuti è contra perſæpè vidimus ex minima ipſius veratri, aut tabacci portione naribus admota ſternutationem eſſe ſecutam, quod quidem ex halitu peracuto, & acerrimo per inſpirationem in odoratus, & reſpirationis organa ſubtracto, ac eorum expultricem irritante effectum eſſe credendum eſt.

Autoris rationes negatiuam partẽ tuentes.

Ratio prima

Porrò quid dicendum eſſet de illis ex Aliptarum, aut Nebulonum genere miſeris hominibus, qui ob ſacram auri ſitim non verentur dirum venenum exhaurire, quales fuerunt illi, quos vulgus vocat Oriuetanos: tum de illis aſthmaticis, quos truculẽti arſenici potu curari ſuadet Auicen. lib. 3. fen. 10. tract. primo cap. 40? Si tantillum enim huiuſce diri potus in aſperam arteriã laberetur, ac inde ad pulmones perſuaderet, impoſſibile planè eſſet hoc venenum protinus ad cor non perduci, & è veſtigiò ſpiritus vitales non perdere: & tamen non ſemel obſeruatum eſt nihil incommodi ex tali potione fuiſſe conſecutum: quoniam id nõ in pulmonem, ſed in ventriculum delatum, inde per vomitum, vel per alui deiectionem protinus expurgatum eſt. Si etenim

Secunda.

minima quantacunque venenosæ, aut elleborinæ, aut caustica, acerrimęque potionis particula attingeret asperam arteriam, & pulmonem, quis diceret non statim maximam tussim necessariò subsecuturam?

Tertia.

Præterea si exhibita cuiuslibet potus, aut lambitiui portio inderetur in asperam arteriam, & bronchia, sequeretur, quòd postquam quis ebiberit, quicquid ingressum esset ipsam arteriam, & bronchia statim absoluta potione, per respirationē, quæ necessario subsequitur potum, reijceretur: aut si intro retineretur, vel nulla, vel suffocatiua fieret respiratio.

Quarta.

Rursus si in phthysicis, & alijs pneumaticis morbis credūtur medicamenta, quæ dicuntur lambitiua, vel bechica aliqua ex parte ad pulmonem peruenire, ad quid ijs facienda sunt suffomigia, vt vapore vis medicamenti per inspirationem trahatur in pulmonem?

Quinta.

Manifestum item inditium nihil potulenti asperam arteriā ingredi, est quod, dum quis bibit, nequit simul spiritum haurire, atque potum, alioquin necessum esset vnà cum aere potum quoq; subtrahi; ac ideò fallax esset paræmia illud, quod nemo possit bibere simul, ac sibilare.

Paræmia.

Sexta.

Id clarius quoque hinc patere potest, quòd dum quidpiam cibi, vel potus deglutitur, necessum est gulam dehiscere, hinc miro naturæ instituto factum est, vt versus guttur deducta anteriore gulæ parte, tunc fiat ipsius gutturis depressio; propter quā prohibetur respiratio: cum enim cibus voratur, clauditur epiglottis, vt testatur Galeottus Martius lib. 2. de homine: vnde si, quando fit deglutitio, omnino spiritui intercluditur via, quanto magis cibo, atque potui tunc interdicetur ingressus?

Obiectioni præuenitur.

Neque dicendum est alicuipiam resupinè iacenti, nec deglutienti pauxillum quid potus, vel linctus citra tussim, ac sēsum per se in arteriam sensim instillare: quoniam id non nisi demortuis, aut maximè imbecillibus, aut resolutis, vel proximè perituris contingere potest: quib⁹ autem earum partiū vegetus est sensus, natura non patitur quidpiam præter aerē

in-

ingredi organa respirationis, atque vocis.

Tum quia per anatomen planè extat, ipso quoquè Theophilo Protospatario de corp. hum. fab. cap. 15. contestante, gutturis cartilagini Arytenæ vocatæ operculum quoddam cartilagineum a natura esse superimpositum, quod lingulam vocant, cuius magnitudo tanta est, quanto ipsius cartilaginis hiatus patet, vt ipse videlicet exactè occludatur: quare hoc frustra esset à natura constructum, si prçter aerem aliquid corpulenti ingrediendo in pulmonem delaberetur.

Septima.

Neque etiam fidendum est experimento potionibus coloratis facto, quia vt dixi, vel cuipiam proximè morituro laxatis faucibus, & gutture, non nihil infecti haustus, vel linctus visum est esse delapsum in pulmonem, aut quoniam in bronchijs, aut alijs pulmonis cauitatibus deprçhensus sanguis, aut alius humor, siue biliosus, siue croceus, siue porraceus loco potionis infectæ existimatus est; aut dicendum, id potius per quandam transcolationem, seù resudationem per poros ignotos factam euenisse, quàm per illapsum in asperæ arteriæ cauitatem. Scio equidem hoc anno à me diligenter illud periculum esse factum in Sue, quod docet Author libelli de corde, & tamen nihil eius potionis cærulei coloris infectæ, quam paulò ante iugulationem ipsi hauriendam dederam, in eius pulmone, neque in aspera arteria, neq; in bronchijs depræhendere potui, sed totam in ventriculū delapsam inueni.

Colorati linctus experimento non fidendum.

Linctus quomodo possint in pulmonem peruenire.

Experimentum ab Auctore factū.

Quare cùm Galenus cognosceret nihil siue potus, siue cibi asperam arteriam intrare absque magnæ tussis irritamento; hinc cogitur fateri in supracitatis locis materiam, quç inditur in pulmonem, non quidem per vacuum asperæ arteriæ transfluere, sed per tunicam eiusdem per transpositionem, vel percolationem in pulmonem transmitti; at hoc tam exiguum esse debet, vt non nisi quid spirituosum, aut aereum quasi ros quidam transmitti possit: ex quo non mirum esse debet, si toto corpore transpirabili, peruioq; existente nō nihil tenuuioris potus portiunculç per oesophagum, & asperç arterię tunicam per quandam διαπήδησιν transudet in pulmonem. Ad qnod ego

Marsilij Cagnati sententia.

facilius credendum adducor ex eo, quòd, vt Marsilius Cagnatus Vir nostræ ætatis celeberrimus, quo Romæ iam ego famigliarissimè vsus fui, inquit lib. primo var. obser. cap. 22. tam magna est inter pulmonem, & potum cognatio, vt licet nullatenus potus ab ore in pulmonem descenderit, ad eum tamen citissimè perueniat: vnde Iuuenalis Satyra 4. de Nerone dicebat.

Iuuenalis de Nerone.

Cùm pulmo falerno Arderet.

Si igitur ex ijs planũ est, vt statuimus, nihil potus, aut alterius tenuioris substantię ꝑ haustũ, aut linctũ in asperã arteriã descendere, quãto magis negabimus pituitã, aut aliã materiã potu longè crassiorẽ, & viscidiorẽ trãsferri ꝑ asperã arteriã in pulmonẽ?

Octaua. Hallucinatio in argumentatione multi ex minimo.

Cæterum demus aliquantulum potus, aut linctus prolabi in pulmonẽ quid porro? Ex hoc ne argues totam illam pituitariã illuuiem, quę sputo per tussim excutitur, è capite per asperã arteriam destillasse? Hallucinaris. Nam si ipsa in egressu tussim excitat, cur in ingressu non ita excitauit? An quia tunc fortasse benignioris notæ cùm esset non irritabat: nunc autem in dimora ex putredine, aut corruptione non nihil acredinis nacta pulmones vellicando, euaserit tussis irritamentũ? Hoc non placet, quia sicuti cerebrum ad sui expulsionem prouocauit, cur non ita pulmonem, qui cerebro ignobilius membrum non est, nec minori sensu præditum? Tum quia etsi qualitate non irritasset, saltem copiâ pulmones imbuẽdo, ne dum tussim, sed multo magis anhelitus difficultatẽ, & strangulatum, & vocis defectionẽ attulisset; quod tamen non percipitur antequã tussis incipiat molestare.

Nona.

Porrò pituita acris, aut salsa cùm naturâ sit omnibus sentientibus partibus molesta, statim ac fauces, aut asperę arterię principium attingeret, tussim prorritaret: atque pituita, quam percipimus tussim excitare, & respirationem impedire, non quidem in gutture, vel in asperæ arteriæ principio hæret, vel mouetur, sed eam ex bronchijs primò educi, deinde in asperam arteriam detrudi, & in os reiectari percipimus: quare conijciendum est illam nõ è capite in tracheam delabi, sed ex imis pulmonis anfractibus exanthlari.

Decima.

Prætereasi ex pituitoso humore à capite per guttur, & asperam

ram arteriam in pulmonem destillante fieret peripneumonia ex Hippocrate in lib. de loc. in hom. numero 24. sequeretur omnes hanc destillationẽ patientes peripneumoniâ laborare: imò quibuscunque salsa, acrisue destillatio inesset, omnes necessariò phthysici efficerentur, quod tamen verum non esse inde patet, quòd plurimos destillationibus à capite obnoxiari volunt, quorum tamen paucissimos dictis affectionibus pati comperimus. At quoniam non ex superioribus partibus, sed ex inferioribus ipsam materiam prodire credimus, hæc qualiscunque sit naturæ, dum ex pulmonis anfractibus in bronchia, & in asperam arteriam depellitur, & per sputum reijcitur, nullam pulmoni noxam afferre potest, nisi forsitan in eo diutius, quàm par sit retineatur, aut in cauitatibus thoracis remoretur: ad quæ loca non alius quippe aditus dari potest, nisi quem præstant cor, & maiores pectoris venæ, ac arteriæ, vt in superiori quæstione clarius explicatum est. Vnde dicebat Argenterius in arte parua com. 3. non mirum esse si affectus pulmonis difficilimè sanentur.

Conclusio.

Restat ergo vt concludamus quamcunq; materiam, quæ confluit in pulmones, ac eos infarcit, respiratum prohibet, vocẽ labefactat, & tussim irritat, ac huius ope p sputũ excernitur, non à capite deriuare, nec per asperam arteriam in pulmonẽ defluere: sed ex venis ac arterijs, quæ potius ex caua aortaq; deriuantes, in cor inseruntur, & ex hoc deinde in pulmonem insinuantur, scaturire, pro vt clarius in superioribus explicatum est.

Obiectio.

Sed quispiam obijciendo dicere posset. Cur exhibito quouis lambitiuo, aut potione pectorali, statim emolliuntur fauces, & aspera arteria, atque facilius tum materia expectoratur, & excernitur, quod quidem non fieret, nisi aliquid eius lambitiui, aut potionis ipsam arteriam non ingrederetur? Respondetur id fieri non quidem per alicuius dictæ materię subingressum in asperam arteriam, sed, vt Galenus docuit 8. de plac. Hipp. & Plat. c. 9. per quandam resudationem, & p aereę cuiusdam portionis transfusionem, qua irroratâ ipsa asperâ arteriâ, & pulmone quoquomodo humectato, molliores reddantur illę respirationis vię,

Responsio.

ex quo facilitatur materiæ illius expurgatio.

Aliquorum sententia de uia destillationis ad pulmonem.

Sed aliqui sunt, qui non p solitas eiusmodi vias ferri dicunt materiã à capite ad subiectas partes, sed per venas, arteriasq; iugulares mediantibus quibusdam earũ surculis in thoracem descendentib⁹. Hęc opinio cùm potius imaginaria sit, quàm physicâ ratione stabilita, mihi non probatur, quia maximè rationi dissentaneum videtur impurum cerebri excrementũ semel è venis, & arterijs per coctionem secretum, & reiectum in eas denuo ad inquinandam sanguinis, spirituumq; puritatem recipi, & sic totum secretionis opus indignè frustrari.

Reprobatio.

Incounietissimum in natura quid esset.

Ita inconuenientissimum est inutilia cerebri excremẽta extra venas, & arterias, vt dixi, à natura reiecta, & proprijs suis emissarijs, naribus scilicet, & palato expurganda sedulo consignata, & in os vsque vel nares ipsas deposita, in asperam arteriam, & pulmonem nobilissima organa perperam demandari, ac inde spiritus vias obstrui, ac spiritum ipsum coinquinari, & tandem strangulationi materiam suppeditari.

Cerebri atque Pulmonis mutua conueniẽtia.

Vbi animaduersione dignum est cerebrum, atque pulmonem duo quippe potissima nostri corporis mẽbra: illud equidem facultatis animalis; hoc verò vitalis est organum. Hæc enim pari conditione inter se mutuò videtur concertare: ambo siquidem sunt mollia, leuia, spongiosa, licet pulmo respirationis, tussiuæque concussionis gratia sit solidior, atq; firmior: tota item spirituosa, amboque venis, & arterijs vndique referta; vtrumq; etiam in suomet gremio spirituosę substantiæ conceptacula continent: vtrique per similes sunt naturales functiones: vnde pari ferè excrementorum prouentu scatent, & cuique sua propria expurgandarum superfluitatũ emissaria à natura sunt accommodè constituta, nec alterutris fit excrementorum communicatio, & ob id pulmonis aspera arteria correspondet cerebralis excrementi emissario, hoc est narium fistulæ; vnde sæpè vna sternutationis concussione peræquè vtrinque discutitur spiritus flatuosus: atq; tandem pro vtriusque spiritalis membri euentabulo, præter os, à natura additæ sunt nares, vt per has tracto per inspiratum aere,

cere-

cerebrum quoquo pacto possit suum quoque suscipere refrigerium.

In hoc verò tantum discrepare videntur, quòd cerebrum ob situs eminentiam, & sanguinis, ac spiritus puritatem, quibus irrigatur, longe pauciori, minusque crassiori, ac impuriori superfluitate refertum est, quàm pulmo.

Eorumdem disconueniẽtia.

Vbi igitur in grandioribus pectoris vasis multa sanguinis crudi copia redundat, rationi congruum est ex eiusmodi sanguinis coctione, & ebullitione plurimum excrementi secernatur, & in pulmonis vasa, ac in eius spongiosam substantiã excipiatur: vnde fit, vt ob huiusmodi vasorum plenitudinẽ, & obstructionem non nisi difficilis, ac raucisona fiat respiratio, atque tensio, nec non corporis grauitas, anxietudo, ac inappetentia: quæ postmodum natura molestè ferens, insurgit ad expulsionem: vnde mediã pulmonum eflatione, & concussione conatur eam excremẽtosam materiam in pulmonis brõchia, & asperam arteriam tanquam ad emunctorias nares detrudere, ac inde per tussim inquam foras excutere: cuius sanè expurgationi, & egressui non aliam natura viam præparauit, præter quàm asperam ipsam arteriam: hinc fit, vt dum ex leuibus arterijs, & alijs tenuioribus pulmonis meatib⁹ hęc materia protruditur in bronchia, difficilior, & laboriosior fiat pulmonum eflatio, atque concussio: parua autem, ac facilis fit excussio, & eflatio, dum in latiorem arteriæ tubum excutitur, & adhuc facilior, dum ex hac in os reijcitur.

Cur excrementi copiosius prouentus in pulmone.

Quo tempore enim in pectoris, & pulmonis vasis ea materia turget, eodem in capite, & cerebro redundat, & consimili modo constipatis cerebri vasis, eadem fermè symptomata producuntur, vt capitis dolor, grauitas, tensio, oripilatio, narium obturatio, raucedo, & consimila; quoniam dum maiora nostri corporis vasa inconfecto sanguine sunt repleta, certum est huius tenuiorem calidioremue, & minus excrementosam portionem deferri in capitis venas, ex quib⁹ postea per coctionem suum excernitur excrementum, quod à natura non nisi in sua propria receptacula deijcitur, & per

Eodem tempore materia redundat in cerebro, quo in pulmone.

pro-

proprios suos ductus expurgatur.

Vulgi credulitas de catarrho demiranda, deridendaque.

Quocirca non possum non valdè eos demirari, imò ridere, qui hoc tempore ex eorum symptomatum ingruentiâ videntes in pectore simul, & in capite plenitudinem catarrhalem redundare, arbitrantur, ac pro certo habent totam illam pectoris illuuiem ex vno capite destillare: nec solum in pulmonem, & alias thoracis partes prolabi dicunt: sed etiam in omnes corporis partes, & in extremos quoque pedum articulos demandari, vt supra id satis exprobratũ est: quasi quòd in nulla alia corporis parte sint vasa, atqe sanguinis, & aliorum humorum redundantiæ; neque vlla fiat coctio, & excrementorum secretio, atque prouentus, nisi tantum in cerebro; & tamen certissimum est puriorem in cerebro sanguinem residere, vt docet Aristoteles in lib. de sens cap. 5. & quicquid in eo superfluit, in sibi adaptatos ductus expurgari: in vena autem porta, atque caua crassiorem, & impuriorem coaceruari, & in propria emunctoria eius superfluitates deponi: quare si ab his non excipiantur, facilè est, vt ad articulos, & ad alias partes transmittantur.

Sanguis purior in cerebro.

Porta & Caua crassioris & impurioris sanguinis cõceptacula.

Humor pleuripneumoniam generãs vnde effluat.

Cùm ex ijs ergò, quæ diximus, clarè constet nihil à capite in pulmones defluere, planum erit quoque Pleuripneumoniam minimè quidem à catarrho generari, sed ab humore ex maiorib⁹ thoracis vasis & ex circũuicinis venis, & atterijs quę in pulmonẽ inseruntur, effluere. Et propterea consulo Medicis, vt huius pleuripneumonicę affectionis & aliorũ pectoris morborũ curã suscepturis, nullo capitis, & catarrhi habito respectu, vni tantũ pectori, & pulmoni ꝓspiciant, vt videlicet vniuersi corporis plenitudinẽ auferant, & qui præsertim ex proximis dictis vasis illuc confluunt, humores, exactè reuellant, & qui iam influxi sunt, expectorantibus, & digerentibus auerruncent; ita vt parum, vel nihil fideant lambitiuis, & exterioribus medicamentis, vtpotè quorũ virtus nihilo, aut saltem infirmissimè perueniat ad pulmones, vt videtur expresse ab Auicenna significari in lib. 3. fen. 10. tr. 4. cap. 10. dum inquit. Eum in peripneumonia parum iuuari ab eo, quod bibitur, & quod loco emplastri superponitur, quoniam id, quod bibitur non peruenit ad ipsum pulmonem, nec huius,

Autoris cõsilium erga Medicos.

Lambitiuis, & exterioribus remedijs cur nihil fidendum.

nec

nec emplastri virtus refrigeratiua ad eum perducitur.

Per quas vias fiat materiæ in cauitate thoracis existentiũ anacatharsis, hoc est expurgatio per sputum.

CAPVT XXV.

SVper est vt quandam curiosam nonnullorum dubitationem perpendamus, ac dissoluamus, per quas videlicet vias à mẽbrana costas succingente, aut à cauitatibus thoracis in pulmones, & in asperam arteriam materia traducatur, & per tussim, ac sputum reijciatur? Hæc difficultas ne dum à Neotericis disputatur, sed ab Antiquis etiam, & præsertim à Galeno, qui 5. de loc. aff. cap. 3. contra Erasistratum de hac re prolixam exarauit disputationem.

Curiosa dubitatio.

Hic enim existimabat eas arterias, quæ à magna arteria ad singula intercostalia loca procedunt, per ora, quæ ad inflammatã partem perueniunt, sanguinem suscipere, ipsumque ad magnam arteriam, quæ à corde orta per spinam extenditur, referre, atq; ab ipsa rursus ad ea loca, quę circa pulmonem sunt, transitum fieri; atq; ad eos neruos, per quos pulmo apud spinam arterię coniungitur, ascendere, quippe ea, quæ huc inciderint, hac viã ad pulmonem ascendere solent. At Galenus inquit eum neq; modum, quo huiusmodi transitus fiat, neq; viã explicasse: quare subiungit hæc. Verùm à magna vena, quæ spinæ incumbit, venam aliquam in pulmonem transire, neque nos vnquam vidimus, neque dissectorum quisquam scripsit.

Erasistrati sententia de arterijs ad ĩtercostalia loca peruenientibus.

Gal. quã venam non viderit nec cognouert.

At Dioclis, & Erasistrati quidam aduersarij apud Aurelianũ in 2. acut. cap. 16. ne fortasse ob anatomicæ disciplinæ ignorantiam in multos laberentur errores, proprias dissimularunt vias, dicendo, extussita itidem sputa per pulmonem ferri, cùm ipsa siquidem veniant ex vicinis, accepta per vias mente conceptibiles, quas λογοθεωρητας vocant, sicuti, & in vomicis, & in abscessibus thoracis contingere solet.

Dioclis, & Erasistrati Aduersarij quas vias dissimularunt.

Galenus verò vt soliti eius ingenij acumen ostentaret, nouas, & in-

Gal. quas vias commentus est.

& incognitas commentus est vias, quibus materia à thoracis cauitatibus in pulmonem, ac in asperam arteriam transfertur ibidem inquiens. Et si membrana succingens costas valida sit, & neruosa; ac eiusdem naturæ sit membrana pulmonem ambiens; ita vt liquores in vacua thoracis infusos hæc quidē non trasmittat, illa non transumat; tamen se vidisse ait in fracturis ossium per cutem dictis membranis multo fortiorem, atq; crassiorem sanguineū humorē tam copiosè effusum esse, vt totas vittas irrigaret: & ideò per easdem membranas simili ratione fatēdum est materiam in thoracis cauitates resudare.

Quomodo materia ex pleura in cauum thoracis, ac inde in pulmonē & asperam arteriam feratur ex sententia Galēi.

Concludit ergo per ipsam costas succingentem membranam, siue pertusam, vel corosam, siue rarefactam, vel relaxatam humorem in cauum thoracis transcolatum, ac inde per tussim thorace compresso, pulmoneque dilatato coactum, in asperas pulmonis arterias excipi, primum videlicet in earum oscula, quæ in tenuissima tunica pulmonem ambiente desinunt, deinde minores ingredi, hinc maiores, donec tandem in bronchia peruentum, per amplissimum tracheæ tubum è faucibus tussi reijciatur. Quam Galeni sententiam multi ex Neotericis consectantur. At Daniel Sennertus, qui suę pract. lib. 2. part. 2. cap. 16. quæst. 3. hanc agitat controuersiam, non videtur probare illam Galeni opinionem, cum hæc contra illum scriptis consignauerit. Verùm enim verò, inquit, etsi non negandum sit tenuius quid (quale mulsa est, quam exempli loco affert Galenus ad probandum humores in cauitate thoracis contentos in pulmonē penetrare) ex succingente membrana transudare, & illud à pulmone imbibi posse: tamen non credibile est materiæ tantam copiam, qualis sæpè à pleuriticis per tussim reijcitur, per pleuram transudare (neq; enim in principio, vel augmento pertusa esse potest) & quidem eam tam crassam sæpè per angustos illos meatus è thoracis cauitate in pulmonis substantiam penetrare posse. Neq; etiam credibile est mox in principio sanguinem purum, qualis sæpè à pleuriticis tussi eijcitur, è pleura in thoracis cauitatem effundi, cùm id in alijs inflammationibus fieri non videamus,

Hæc opinio improbatur à Sennerto.

mus, neque densitas membranæ id facilè admittat. Atque hoc modo etiam omnes pleuritici fierent empyici. Ideoque vbi sputum magna copia tussi reijcitur, pulmonem simul affici credibilè est. Et præcipuè verò non est consentaneum sanguinem, qui in principio pleuritidis purus planè reijcitur, per pleuram transudare in cauitatem thoracis, & à pulmonibus imbibitum fuisse, nullam tamen in ijs alterationem accepisse. Quare suam afferens sententiam, subiungit. Sed verò magis consentaneum est è vasis, quæ asperæ arteriæ nutrimentum aduehunt, quæque partes illas, quæ in parte superiori pulmones lateri annectunt, nutriunt, hiantibus ob copiam sanguinis in pleuram vicinam ruentis, effundi.

Rationes aliæ cōtra Galeni sententiā.

Præter illas rationes, quibus Sennertus carpit Galenū hę alię non minoris fortè momenti afferri possent. Asperæ arteriæ nouissimi surculi non desinunt in pulmonis ambitum, vt Galenus ac eius sequaces existimant, ergo non per ipsarum asperarum arteriarum oscula trnsumetur materia residens in cauitate thoracis. Antecedens fidem suscipit ex ipsius Galeni doctrina, qui in 7. aphor. com. 30. scribit asperam arteriam suos ductus ad cordis sinus primò dirigere, deinde ad cauam, & ad portam transmittere quicquid à summo ore excipit, his verbis. Si verò quod à capite defluit, ad asperas pulmonis arterias, vt non nulli volunt, permeat ad inferiora; primum ad ventriculos cordis ipsum peruenire oportebit: posthoc alterum duorum eueniet: aut primum per cauam venam ad gibba hepatis, deinde illinc ad cauam, & ita per portas ad intestinorum inuolucra perducetur, aut primum quidem ad magnā arteriam, deinde sic ad illam, quæ est in mesenterio.

Asperę arteriæ ductus quò dirigantur.

Porrò quòd nullius surculi illius extremitas perueniat ad pulmonis superficiem, sed omnes partim in pulmonis substātiam disseminati, obuiam fiant arteriæ venalis, & venæ arterialis propaginibus; partim in cordis ventriculos ad deferendum aerem inspiratum confluant, ex ipsius distributione depræhendi potest, quam luculenter describit Vesalius lib. 6. cap. 1. & Laurent. lib. 3. cap. 13. quod vt verum sit, ex eo pa-

Cur asperæ arteræ fines non desinant in ambitum pulmonis.

tet, quòd si asperæ arteriæ extremitates desinerent in ambitum pulmonis, sequeretur aerem inspiratum non in cordis sinus sed in thoracis cauitates transferri; & ita cor non refrigesceret, nec eius fuligines expurgarentur, sed vacua thoracis, non autem pulmonis spiritu replerentur, & obtumescerent, quæ omnia absurdissima sunt.

Asperæ arteria extremitatum vsus.

Cæterum cùm asperæ pulmonis arteriæ ex Galeni sententia non minus, imò magis effundendis in cauitatem thoracis, quàm ab eadem excipiendis humoribus sint paratæ, multo plus esset q in ipsam cauitatem transfunderent, quàm ab eadem transumerent (omnium enim, qui in quamlibet superficiem erumpunt, pororũ natura est, vt vel quid fuliginosum emittant, vel quid ichorosum exudent, & nihil deforis nisi purum aerem admittant) & ita consequenter omnes, qui catarrho sunt obnoxij, & qui pulmones habent multo pituitoso humore redundãtes, fieri empyematicos, quoniam pulmones, nedum iugi, mutuaque contritione, ac dilatatione, sed, & discussione per tussim non paucam materiam p ipsarum etiam arteriarum asperarum oscula diffunderent in cauitatem thoracis. Nec modicam quoque eiusdem materiæ portionem detruderent in ventriculos cordis, ex quibus sanè plurima consequerentur incommoda.

Pororum vsus.

Obseruatio purulẽti pulmonis.

Et tandem si quis de hoc etiamnum dubitet, ex eo poterit à se omnem scrupulum eximere, q obseruatũ est à Foresto obser. 51. lib 15. in quodam Domino de Abbenbrouck, cui totus pulmo suppuratus erat, ita vt sola eius membrana integra superfuerit, ex qua nihil ipsius materiæ purulentę effusum esse scribit in cauitatem thoracis: quod argumento est ipsi pulmonis membranæ illã non esse perforationem, aut porositatem, per quam possit pus, aut alia humoralis materia perfluere.

Sennerti sententia reprobatur.

Neque etiam rationi admodum congruere videtur materiam ex sententia Sennerti per illa vasa deferri, quę nutrimẽtum adferunt tum asperæ arteriæ, tum superioris pulmonis membranis, quia hæc vasa tenuissima sunt, & in earum partium substantiam immersa; ita vt tam copiosam, & crassam materiam nequeant excipere, nec transponere, sed ad nutrimentum tantum illis partibus

tibus distribuendum sunt à natura constituta. Præter hoc, quod sensu ipso percipitur huiusmodi materiam non à proximis tracheæ partibus, nec à superioribus pulmonis lobis per tussim excuti, & excerni, sed ab altioribus pulmonum partibus per medios bronchiorum ductus deriuare.

Autoris sententia.

In qua re si liceat meam interserere sententiam, dicerem nullam à natura destinatam esse viam, per quam materia ex cauitate thoracis possit in pulmones, & asperam arteriam, & ad os peruenire, vel infra per alios insolitos ductus expurgari: sed illam, quæ in peripneumonicis, vel pleuriticis, vel asthmaticis tã copiosè per tussim excernitur, non à thoracis cauitatibus, sed ex pulmone, & eius vasis deriuare, quæ huiusmodi materiam diximus ex venis, & arterijs è corde, & caua arteriaque magna prodeuntibus exhaurire. Non infitior tamen aliquam tenuissimam modicamque portionem posse per cæcos illos membranarũ pulmonis. asperæq; arteriæ, aut septi transuersi, aut pleuræ, aut mediastini poros penetrare: cùm enim ex Hippocrate totum corpus sit secundum hos abditos poros, & meatus vndiq; peruium, ac transpirabile, nullus spirituosæ, subtilissimæq; substantiæ negatur aditus in corpore viuente: & propterea non est mirum, si per thoracis vulnus iniectâ in cauitatem mulsa, quid dulcoris gustu perceptum sit à vulnerato.

Casus mirabilis anacatharsis.

At si quandoq; obseruatum sit, referente Guilel. Fabritio cent. 1. obs. 46. à quodam in thorace vulnerato non modo crassam, & purulentam materiam ex cauitate thoracis in pulmonem receptam per tussim, & sputum esse reiectam, verum etiam duas turundas, quæ ex incuria Chirurgi per vulnus in thoracis cauum erant illapsæ. Id non mirandum, quia per vulnus ipsum, quod pulmonis substantiam, & asperas arterias vsq; peruadebat, pus illud, casq; turundas pertransisse arbitrandum est.

Galeni autoritas pro nihilo habetur

Neque nostræ sententiæ vllum negotium facescere debet illa Galeni ratio ab experimento calli deducta; quoniam cuique liquet quamlibet corporis partem, & præsertim extimam tam pro sui nutritione, quam pro calidi naturalis transpiratione numerosa venarum, & arteriarum vi esse refertam:

vnde

vnde nulli mirum esse debet, si natura ad quampiam particulam perfractam, aut vulneratam, aut contusam, aut alio modo solutam, vel læsam pro reparanda eius continuitate copiosam materiæ sanguineç, & alimentosç quantitatem transmittat: ex quo fiat, vt præ immodica eius copia, reseratis venarum capillarium orificijs, vis expulsiua cogatur eam vel percutim effundere, vel intrinsecus aliquorsum deponere, vel p insensibilē efflationē digerere: aut, si hçc minimè possit prçstare necessum sit, obstructis ijsdem vasis, ac inhibitā calidi naturalis trāspiratione, illic non leuē succrescere inflāmatioenē.

Quare si Galenus viderit ex fractæ particulæ callo per cutim materiam cruentosam effluxisse, non ex hoc debet arguere çquè facilem materiæ purulentæ translationem ex thoracis cauitate in pulmonem per huius tenuem tunicam, atque illius, quæ ex fractæ particulæ venis capillaribus per callum, & cutim effunditur: quia cùm hîc nulla fiat de vna in aliam diuersi generis cauitatem materiæ transmigratio, sed de venis, & arterijs maioribus in minores, & capillares, nulla fit μετάστασις, siue μετάβασις, sicuti fit ex cauitate thoracis in pulmonem puris transpositio.

Denique dato, quòd ex Galeni decreto in 5. de loc. aff. cap. 3. materia purulenta in thoracis cauitate decumbens, constricto per respirationem thorace, cogatur à pulmonum asperis arterijs recipi, & per tussim, ac sputum excerni, optarem quçsò à Galeni defensoribus mihi causam explicari, propter quā in pectoris hydrope materia aquosa, quæ multò tenuior est purulentâ, non eodem modo ab ijsdem arteriarum asperarum orificijs intra pulmonem excipiatur, & per sputum educatur, cum ijs, etsi respiratio sit difficilis, vt plurimū tamen tussis est vehemens, inanis, atque sicca: quemadmodum ego anno Domini 1620. dum Monte Scutuli Medicinam facerem in Aula Illustrissimi, & Excellentissimi D. D. mei, & Patroni colendissimi D. Nicolai ex Comitibus Guidijs à Balneo Mōtis Belli Marchionis, &c. obseruaui in quodam Francisco de Sancto Marino Iuuene mendicante errabundo, qui cùm assiduos

Argumentū in Galeni defensores.

Historia hydropis pectoris.

duos per itinera labores copiosius, ac intempestiuius quàm par esset potu sese repleuisset, incalfactis pulmonibus, & arterijs venisque maioribus, tanta ichorosæ materiæ quantitas ab ijs attracta in thoracis cauitates resudauit, vt eo suffocatione demortuo, & anatomis gratia à me dissecto, plus decem librarum quantitas aquæ in ipsis thoracicis cauitatib⁹ reperta sit; tametsi ille pergracilis esset, scabiosus, febricitans, sitibundus, & magnâ, inanique tussi, & anhelitus difficultate continenter esset diuexatus.

Forsitan respondebunt hoc euenire aut propter pulmonis vasorum obstructionem, aut ob materiæ tenuitatem, ac fluxibilitatem, propter quam à spiritu disrupta attolli nequeat: aut ob thoracis imbecillitatem, vt Petrus Salius Diuersus, Iacotius, & alij dicunt. Prima ratio non admittitur; quia si pulmones à materia purulenta, crassa, & viscida non obstruuntur in empyemate, tanto minus obstruentur à materia tenui, & ichorosa: tum quia si pulmonum vasa non obstructa sunt in refundena in thoracis cauitates materia tenui, cur obstruentur in eadem exsugenda? Neque secunda ratio placet, quia vbi tota thoracis cauitas repleta est, nihil materiæ tenuitas, & disruptio ꝓhibet quo minus ipsa à pulmone posset exhauriri. Neque tertia etiam probari potest, quoniam thorax sępè magis infirmatur à materia purulenta, quàm ab aquosa, cùm data repletionis paritate, illa multò pernitiosior sit, quā ista: tum etiam quia non rarò euenit, vt ex thorace in cauitatem eius erumpat vomica, propter quam totum latus infirmatur. Non ergo ab imbecillitate thoracis, nec ab alijs prædictis causis impeditur, quin materia aquosa possit facilius, quā purulenta à pulmonibus exhauriri.

De affect. part. c. 9. In aph. 79. sec. 2. lib. 5. coac. Hipp. & Sennert. lib. 2. par. 2. cap. 20.

Conclusio.

Concludendum est ergo nullas manifestas vias naturaliter dari, per quas fiat materiæ in cauitate thoracis contentæ in pulmonis vasa metastasis, ac inde per tussim, & sputum anacatharsis. An autem per vias vrinæ, vel alui, vel aliarum partium inferiorū possit expurgari, in posterum suo loco perquiremus.

De cau-

De causis exterioribus, & primo de Aere. Vbi queritur an huius vitio producta sit Pleuripneumonia?

CAPVT XXVI.

Aer comunium mrborum causa existimatur.

EX causis autem exterioribus primum locum obtinere consueuerunt sex rerum non naturalium abusus: & in primis aer, qui sicuti omnes indifferenter ambit, & gubernat, ita communium, & vulgarium morborum existimatur causa communis, & vniuersalis, nedum à recentioribus, sed etiam à vetustioribus Medicis sicuti videre est apud Hippocratem presertim 2. de nat. hum. & de flat.

Ab aeris uitio minimè productã esse Pleuripneumoniam probatur.

Quòd enim huiusmodi morborum genera non ab aeris præsentis vitio sint producta, hæc suadent. Morbi qui populariter hucusque grassati sunt, fuerunt præcipuè tusses, faucium asperitates, horrores, costarum, & pectoris dolores: & pulmonis inflammationes: hæc autem ex Hippocratis sententia in 3. aphor. 5. in aquilonia fiunt tempestate: At proximè præterità tempestate vt plurimum austrina regnauit constitutio, & hoc magis ex eo patet, quod per id tempus non modò capitis grauitates, & destillationes vndiq; diuagarunt, sed præceteris morbilli, atq; variolæ, quæ in aere austrino poros, & cutim relaxante solent vt plurimum efflorescere; atqui horum morborum causa generatrix non est aer, quia cum eorum causa effectrix sit interna, vt humor ichorosus ex menstruo sanguine, vt creditur, ortum ducens, non videtur ab aere vllam aliam habere causam, quàm excitantem, & corporis habitum relaxantẽ: alioquin in quocunq; tempore, dum regnat Auster, videremus huiusmodi vulgarem variolarum, & morbillorum influentiam diuagari, quod tamen non nisi per stata aliquot tempora accidere solet.

Variolæ, & morbilli quo tempore florescant, & à qua causa generentur.

Præterea anginæ pleuritides, & peripneumoniæ sunt faucium, laterum, & pulmonum inflammationes, quæ à calido, & sicco, biliosoque sanguine generantur: vt sub egressu hyemis, totoque vernali tempore, quo grassatę sunt dictæ affectiones, nullus regnauit aer, qui sua qualitate immediata potuerit ipsas

Anginę pleuritides et peripneumoniæ à quo humore fiant.

ægritudines generare: non quidem ratione frigiditatis, & humiditatis, cùm hæc potius frigidas, & humidas perse, & immediatè constituant ægritudines: neque antiperistasi quadam, quia hæc non medio tepentique aere, sed rigidiori, & medio hyeme, quo fortiores fiunt antiperistases, fuissent productæ.

Cæterum cùm pluribus annis ineunte Vere obseruatum sit dominatam esse eiusmodi austrinam tempestatem, per illa tempora similes morbi non minus, quàm pręsenti anno fuissent diuulgati: atqui tunc temporis aut nulli, aut perpauci visi sunt tales morbi: quare concludendum est has epidemicas ægritudines à præsenti aere non esse productas.

Non nego tamen quin ex inæquali tempestate possint huiusmodi affectus excitari, sicuti euenire posse non diffiteor, vt in proximè præterito Vere post frigidam, humidamque aeris cõstitutionem diù perdurantem, Austrinâ subito succedente tempestate, inde subsecuta est Aquilonia, ex quarum intemperierum inæqualitate haud difficile fuisse putandum est huiusmodi morbos aliqua ex parte à quadam destillatione à capite excitatos esse, ad quod eò magis credendum persuadent catarrhi, capitis grauitates, & raucedines, quæ tunc temporis vbique diuagarunt. Nam, vt Dodonęus monet lib. 2. suæ practicæ cap. 29. maximè nociuus est hibernus aer crassus, & vaporibus infectus, pulmonis meatus obstruens; vnde inspiratione minus liberâ, calore oborto, inflammatio excitatur. Destillatio autem tenuis, vt idem subdit, & aeris (qualis præcedente aere feruido, & superueniente subito aquilonari vento, mense Octobri contingit anno 1557.) confertim in pulmonem illapsa, ardorem inferens, inflammationis pulmonis quandoque & causa est.

Ab inæquali tempestate potuerũt generari Pleuripneumonica constitutio.

Morbi catarrhales quo tempore diuagarunt.

An aeris frigiditas pariat huiusmodi morbos?

CAPVT XXVII.

VErùm hîc eximenda est dubitatio, quæ ex Hippocratis, & Galeni verbis emergit: nam in 3. aphor. 23. inquit Hippocra-

Dubitatio.

Morbi hyemales qui nã sint.

pocrates Hyeme morbos laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, pectoris, laterum, lumborũque dolores, & capitis vertigines, & apoplexias generari; quoniam, vt exponit Galenus in com. instrumenta respirationi seruientia ex frigiditate læduntur: cùm alia ita benè possimus obtegere, vt nihil, aut minimum sentiant ambientem frigiditatem; respirationem verò nemo potest cohibere, neque aliunde datur respirandi facultas: ob hanc igitur ipsam frigiditatem, etiam caput oblęsum, grauedines, tusses, atque raucedines operatur. Fiunt autem sicuti dolores laterum ob frigiditatem: sic etiam capitis, atque lumborum, & omnium partium neruosarum. Quibus verbis innuere vult Galenus partes thoracis interiores respirationi famulantes, vt trachea, bronchij, pulmones, arteriæ, septum transuersum, & musculi intercostales interni ab aere frigido per inspirationem attracto grauiter offendi; ita vt vna causa, nempè dictarum partium refrigeratio illas omnes pariat affectiones, quę ad respirationem, & vocem pertinent, quas in ipso aphor. recenset Hippocrates, quod etiam magis confirmatur ipsius sapientissimi Senis aphor. 24. sec. 5. dum inquit, frigidam, qualis nix, & glacies, pectori esse inimicam.

Dubitatio.

Nec obstat quòd in illa primi epid. com. 2. text. 7. Aquilonia, frigida scilicet, & humida Thasi tempestate non orti sint lateris dolores, & pulmonis inflammationes, quia, respondet Galenus ad extremam illam humiditatem non deuenerat ille status, qua progignundis illis thoracis, & pulmonis affectibus esset idoneus. Ex his ergò constare videtur aerem per se sua frigida humidaue qualitate posse pleuritidem, & pneumoniam generare. At pleuritis, ac pneumonia cùm sint morbi calidi ex sanguine scilicet feruenti, & bilioso generati, nõ videtur ab aeris frigiditate posse generari: nam affectus debet suæ causæ semper vniuocari.

Pro qua difficultate auferenda plurimum mihi esset cum Galeno differendum, & altercandum: sed nauseosę prolixitatis metu breuiori quo potero sermone me expediam.

Mul-

Multa enim fiunt in natura, quorum causa per se, ac immediata sępè ignoratur, ac pluries pro hac accidētaria mediataq; sumitur: quod vitiū apud Medicos illos pręsertim accidit quibus rudis est rerum naturalium cognitio: nam quicunque morbi fiunt in frigida tempestate, licet eorum causa propria, & per se sit calida: tamen sola sensus cognitione ducti, arbitrantur à frigida causa per se propriéque generari. In quem errorem haud raro lapsum esse Galenum compertum est, vt in rigore febrili, & in hysterica passione totius corporis refrigerationem, ab humore, aut veneno frigido per habitum corporis effuso credidit deriuare: sicuti somnum à cerebri refrigeratione: sic stuporem opij exhibitione inductum à summa illius frigiditate fieri: quæ tamen omnia ex opposita illis. vel contraria causa efficiuntur: sicuti hunc accidit ipsi Galeno in afferenda propria, ac immediata pleuritidis, ac peripneumoniæ causa, quam ait esse frigiditatem; cùm tamen è contra verè sit caliditas: nam per ipsummet Galenum pluribus locis constat pleuritidem, & peripneumoniam præsertim esse morbos calidos ab humore calido prodeuntes, vt cōstat 2. aphor. com. 19. & 6. eorundem com. 33. & 2. de cris. cap. 10. vbi morbum lateralem, inquit, fieri ab humore calido locum patientem obsidente: qui idem dum in parte affecta nequit contineri, ait partem illius in pulmonem transferri, & peripneumoniam efficere ipso etiam teste in 7. aphor. 11. Ex quibus pręclarè constat huiusmodi affectiones nō à frigiditate, sed à caliditate generari: quod adhuc clarius, explicat in 2. de vict. rat. ac. com. 1. dum loquens de lateris dolore inquit, in quibus locis est phlegmone, tum multitudine caliditatis præter naturam particulas per distemperantiam contristat, tum etiā repletione corpora phlegmone laborantia distendit.

Difficultatis solutio.

Pleuritidis, ac pneumoniæ causa est calida.

Sed hîc tēpestiuū est, vt cū Galeno disputationē exordiar.

Cùm pluribus in locis audierim te Galene pleuritidem, ac peripneumoniam diffinisse illam scilicet esse membranæ succingentis costas; hanc verò esse pulmonis inflammationem: cùmque nullibi abs te causam earum ęgritudinum propriam,

Disputatio initur cum Galeno.

& generationis modum fuisse explicatum viderim, sciscitari lubenter abs te vellem vtra sit earundem affectionum calidarum causa per se, ac immediata, an calida, an frigida? Vtique si morbus est calidus; respondebis causam eius debere esse calidam; quia par est, vt dixi, effectum cum sua causa perse semper vniuocari: per accidens verò non necesse est vniuocationem seruari; cum sæpè contingat vnam causam accidentalem, vel remotam producere effectum sibi contrarium.

His ergò sic se habentibus, dum dicis pleuritidem, & peripneumoniam generari in hyeme, quia frigiditas aeris per inspirationem attracti lędit organa respirationi seruientia; hęc læsio nō alia quippe erit, quàm refrigeratio, & quædam illarum partiū constrictio: at in frigidissimo aere, neq; aspera arteria, neq; pulmo, nec arteriæ, nec cor vllam sentiunt refrigerationem, & cōstrictionem; alioquin tunc difficillima fieret respiratio, ac ferè suffocatio: imò cor ipsum torpore afficeretur: aut ipsius cordis tremores, aut palpitationes, aut animi defectus, aut tetani, aut catalepses subsequerentur: atqui tunc temporis totum oppositū illis partibus euenit, cum ipsæ potius incalescant magis quàm in æstate, iuxta Hippocratis sententiam in 15. aphor. sec. 1.

Locis patiētes in pleuritide, & pneumoni: qua affectione. & à qua causa laborent.

Modò in pleuritide, ac peripneumonia loci patientes non rigore, & adstrictione laborant, sed inflammatione, & continui solutione atq; tuberantia, quorum affectuum causa perse, ac immediata neutiquam est frigiditas, sed potius impensa caliditas.

Quapropter ego duas harum partium inflammationum causas agnosco: vnam scilicet accidentalem, & remotam, hoc est antiperistasin: alteram proximiorem, vt obstructionem, siuè potius inhibitam caloris euentationem (supponendo videlicet horum affectuum formam esse inflammationem; nam si esset dolor, tunc causa huius immediata, & perse esset continui dissolutio) ex quibus vna perse, ac immediata causa emergit, nempè caliditatis intensio: quare cum vnius effectus, vna solum sit perse immediataque causa, cæteræ autem per accidens, & mediatæ, pro constituenda lateris, & pulmonis inflammatione talis causarum concursus, atq; series necessariò requiritur: primum enim

Doloris causa per se, & immediata. Pleuritidis, ac pneumoniæ causarū concursus, et series qualis.

aer frigidus, tum scilicet qui corpori circonfusus est, exteriores thoracis partes, refrigerando sanguinem, & spiritum per musculorum intercostalium externorum venas perfusum, ad interiores musculorum intercostalium internorum, ac ad membranæ costalis venas repellit: tum ille, qui per inspirationem attrahitur, primum omnes partes respirationi dicatas refrigerando earum caliditatem ad interiores, & inde ad extremiores pulmonis partes, nempè fibras detrudit, in quibus per antiperistasim adauctâ caliditate, ad eas sanguis, & spiritus confluit: ex quo deinde factâ inibi vasorum repletione, ac obstructione, caloris inhibetur expiratio, ex qua tanquam ex causa per se, ac immediata fit ipsius caloris accensio, & ipsarum pulmonis fibrarum inflammatio. Hinc fit, vt qui gelidis potionibus vti consueuerunt, ijs ratione antiperistasis hepar potissimum incendatur, & sanguis aduratur: & propterea non mirum est si hac ratione vetitur, ne quibus aliquod viscus inflammatum est, frigidi haustus propinentur; quoniam à ventriculo, & ab eius ore ad visceris partem inflammatam refugiente calore, plurimum augetur inflammatio: ex quo fit etiam, vt pectori, licet calidissimarum partium, ac ipsius calorifici fontis conceptaculo, mirum in modum aduersissima sint frigida veluti nix, atque glacies, quod quidem euenit non quia pectus sit osseum, cartilagineum, atque neruosum, vt quidam arbitrantur; cùm multæ aliæ sint partes pectore ijsdem partibus multo magis constantes, & à fontis calore plurimum distantes; quę tamen non ita lędantur à frigore; sed hoc fieri puto, quia pectus, sicuti etiam caput infinitis propemodum vasis refertū est, & multâ sanguinis, atq; caloris copia insigniter opulentum; propter quod non mirum est, si recipiendis humorum fluxionibus sit obnoxium, siq; potissimum membrana succingens costas, ac musculi intercostales, atq; ipsi pulmonum lobi, vt inter partes exteriores, & interiores mediæ, facilè antiperistasibus, & contrarijs mutationibus subijciantur, & calidioris, humidiorisque sanguinis, & caloris confluxibus excipiendis sint paratiores.

Cur in viscerum inflammatione frigidæ potus inhibetur.

Cur nix, & glacies pectori inimica.

Cur pulmo, et cerebrum fluxionibus recipiendis sint obnoxia.

Cæ-

Cæterum calor, & sanguis vsque adeò in penitioribus pectoris vasis à frigoris circũobsistentia cogitur, vt ignescens, & insignem acutiem,& acredinẽ aquirens,nedum viscerũ inflammationes, parit,sed venas immodicè replendo, sua mole eas distendit; acutie verò, & mordacitate corrodit, & disrumpit, vt testatur Hippocrates in 6. epid. com. 3. text. 14. vnde fiunt illæ sanguinis eruptiones, quas ipse recenset in 24. aphor. sec. 5. & alijs in locis: ex quo mihi subit mirari Galenum, qui tam miserè philosophatur in reddenda causa, propter quam ex frigore disrumpantur venæ, vt nedum ipse, sed & quicunque huic fauent sententię, mihi propemodum fiant ridiculi. Inquiunt enim à summo frigore venas ita indurari, vt cùm distendi nequeant, necessarium esse, vt ipsæ perinde ac cryftallus, aut vitrum disrumpantur, quemadmodum arbitratus est etiam Alexáder Aphrod. aut alius Author in 19. probl. sec. 1. quod quàm absurdum sit, ex his rationibus facilè dignoscetur.

Sanguinis eruptiones vnde.

Galeni, & Aphrod sei ridicula opinio.

Si aer gelidus venas indurat, & frangit, necessum est ipsũ in eas agere per contactum, & sic oportebit ipsum aerem actu frigidissimum ad ipsas venas peruenire: at priusquam pertingat venas, necessariò prius ingredi debet asperam arteriam; deinde per bronchios transcundo numerosâ ramorum serie per pulmonem distributus tãdem peruenire ad finistrum cordis ventriculum: quam aeris translationem elegantissimè describit Laurentius lib. 3. anat. quest. 12. his verbis. Aer per os, & nares inspiratus in pulmonum vasis, & tota eius substãtia molli, rara, ac spongiosa præparatur, & familiarem innato spiritui qualitatem longiusculâ morâ recipit: præparatus aer in pulmone per arteriam venosam fertur in finistrum cordis sinum. Præter has aliæ prætereundæ sunt viæ, vt cordis septum, & dextrum illius ventriculum, deinde cauam, & venam tandem arterialem. Si igitur aer tam longa vasorum serie, temporisq; mora in calidissimos cordis sinus fertur, antequam perducatur ad venas, qualem seruabit gelidam frigiditatẽ, quæ valeat venas perfrigerare? Non ne totas prędictas

Aeris inspirati translatio, & via ad cor describitur à Laurentio.

dictas vias, & cor ipsũ prius refrigerabit, indurabit atq; pfrã-get, quàm ipsas venas? Nõ ne spiritus vitales pfrigeraret, & torpidos, immobilesque redderet? Sique extra efferatur spiritus, certè non calidus, sed gelidus sensui appareret, cùm tamen è contra persentiatur. Nam si aerem inspiratum in agendo repati oportuerit, refracta eius vi frigefactoria, quomodo poterit amplius constipare, obdurare, atque perfringere? Cæterum si gelido aere rigerent, ac obdurescerent venę, cur non perę què rigesseret, atq; simul concresceret sanguis? Præterea impossibilè planè videt venas à frigore ita indurari, vt veluti vitrum frangibiles fiant; quoniam præter hoc, quòd non amplius essent partes viuentes, cùm etiam fibrosa, neruosaque substantia sint constructę, & sanguine perpetuò sint irrigatæ, impossibilè est congelari, ac veluti vitrum indurari. Porrò si frigidissimo aere sic solidescerent, ac terrerentur venæ, id omnibus indifferenter accideret, qui eundem aerem inspirarent. Quomodo tandem fieri posset huiusmodi venarum disruptio? Per disgregationē non dicendum, quia Gal. inquit venas à frigore indurari, ita vt distendi nequeant; tum quia proprium est frigoris condensare, caloris autem disgregare, vt Philosoph. docet in 4. meteor. Igitur à constrictione, efficitur: atqui constrictio cùm sit vnio, motus est disgregationi, quæ diuisio est, contrarius. Quare dicendum erit ab vnione fieri venarum dissolutionem, quod quidem vt absurdum Galenus ipse non admitteret, nisi fortasse diceret hoc per accidens fieri, quatenus scilicet constrictis immodicè venis, sanguis, aut spiritus, cùm sibi locus desit, veluti puluis tormentarius cogatur venas abrumpere. Verùm hoc ex sanguinis, vel spiritus immodica copia tantum fieri consueuit, quando scilicet in excellenti plethora vasorum fit disruptio, vel suffocatio: dum autem in modica plenitudine venæ exteriores, & tenuiores à frigore coarctantur, tantum abest, vt sanguis, vel spiritus obnitatur, vt potius retrocedens ingrandiores venas se se recipiat.

Caloris proprium.

Constrictio quid.

Vasorũ disruptio quomodo fieri possit.

Quare statuendum est ex aeris frigore immediatè, ac per se

venas non disrumpi. sed per accidens, & mediantibus alijs causis, hoc est à sanguinis, & spiritus in latiores venas receptione ab antiperistasi facta, & ab ipsarum venarum immodica repletione; propterquam ipsæ, cum plusquam oporteat distendantur, coguntur abrumpi, aut quouis alio modo reserari, & ita per anastomosin fit sanguinis irruptio, aut saltem eiusdem copiâ rarefactis, laxatisque venis, fit sanguinis in thoracem, aut in alias partes resudatio, quam Græci diapedesim vocant, aut sæpè nedum ex sanguinis abundantia ob aëris frigiditatem in maioribus vasis aggregata, fit vasorum reseratio, & subinde dictorum morborum generatio; sed ex ipsius sanguinis caliditate, tenuitate, vel acutie, & acredine, à qua cum venæ corrodantur, necessum est, vt ipsis corrosione adapertis sanguis erumpat, quod per diarosin fieri dicunt: & hoc nomine frequentius qui plurimo sanguine acerrimo sunt præditi, in maximis frigoribus huiusmodi sanguinis irruptiones, & alias hæmoptoicas ægritudines incurrunt; ex quo sæpè fiunt supurationes, & phthises: & hac ratione qui temperamenti sunt biliosi, imò atrabiliosi, ob sanguinis immodicam acutiem, & acredinem, in extremis frigoribus mirum in modum læduntur in pectore; & non raro hæmoptosi afficiuntur: aliquando enim & vrere, & calfacere frigidum, non vt calidum, sed quia congregat, aut quia circumobsistit calido, vt docet Aristoteles 4. meteor. cap. 2. vnde proditum est animalia quędam calidissima in temporibus, ac regionibus frigidissimis ob vehementem antiperistasin sanguine in penitiores partes se contracto, & ipso cùm mole, tum acredine incrementum adepto, confertim suffocari, ac interimi, quales sunt præsertim Bubali, Elephantes, & id genus alia.

Anastomasis quæ sit, et quomodo fiat. Diapedesis. Diarosis. Hæmoptoicis egritudinib⁹ obnoxij.

Quare cùm accidentaria, hoc est antiperistica ratione ex frigore fiant venarum apertiones, concludendum est lateris quoq; & pulmonis inflammationes hac ratione generari: quoniam sicuti hyemali tempore in interioribus partibus augetur caliditas; ita par est in easdem partes humiditatem exprimi, & in ijs copiosè accumulari. Sicuti ad eundem modum ex frigore existimandũ est in interiora capitis caliditatem, simulque omne humidum extrudi,

Lateris, ac pulmonis inflãmationes quomodo fiant per accidens à frigore.

strudi, & quasi manu spongiam exprimente, in subditas partes superfluam humiditatem expelli; atque hoc modo destillationes à frigore fieri contestatur Galen. 4. de simpl. med. fac. cap. 2. nisi malumus dicere ab ipsa caliditate in internas capitis partes propulsata materiam humidam colliquari, & ita per nares, & palatum destillare.

Restat igitur vt concludamus pleuritidem, ac peripneumoniam ab aeris frigiditate, vt à causa extrinseca generari, non quidem quatenus membra respirationi seruientia offendat eo modo quo dixit Gal. sed quatenus reconcentrando calorem, & sãguinẽ, in causa est quo minus substantia humida dissipetur, sed magis augeatur, & ipse calor intendatur, sãguisue, & cęteri humores calidi acriores reddantur: refugere enim inquit Gal. in 15. aph. sec. 1. ex Arist. sententia calorem propter circunstantem extrinsecus frigiditatem: sicuti rursus, æstate ad sibi cognatum protenditur. Atque ita contingit digeri quidem, ac dissipari eius substantiam tempore æstiuo: contineri autem, ac cohiberi, & in profundum secedere hyemale: quare ex his sequitur interiora eo calidiora fieri, quo ambiens aer frigidior erit; tã etsi quandoque ex valde frigida diutius corpori nostro circunfusâ, tam altè vim eius impetere inquit Galenus 6. epid. com. 6. text. 4. vt intima æquè atque extima refrigeret, quæ non leui noxa totum animal afficiat, ipsius frigore concussis, labefactatisque viribus.

Aeris frigiditas quomodo pleuritidem, et pipneumoniam generet.

Quomodo à frigore interiora fiũt calidiora.

At quæ superficiem tantum corporis lædit, non solum interiora non refrigerabit, sed etiam calidiora multò, quàm ipsorum prior temperatura esset, efficier. Ex quibus manifestè apparet ambientis frigiditatem hac ratione lateris, ac pulmonum inflammationem gignere, non solum quatenus cutaneas, & his proximè subiectas partes constipando, sanguinem, & calorem ad interiora, & præsertim ad membranam costas succingentem, & ad pulmonis extremitates repellit: verum etiam quatenus earundem refrigeratarum partium venas coarctando, in illis sanguinem crassiorem, & motui ineptum reddit: vnde inhibita ipsius caloris expiratione, fit eiusdem succensio, atq; inflammatio.

Pleuritidis generationis modus ex Hippocrate.

Hunc pleuritidis generationis modum videtur innuere Hippocrates in primo de morbis text. 123. dum inquit. Cùm latus naturâ carne denudatum rigorem, & perfrigerationem senserit, tum caro, quæ est in latere, tum venulæ contrahuntur, & conuelluntur, & quicquid in ipsa carne, aut in eius venulis, bilis & pituitæ inest, id magna ex parte, aut totum intro ad caliditatem propulsum carne extra condensatâ, secernitur, & ad latus impigitur, doloremque vehementem excitat, & incalescit, propterque calorem ad se ex proximis venis, & carnibus pituitam, & bilem trahit. Et hoc modo ille Hippostenes Larisseus apud ipsum Hippocratem in 5. epid. cùm luctando incaluisset, & postea frigidâ se abluisset, repulso ad interiora calore, & sanguine, correptus est pulmonis inflammatione. Sicuti etiã contigisse Iuueni cuidam recenset Heurnius in 3. aph. 24. cui inflãmatas fuisse inquit mẽbranas diaphrattontes ad pectus: ꝙ choreis exudans, se aeri frigido exposuisset aperto thorace. Quã gignundę pleuritidis causã extrinsecã miror latuisse Galenũ; quin maiori adhuc admiratione affitior eũ alioquin diligentem causarũ morbificarũ indagatorem, ac redditorem, nusquam quem viderim insinuasse modum, quo generatur pleuritis, atque peripneumonia.

Hippostenis Larissei Historia.

Iuuenis cuiusdam pleuritici Historia ex Heurnio.

Galeni defectus.

An Pleuripneumonia epidemica ortum duxerit ab Astrorum influxibus. Vbi expenditur modus, quo Cœlum agat in hæc inferiora.

CAPVT XXVIII.

QVonia ex communium epidemiorum, & pestilentium morborum causis præter Aerem, vnam omnium communissimam Medici ferè omnes vno consensu referunt in maleficas Astrorum influxiones; ideo nobis expendendum est, num hæc nostra popularis Pleuripneumonia ortum duxerit à Syderibus.

Cœlestiũ corporum actiones in hæc ĩferiora ab õnibus admittuntur.

Quod enim cœlestia corpora in hæc inferiora ita agant, vt ex eo-

ex eorum virtutibus omnium sublunarium corporum mutationes, & affectiones fiant, omnes quidem nedum vetustiores Philosophi, & Astrologi, sed etiam recentiores vltro confirmant. Nihil enim ait Hermes Trimegistus sine stellarum congressu, siue influxu in rebus humanis, aut valetudinariũ, aut sanum esse. Quod videtur innuere Medicorum sapientissimus Senex pluribus in locis, & præsertim in lib. de Aer. aq. & loc. vbi ab Astris non modo temporum, sed morborum, & ventorum quoq; mutationes fieri scribit. Quod Galenus etiam primo epid. in proem. confirmat, qui asserit cælum esse vulgarium morborum causam: & lib. de Theriaca ad Pisonem, inquiens, Cęlum immutare aerem malo quodam modo, vt homines interficiat. Idem Auicen. astruit in lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 1. vbi statuit principium omnium corporum sublunarium alterationum, & pestilentium morborum esse cælorum formas. Et in canticis 104. Stellas inquit infortunatas, dum in sua fuerint exaltatione animantium corruptionē significare, fortunatas autem salutem eorum portendere.

Cælum vulgarium morborum causa

Planum est ergo cuncta sublunaria ab astrorum virtutibus varijs modis affici & alterari: quod consentiunt Neoterici ferè omnes. Nec mirùm cùm id ab Aristotele proditum sit in primo meteor. cap. 4. dum dixerit necessarium esse inferiorem hunc mundum supernis lationibus esse continuum, vt omnis eius virtus inde gubernetur. Quam sententiam omnes quoque recentiores vnanimiter accipiunt: propter quod non est vt hoc pluribus Virorum testimonijs, in probando laborem, cùm de hac re nedum satis profusè, & luculenter differuerit Petrus Aponensis in diff. decima, vbi acriter in eos inuehens, qui contrariæ sunt sententiæ, astruit magnam vim inesse cælestibus corporibus in permutandis, alterandisque corporib⁹ nostris; sed ab alijs quoque celeberimis Viris abundè satis controuersum est, & statutum Astra, vt dictum est, non parum agere, ac influere in hæc inferiora.

Cælum substantia omnium purissima, nobilissima, benignissimaque natura.

Verùm quia Cælorum substantia ex omnium Astrologorum, & Philosophorum sententia cùm sit omnium purissima,

ac nobilliſſima, atque benigniſſimæ ſit naturę, non videtur quomodo ſtellæ ab Auicen. & ab alijs dicantur infortunatæ & maleficæ, & quomodo poſſint in hæc inferiora quidquam mali, noxijque influere; ſed potius è contra beneficas eſſe, & non niſi quid perfectum, optimumque & viuificum inſpirare. Haud enim par eſſe videtur ſuperiorem mundum erga hunc inferiorē, quem clementer regit, fouet, & tuetur, quidpiam maleficum, & pernitioſum infundere. Quod ſcitiſſimus Plato videtur in Epinomide ſignificare, dum dicebat, hanc aſtrorum naturam eſſe viſu pulcherimam, quæ progreſſu, & chorea optima vtens, omniumque chorearum magnificentiſſima, cunctis animalibus commoda præbet, quod iam ſuperius innuerat, cum dixerit, omnium bonorum cauſam nobis cælum fuiſſe, omnes confiteri.

Chalcidij ſententia.

Quibus propè aſſentitur huius interpres Chalcidius, dum inquit. Aut omnes ſtellæ diuinæ ſunt, & bonæ, nec quidquam faciunt mali, aut quædam maleficæ: ſed maleficas eſſe in illo ſancto, & pleno bonitatis loco quatenus conuenit? Cumque omnia ſydera plena ſint cæleſtis ſapientiæ, malitiamque ſciamus ex dementia naſci: quatenus conuenit maleficas ſtellas dicere? Niſi, id quod fas non eſt, interdum eaſdem bonas; interdum verò malignas eſſe exiſtimemus: propterea que promiſcue benefica, & malefica præbere. Sed hoc abſurdum eſt putare. Cæleſtem ſubſtantiam vna eademque natura præditam non in omnibus ſtellis eadem eſſe, ſed pleraſque tanquam à propria degenerare natura, & hoc ſi maleficæ eſſent: cùm natura propria quidquam non faciant mali, ſed ſalutares, & beneficæ cenſeantur. Huius minimè ignarus Ariſtoteles in 9. Metaph. text. 19. Inquit in rebus, quæ ſunt in principio, & quæ ſunt æternę, non eſt aliquod malum omnino, neque error, neque corruptio: corruptio enim eſt ex rebus malis. A cælo igitur nō niſi omnia commoda, omniaque pulchra, & iucunda proficiſcuntur, ſicuti partim ſignificatur ab Auctore quodam his verbis. Vt vniones tametſi in mari naſcuntur, tamen plus habent cognationis cum cælo, cuius faciem reddunt: ita pius ac generoſus animus magis à cœlo pendet, vnde ducit originem, quàm

à ter-

à terra, in qua viuit. Id luculentius explicat Io: Picus Mirandulanus, qui lib. 3. cap. 21. aduerſ. Aſtrol. aſſerit nullam elementorum, & corporum noſtrorum noxam à cælo deriuare his verbis. Vnde qui elementorum exceſſus, cataclyſmos, exuſtiones, annonæ caritates, morbos, ac peſtilentias à cælo refert accepta, non aliter eum dicimus aberrare, quàm qui noſtri corporis morbos, vitia, cauſationes, in ipſam regentem corpus naturæ refert poteſtatem, cuius eſt illa curare, non facere, ſopire non excitare. Hæc videntur à Plotino deſumpta, qui 2. Enead. lib. 3. cap. 11. contra Aſtrologorũ falſas opiniones demonſtrat quæcunque mala apud nos contingunt, à cælo mala non demitti. Quorum ſenſus fidus interpres Marſilius Ficinus, hæc ſubſcribit. Nefas enim dictu ſtellas vllas reguli ſerpentis more nobis aſpectu nocere. Pium verò credere ſtellas naturaliter omnes ſtruthionis more radiorũ intuitu cuncta fouere: perinde atque in animali ipſa totius, membrorumque principalium vita membra omnia fouet, & adiuuat.

A Cælo quę falſò credũtur deriuare

Stellæ quomodo agant in hæc inferiora ex Ficini ſentẽtia.

Si igitur de ſtellis ita ſe res habet, quomodo ex tantorum Virorum decretis verificabitur eas quandoq; eſſe maleficas, & infortunatas, ac malorum effectuum eſſe productrices?

Stellę quo nomine intelligantur eſſe maleficæ.

Pro hac dubitatione exſoluenda reſpondendum eſt ſtellas per ſe ſemper eſſe beneficas, & benignas, nec niſi quid bonum, & perfectum, erga hæc ſublunaria intendere: ſed per accidens quidem id præſtare, hoc eſt ratione aptæ ſubiectorum inferiorum diſpoſitionis, propter quam ipſa recipiendis aſtrorum influxionibus ita ſunt parata, vt facilè nunc ad malum, nunc ad bonum permutentur, ac multifariam alterentur: vnde mala, quæ apud nos quotidie perpatiuntur non cælorum actione, ſed inferiorum vitio, & præſertim quatuor elementorum facili permutatione contingunt: quod videtur à Ficino ibidem ſignificari, dum inquit. Quis non intelligat & blandum cæli calorem euadere apud nos edacem: & humorem cælitus alumnũ apud nos fieri ſuffocantem, & protinus diluentem? Idem videtur Iamblicus de Miſterijs cap. 14. his verbis inſinuare. Cœleſtia inquit non ſunt mala, quamuis hîc ſuſcipiantur vt mala.

Astrorũ benefitia quomodo apud nos fraudentur.

Vires Cęlestium omnes inde bonæ descendunt, in hac autem contrariorum permistione mutantur. Qua autem ratione syderum benefitia penes nos defraudentur, multis rationibus, & exemplis demonstrat his verbis. Ideo qualitas, quæ nocet in terris, alia iam est præter illam, quæ cælitus hucusque peruenerat. Primo quod datur, aliud quidem est in datore, aliud autem extra, etiam si in se ipso permaneat: præterea est & minus. Secundo dum in subiecto viliori suscipiuntur, fit vt vilius: Tertio propter naturam suscipientis diuersam suscipitur modo diuerso. Quarto qualitatibus inter se differentibus, quę à subiecto eodem pariter capiuntur. Quinto patiente subiecto patitur. Sexto ex omnibus subiecto cõprehensis aliud quiddam postremo resultat. Influxus cęlestes imateriales extendunt. Saturni quidem vis contentiua est. Martis verò motrix. Illa verò per accidens frequenter obest, quando materia frigidiore suscipitur, per modum congelationis accipitur. Hæc quando per æstum, quod quidem fit pro dispositione materiæ, idest quando videlicet materia illa neque satis calida est, neque est interea densior: hæc autem per se est calidior, atque subtilior. Lux calorq; Solis, quãuis offendere languidum videantur, necessaria tamen sunt ad vitam. Similiter omnes cælestium influxus veniunt salutares, quamuis subiecti vel preuersitas peruersè recipiat, vel debilitas facilè tolerare non possit efficatiam superorum, &c. Has itidem rationes ex Iamblicho, & Plotino decerptas affert ipse Ficinus in supradicto loco.

Saturni martis & Solis virtus.

Pici Mirandulani sentẽtia.

Quæ Platonicorum placita doctissimus ipse Mirandulanus adamussim consectando, hanc materiam cæteris exactius digerit eodem libro 3. c. 21. contra Astrologos, vbi cùm vellit ostendere stellas in his inferioribus prauorum accidentiũ non esse auctrices, supponit Cælum eo perinde modo continenti, ac viuificâ vi suâ hæc sublunaria regere, & custodire, atque ipsamet corporum nostrorum vis naturalis regitiua. Quemadmodum enim inquit Cor in medio animalis corpore totius vitalis virtutis fons & origo vniuersi & partium cor-

Cælum agit vt vis naturalis in nostro corpore, & velut Sol in Mundo.

poris

poris ordinem, ac integritatem regit, sustinet, atque tuetur: ita Stellarum, ac præsertim Solis vis calorifica se se habet erga omnium corporum inferiorum regimen, & custodiam. Quare absurdum est dicere improsperos omnes inferiorum corporum euentus eâ perinde ratione stellis acceptos referre; sicuti absurdissimum esset, vt dixi, corporum nostrorum vitia, atque causas in ipsam naturalem virtutem ipsum corpus gubernantem reijcere. Item si tanquã Philosophi concedant elementa quicquid naturale, ordinariumque possident, totũ à Cęlo mutuare, non debent pariter asserere eorundem excessus, & deliquia cælitus deriuare, cum aliud sit qualitates primas, aliud ipsarum qualitatum recessus & detrimenta à Cęlo proficisci: sicuti negari non debet aliud esse Ciuitatis magistratus, leges, & iura, & aliud in eadem multa boni Principis opere fieri maleficia. Fateantur ergo ipsa quatuor elementa intra suos limites permanentia, ac suo iure contenta nullum per se negotium mundo facessere; sed à cælesti virtute fluxibilem, & erraticum rerum corruptibilium numerum regente, ac moderante per accidens prouenire. Non obstat, quod dicant, si aliquæ stellæ sunt calidæ, aliquæ frigidæ, illis prædominantibus, elementa calida inualescere, his verò, frigida: & sic fieri, vt ex syderum frigidorum humidorumque prædominio fiant aquarum eluuiones, & ex calidorum, & siccorum concursu conflagrationes. Quoniam, respondetur, quòd licet cęlum ex omnium simplicium corporum excellentijs constet, & cunctorum luminum conspiratione confletur, ita vt excellenti pręstans harmoniâ, in causa sit, vt hęc omnia sublunaria æquè temperato concentu correspondeant: attamen illis si quid dissonum, asperumque contingat, ad cæli tactum minimè referendum, sed ad quatuor istas citharæ sublunaris chordas, quæ ob inordinatam impuramque materiam cælesti plectro contactę superorum numero, & concordiæ non semper congruunt, & quandoque contumaces fiunt.

Obiectio.

Responsio.

Cælum ex elementorum excellentijs conflatum.

Cæterum si quodpiam sydus vni elemẽto, aut humori pręsit, illi quidem hoc fine præest, & prospicit, vt illud perficiat, & in

Sydera quo fine præsint sublunarib⁹.

& in sua perfectione tueatur. Etenim si Mars igni præsit, non equidem in huius subditam qualitatem aget, vt ordini bono, naturæque legibus non consentiat, hoc enim munus non est præsidis custodientis: non minus siquidem compescere tumultuantem, quàm suscitare torpentem cælestis præfecturæ offitiũ est: quare licet primæ qualitates à cælo dependeant, non ob id tamen eorum transgressiones, ac tumultus ab eo fieri dicendum est, sed à materiæ motibus inordinatis cęlestis disciplinę legibus vsquequaque non obsequentis. Nullum igitur cælo sydus erit ita prædominans, vt in hunc inferiorem mundum huiusmodi tyrãnidem exercendo, hęc prodigiosa inferat mala; vt propterea statuendum sit nullas elemẽtorum noxas, nullaque corporum nostrorum, aut quorũcunq; animantium damna à cælo deriuare.

Mala, quæ accidunt in his inferioribus à qua causa producuntur.

His ergo Mirãdulanus demonstrat cęlum ex sua natura omnifariam esse perfectum, nobile, atque benignum, & sic cunctis animantibus eius bonorum, & gratiarum munera compartiendo, mediante stellarum lumine, & motu, hæc omnia sublunaria clementer regere, continere, fouere: & propterea quęcunque noxia, & incommoda in his accidunt, non à stellis deriuare, sed à subditæ materiæ vitio, & contumatia, vel inobedientia.

Atquoniam hîc non satis constat quomodo horum sublunarium vitia, vel deliquia, & inobedientiæ sint omnium eorundẽ malorum accidentiũ causa: vt huic defectui quoquomodo suppleamus, & huiusce rei veritatem illustriorem reddamus, satius forè duximus, hæc pauca subiungere.

Responsio.

Cælũ cur tã diuersos producat effectus.

Certum est enim, & ab omnibus constitutum cęlum esse vndequaq; perfectũ, & omnis vitij prorsum expers, & æquissimum esse rerum omnium inferiorũ productiuum, fautorem, & custodem, & suas virtutes medio lumine nobis munificentissimè cõmunicare: quod quidem diuersis constat corporibus luminosis, hoc est syderibus, quæ iuxta locorum magnitudinum, & naturarum varietatem, sic differenter agunt, & varios producunt effectus: vnde pro eorundem aspectuum, & irradiationum varietate hæc sublunaria diuersis modis afficiunt.

Cælorũ licet nullius corruptionis & alterationis sit capax cur corruptionũ & alterationum sit autor.

Neque mirari oportet cælum, etsi nulli alterationi, & corruptio-

ruptioni sit obnoxium, omnium tamē alterationum, & corruptioum, & aliarum mutationum esse auctorem: vnde dicebat Scaliger exercit. 95. numero 3. cælum absque qualitate qualitatem efficere, & licet incorruptibile, corruptionem facere: non mirandum inquam, quia præstat vt primum, ac supremum motorem, primumque calorificum licet omni motu, & calore sit expers, cunctis tamen & motum, & calorem præbeat, quod manifestè apparet in solaribus radijs, qui licet actu nullam habeant caliditatem, quæcumque tamen attigerint, verè incalfaciunt: sicuti cerebrum, licet omni sensu, atq; motu sit destitutum, omnium tamen sensuum, & motuū corporis auctorem esse certum est: ac proinde non mirum est si stellæ quamuis sua natura benignæ, & optimæ, nec nisi bona, & prospera intendant, per accidens tamen boni regiminis iure, quicquid mali afferunt, totum sub ratione boni duntaxat præstant: corrumpunt enim per accidens, vt per se generent, per accidens destruunt, vt per se conseruent.

Calor innat⁹ similis calori cælesti quid operetur in materiam.

Eapropter quęcunque mala in his inferioribus accidunt, vt plurimum ex subiectorum corporum vitio, & mala dispositione aut ex improportione materiæ eueniunt: nam sicuti vnus idem calor innatus, pro vt est instrumētum animæ ex eodem alimento generat carnem, ossa, neruos, & alias difformes corporis partes; ita etiam vnus calor cęlestis parum huic absimilis, vt est instrumentum Cęli, diuersos producit rerū effectus iuxta materierum diuersam dispositionem. Item tale erit materię vitium, vt hęc vel nimis calida, vel friga, vel humida, vel sicca, vel crassa, vel dēsa, vel alio modo plus quàm oporteat affecta, vt licet rectè, & sufficienter influat virtus; tamen necessum est deprauatum opus fieri: quemadmodum si copiosior, aut paucior, aut durior, aut mollior, quàm naturale agens possit regere, & debellare; tunc ipsius frustratur, aut labefactatur opus. Verum est enim quod etiam ex parte cælestis virtutis non raro accidunt mala in hęc inferiora hoc modo, quatenus scilicet benigniorum Planetarum aspectus aut nobis abest, aut ab alio inprospero Planeta offuscatur, vel impeditur, vel infringitur, aut labefactatur. Non

Qua ratione cœlestis lumi nis absentia non tantum præsentia agat in hæc inferiora.

solum luminis præsentia corpora cælestia agunt in hæc inferiora, sed etiam absentiâ; quoniam eo tempore, quo Solis, aut Iouis, aut Veneris, aut Martis, & similium calidorũ astrorum radij ad nos recti perducuntur, caliditatem afferendo, omnia reddunt calida: dum autem eadem à nobis recesserint, omnia languent, & refrigescunt: vnde statuendũ est, quòd qualis erit syderũ calidorum, aut frigidorum, seu magis aut minus luminosorũ, aut propinquiorũ, aut remotiorũ radiatio, aut positio, & lucis extensio, vel intensio, talis erit reflexio, & actio, & passio in hęc sublunaria: & consequenter fient in inferioribus elementis, & in corporibus animatis ad calidum, & frigidum, humidum, & siccum diuersæ mutationes, & alterationes, pro vt magis & minus calorifica, & benefica causa accedit, & recedit.

Mala quæ in sublunaribus fiut, quo modo à cælo & à subiecta materia fiāt

Ex quo igitur concludendum est quicquid mali, prauique cælitus venit, id omne non tantum à materiæ vitio, & improportione, malâque dispositione; verum etiam à syderibus accidentariâ ratione eo modo, quem dixi, prouenire: non igitur syderum, neque corporum nostrorum virtutem gubernatricem, quæ semper vbiq; bona est, & non nisi bonitatem affectat, improbandam, sed subiectorum corporum vitium, & malam dispositionẽ, ac improportionem, asserimus. Nam corporum nostrorum facultates naturales, & cõgeniti humores non minus homini hoc modo nocent, aut prosunt, quàm ipsorummet syderum immissæ virtutes. Non igitur verum est hæc inferiora à syderibus obnoxiari propter materiæ patientis inobedientiam; imò potius è contra, nimirum, quia materia cùm occursanti cęlestis virtutis efficatiæ non resistat, sed promptissimè obsequatur, facilè contrahit noxas à syderibus accidentaliter illatas. Nullam enim ex causis absque patientis aptitudine agere posse docet Galenus in primo de diff. feb. cap.4. alioquin omnes, qui sub æstiuo Sole, & sub Canis ortu febricitarent, ægrotarentque, vt in pestilentijs morerentur. Oportet siquidem, vt paulò infra subdit, in omni causarum genere diligenter aduertere ex qua maxime

poten-

potentia ęgrotare contingat: deinde corporum diſpoſitiones, tam quæ eidem conſentiunt, quàm quæ aduerſantur, conſiderare. Illud pro comperto habentes, quod quæcunque cõſentientes ſunt, facilimè læduntur: contrariæ autem, ac renitentes, quantum viribus, ac magnitudine contrarietas valet, tantum inuictas perdurare contingit. Ex quo manifeſtè apparet corpora ſublunaria propter diſpoſitionem, & obedientiam à ſyderibus affici: quæ autem ijs reſiſtunt, & non parent, incolumes fieri. Nemo etenim inficias ibit ex vario ſyderum ortu, ac obitu varias fieri temporum mutationes, teſte Hippocrate in multis locis, pro diuerſa ventorum, & elementorum permutatione, & alteratione, ſic corpora noſtra multifariam permutari, & alterari. Quis ergo non fatebitur ſubiectã hanc materiã ea ratione tantũ alterari, conuitiari, & malum contrahere, quòd ſyderũ, & corporũ ſublunarium naturali facultati obſequentiſſimè cedat, ac obediat? Nonne tempore hyberno ob ſolaris radiationis abſẽtiam cogitur calor, & ſanguis ad interiora ſe ſe recipere, ibique vaſa nimis replendo, obſtructiones parere, viſcerum inflammationes, & febres excitare, & varias humorum fluxiones, & à capite deſtillationes promouere? Sic per ęſtatem feruente Cane, nõne ſpiritus diſſoluuntur, & langueſcit calor innatus, quo fit, vt in corpore ſuccendatur, & inualeſcat extraneus calor, vnde ſubſtantia corporis diſcipatur, humores feruent, & putredinem cõtrahunt, qua cùm ſanguinis maſſa vt plurimum prauam labem conceperit, inde putridi ac venenoſi vapores eleuati, ac ſpiritibus cordis impertiti, maligna, aut peſtifera febris per totum corpus excitatur? Non igitur contumacis, aut inobſequentis nomine criminanda eſt ſublunarium corporum materia.

Ex vario ſyderum ortu, & occaſu uariæ fiunt tẽporum mutationes.

Verùm quomodo corpora cæleſtia morborum epidemiorum, & præſertim noſtræ pleuripneumonicæ conſtitutionis fuerit cauſa per accidens productiua, his pro virib⁹ explicabo.

Cælum quomodo per accidens exiſtat cauſa effectiua ſublunariũ effectuum.

Aliqui enim celeberimi Viri, (quorum vnus eſt Fernelius in 2. de abdit. rerum cauſ.) cùm cauſam ignorarent, propter

Fernelij sententia.

Astrologorum opinio.

quam cęlum apud nos tot miros effectus producat, vt se breuiꝰ explicarent, totum negotium in vnã cecã syderũ proprietatẽ retulerunt. Astrologi autem dicunt ex Luna, Cancro, Scorpione, Piscibus, Aquario, Orione, & Pręsepibꝰ humiditatẽ generari: à Saturno, Tauro, Virgine, & Capricorno siccitatem: sicuti à Sole, Marte, Ariete, Leone, Sagittario, & Canicula feruorem: à Saturno autem, & à Luna, nec non à Capricorno, Cancro, Scorpione, Piscibus, & à Cynosura, aut Helice frigiditatem.

Autoris opinio de actione cælorum in hæc inferiora.

Ego autem semper eiusce fui sententiæ, quod ab vna Solis p̃sentia, vel absentia, pro vt scilicet magis & minus accedit, & recedit, vel moratur, aut non; sicuti etiã ab astrorũ magis, vel minus calidorũ cum Sole cõcursu, aut aspectu per motum, & lumen has omnes in inferiribꝰ alterationes, ac mutationes occasionari.

Cælum quomodo sit omnium sublunarium passionum, & transmutationũ autor.

Calor enim primus, & potissimus Cęlorum Alumnus nedum quatuor qualitatũ elementariũ, sed omniũ corporum sublunariũ passionũ, ac trasmutationũ est causa, licet, vt dixi, nõ per se & ꝓxima, sed saltem accidẽtaria, & remota, hoc scilicet modo. Nam Cęlum cũ lumine tantum, & motu suã exerat virtutẽ in hęc inferiora, ab eiusdem motu ac immobilitate cũcta elemẽta, quę potestate sunt calida, frigida, humida, sicca, actu reddunt talia teste Arist. in 1. Meteor. c. 4. Quare iuxta syderũ magis & minus luminasorũ aspectũ, variæ elemẽtorũ, & corporũ inferiorũ alterationes, & mutatinnes fiunt. Hinc ex quadruplici Solis in Zodiaco positione, ex duobꝰ nẽpe Solstitijs, & totidẽ Æquinoctijs illa fit quadriformis temporũ vicissitudo; duo nimirũ in primis actiuis qualitatibus extrema, & duo mediocria: vnde sicuti ex calorificę causę pręsẽtia fit caliditas, absentiã verò frigiditas: ita ex mediocri caliditate, & frigiditate fit humiditas, & earũdẽ excessu siccitas: Quo fit etiã vt cùm ita se res habeat de Luna, & de alijs Planetis, velut de ipso Sole tũ erga nos, tũ erga se ipsos mutuis aspectibꝰ, Luna eodẽ solari lumine referta existens in Ariete humidiusculũ tepidiusculũq; reddit aerẽ: dũ ad Cãcri punctũ peruenerit, quo tẽpore ꝑpẽdiculis radijs nos respicit, calidiuscula, ac humectiora reddit corpora: in Libra verò eadẽ residẽte, resolutã quadãtenus humiditate, omnia fiunt sicciora, & frigidiuscula: Dũ autẽ

Syderum varij aspectus variorũ effectuum sunt causa.

Quadriformis tempestatũ uicissitudo unde fiat.

Capricornũ attigerit,ac depressis radijs nos respiciat,cũcta frigent, & humescunt. Sic mutuo Solis,& Lunę,sicuti ceterorũ Planetarũ aspectu,& cõcursu intẽdũt,& remittũt eorũ caliditas, & cęterę qualitates: dũq; ipsa Luna in primo quadratu respicit Solẽ modicè calfacit,& humectat:in altero autẽ exsiccat, & modicè infrigidat: in coitu verò cũ Sole plurimũ frigidi humidiq;parit. Si igit Luna omniũ Planetarũ infirmissima tã insignes cũ Sole faciat mutationes,quãto insigniores fiẽt ab alijs maiorib⁹, & calidiorib⁹ stellis? Planetę igitur calidioris naturę, eo calidiores, & vehementiores edent qualitates, & vires, cùm rectis, & quadrangularibus radijs nos feriant: eoque vis & caliditas eorum magis intendetur, quo plures calidi Planetæ concurrerint.

Planetæ calidiores quomodo vehementius agãt apud nos.

Cęterũ scitu dignũ est, primas qualitates tunc esse bonas,& salutares, cùm fuerint temperatæ; sic tãto esse malas & pernitiosas quãto supra iustũ excesserint: dũ igitur alicui Planetę calido opponitur ꝑ quadratũ, aut ꝑ diametrũ aliquod Planeta calidũ,ita adaugetur,ac ignescit illa caliditas,vt non nisi prauã,& maleficã sortiatur naturã: & hac ratione nõ mirãdũ, si sextiles, & trigoni sint prosperi,aut minus malefici;siq;omnes cõiunctiones in caliditate, & virtute sint cęteris aspectib⁹ infirmiores:neq;hac ratione mireris, si Mars Solis radiationi cæteris proximior, penè cõburatur, ac omniũ feruentissimus, & siccissimus euadens maleficas influat qualitates: sicuti è contra Saturnus à Sole cæteris remotior,omnium Planetarum frigidissimus, & terrestrem naturam adeptus, melancholicas, & funestas edat qualitates.

Qualitates primæ quãdo sint malæ et quãdo bonæ.

Sextiles, & Trigoni, cur sint mali.

Mars cur adustus, & maleficus.

Saturni qualitates.

Planum est ergo mediante superiorum cum inferioribus cõtinuitate,ob varias illorum naturas,cõcursus,aspectuumq;vicissitudines,tot varias istorũ fieri mutationes,ac alterationes: Hinc nõ mirãdum, si in aere omniũ sublunarium facilè alterabiliũ primo,ac principali tot mutationes, ac impressiones fiant;siq;nõ modo à superis ꝑ lumen,& motũ is immediatè formas accipiat; sed etiã ab inferis,& pręsertim à terra,& ab aquis solariũ radiorũ ope subleuatos vapores excipiat, & omnes peregrinas qualitates facilè admittat, à quib⁹ tã variè immutatur, vt facili negotio quascunq; vitiosas alterationes,ac corruptiones mirificè subeat.

Aer omniũ alterabiliũ primus.

Tēporũ inconſtãtiæ ũde fiant.

A ſuperis inquam, hoc est nõ tantum ab obliquo Solis circuitu, ſed ab hac, & ab illa peculiari ſyderum permistione variæ, & inconstantes fiunt anni, temporumque constitutiones; hinc non omnes ęstates peræque ſemper feruidę, perſiccæque fiunt, nec omnes perpetuò hyemes æquè rigent, & humeſcunt: at quædam anni, aeriſque constitutio erit pluuioſa, quædã ſquallens, & ſicca, alia nubila, & caliginoſa, alia ſerena: hæc item austrina, illa borealis, & aliæ multifariam tempestates eueniunt; quarum aliæ omnium terræ bonorum vbertatem, nonnullæ penuriam afferunt: aliquæ bruchorum, aliquæ verò locustarum immenſi numeri ſunt feraces.

Ventorũ uarij perflatus, & aeris mutationes vnde.

Pręter ſeptem errantium Syderum concurſus quędam alia peculiaria Firmamento affixa ab Aſtrologis, & Medicis aſſignantur, à quorum ortu, & occaſu obſeruatum est varios excitari perflatus, ac aerem multifariam immutari: vt dum Arcturus occidit matutino, Fauonius ſpirat: ſic oriente Delphino, flat Auſter: occidente Equo, ſpirat Aquilo: cùm Zona Orionis emergit, aer à Fauonio turbatur: exorientibus Suculis, pluuiæ excitantur ab Auſtro: & ita de cæteris inſigni oribus Aſtris ſe res habet.

Anni tempora quãdo ex recto naturę modo procedunt.

Cùm igitur Sol Circulum obliquum perluſtrando non ab infauſtis, & incongruis Aſtrorum concurſibus, & aſpectibus eius ordo deturbetur, ita vt ſuas quatuor poſitiones ritè, & ſecundum ſuæ naturę modum, & ordinem abſoluerit, omnes anni conſtitutiones recto modo procedent. Hinc monebat Hippocrates in lib. de Aere aqu. & loc. quod ſi ſecundum rationem fiant ſigna in orientibus, & occidentibus Aſtris, par eſt annum fieri ſaluberrimum: ex quo Ptholomeus aſtronomicarum rerũ peritiſſimus Princeps ſecũdo de Iuditijs aſtrorum part. 57. dicebat Solem pro natura ſtellarum, quib⁹ iungitur, varias facere generales conſtitutiones; & propterea ipſe ſcitiſſimus Senex dixerat in tertię ſectionis aphor. primo, quòd temporum anni permutationes potiſſimum morbos pariunt, & in ipſis anni tempeſtatibus magnæ mutationes frigoris, vel caloris, aliaque pro ratione ad hunc modum.

Qua-

Quare vt nonnullas huiusmodi pręposteras anni constitutiones describeret, hæc talia in lib. de aere, aqu. & loc. sicuti 3. aph. 11. memoriæ mandauit. Si verò, inquit, Hyems quidem sicca, & borealis fuerit, Ver autem pluuiosum, & australe; necessum est Æstatem febriculosam fieri, & lyppitudines aduenire; cuius rei causam tum apud Hippocratem ibidem, tum apud Aristotelem in probl. 8. sec. primæ quisque poterit ad libitum intelligere.

Anni constitutiones pręposteræ.

Alteram huic omnino oppositam anni tempestatē descibit Hippocrates in eisdem lib de Aere aqu. & loc. & aph. 12. his verbis. Si verò Hyems australis fiat, & pluuiosa, & tepens: Ver autem boreale, siccum; & frigidum, primò quidem mulieres, quæ vtero ferunt, & partus ipsis, ad Ver instar abortum facturas esse verisimile est. Quę verò etiam pepererint, imbecillos, & morbosos pueros parere, ita vt statim pereant, aut tenues, debiles, & valetudinarij viuant: atque hæc quidem mulieribus. Horum rationem legas apud eosdem ibidē.

Ex ijs igitur luculenter apparet ex inordinatis, ac insolitis, vel à sua naturali temperie excedentibus anni tempestatibus procreari quidem morbos populares, non autem pestilentes, dumodo scilicet non totus annus æquè continenter intemperatus, vel potissimum austrinus præcedat: aut non plures anni successiuè inordinati, vel immodicè intemperati præcesserint: tunc enim ex huiusmodi vitiosæ constitutionis continuitate necessum est primò insignem fieri tum elementorum, tum alimentorum corruptionem, deinde prauam corporum dispositionem, & subinde pestilentiam.

Morbi epidemici, & pestilentes quo modo generentur.

Verùm enim vt propius accedamus ad præcipuum modū, quo ex corporibus cælestibus propagentur primæ qualitates in his inferioribus, hæc quædam alia sunt subdenda, ad examenque reuocanda. Temporarias enim, & accidentarias nostri Aeris mutationes, & alterationes hisce modis fieri duco. Dum quippe Sol est in signo Leonis, vel Sagittarij, illi diametrales, vel quadragulares, vel coniuncti sint Saturnus, & Luna, & maximè si trigonum, vel sextilem habeat Martem.

Aeris temporariæ mutationes vnde fiant.

Cer-

Certum est, quòd ipsi radij solares à frigida Saturni, ac Lunæ radiatione quoquomodo refrigerati, ac hebetati, nō nisi infirmius in nos agent, & remissâ Solis calorificâ radiatione, tepidiuscula redditur hæc aeris regio: vnde cùm aer ipse aliquantulum concrescat, & si non pluuiosum, saltem roridum madorem gignit, quo postmodum terræ superficiem irrigando, eam molliorem, ac laxiorem reddit, ex qua deinde vaporibus effusis, ac in sublime elatis, mox turbescit, obnubilaturque aer: in quo deinceps coactis vaporibus dictis, gignitur pluuia.

Aeris perturbationis alia causa.

Alia quoque huius aeris turbulentiæ non leuior causa succurrit, quòd nimirum sicuti eo tempore, quo radij solares in hanc nostram regionem perpendiculariter imittuntur, quanto intensior fit æstus, & siccitas, tanto per antiperistasin secunda aeris regio, ac meridionalis plaga, quemadmodum etiam terræ præcordia refrigescunt, constipantur, & humescunt: ita quanto ob dictam solaris radiationis imbecillitatem à dictorum Planetarum congressu occasionatam, nostratis hæc regio tepidior, atque laxior redditur; tantundem ipsa australis, secundaque aeris regio, & subterranei recessus exsolutâ eorum cohibitione, totum humidum dissorbitat, & huc illuc latè diffunditur; tum nostram hanc impetendo, totam tepore, & caligine replet: vnde laxatis terræ meatibus, ac poris, expirant vapores, & exhalationes, quibus postea gignuntur flatus, & subinde imbres: & hoc modo tēpore ęstiuo ex syderibus austrina, pluuiosaque oritur tempestas.

Sol cum quorum Planetarum aspectu austrinā & pluuiosā pariat tēpestatem?

Ita pari ratione quo tempore Sol Piscium, vel Aquarij signum adortus, gelidam nobis tempestatem adduxerit, si coniunctos, aut oppositos, aut per quadratum se spectantes habuerit Martē, Iouem, & Lunam, nec non trigonum, vel sextilem sibi Saturnū assiuerit, proculdubio à signis calidis, & humidis redditâ tepidiori ipsius radiatione, nedum nostræ regionis algor remittetur, sed etiam in meridionali plaga ęstus ad mediocritatem redigetur, ita vt inducto hîc, & illic quodam tepore, vaporum, & exhalationū è terris exeuntium subleuationi præbetur occasio: ex quo non mirum est, si tum ventorum australium perflatus, tum aeris perturbationes, tum subinde continentes pluuiæ subsequantur; &

ita hyems austrina, & pluuiosa ex syderibus generatur: & ob id semper apud omnes Astronomiæ peritos improspera, & exitialis habita est coniunctio Iouis, & Martis in signo calido, & humido; vtpote quod Iouis caliditate Mars validius æstuans aerem feruidum, ac pestiferum reddat. Ita maleficos, & exitiales existimant Saturnum, & Martem cum Sole, Luna, & Mercurio vel coniunctos, vel quadrigonos, vel oppositos: Sicuti Saturni, Iouis, & Martis in signis humanis, vt in Geminis, Virgine, & presertim in Aquario. Hinc Mattheus Zeusius in orat. de causis, & period. morborum pestilentialium inquit septentrionales plagas potissimũ pestiferis morbis affici, quando Saturnus igneę triplicitatis signa Arietem, Leonem, & Sagittarium peragrauerit.

Iouis, atque Martis coniunctio in quibus signis improspera sit, & exitialis.

Cæterum non modo in extremis anni temporibus, hoc est in æstate, & hyeme ex huiusmodi Solis positionibus, & aliorum quorundam syderum aspectu, vel congressu, austrina, & pluuia fit constitutio, verum etiam & facilius, & frequentius in medijs tempestatibus, vt in Vere, & Autumno; quo fit vt huiusmodi tempora præcæteris sint morbosa. Quare dum Sol horum tẽporum signa peragrans, nempe Geminos, Virginem, Libram, & huiusmodi coniunctos, vel oppositos respiciat Martem, & Saturnum, non nisi prauas ægritudines, & infaustos euentus infert, & præsertim dum ipsis infaustis Planetis in eiusmodi signis existentibus, fiunt Solis, & Lunæ defectus.

Quæ tempestates & tempora cæteis sint morbosa.

Cùm itaque pluribus, & præsertim tribus, imò quinque proximè præcedentibus annis 28. 29. 30. 31. & 32. supra 1600. prædominati sint humidi, praui, ac improsperi Planetæ, & in humidis prauisq; signis mansiones fecerint, ac infaustis concursibus mutuò se conspexerint, vt ex Astrologorũ Ephemeridib⁹ luculenter extat, non mirum est, si nedum tunc temporis per multas regiones grassata sit Pestis, verùm etiam anno 1633. quo tempore Astra ob prauos aspectus maleficè influxerunt, apud nos populariter infestauerit Pleuripneumonia: tum etiam maximè, quoniam singulo quoque dictorum anno quatuor acciderunt Eclipses, ita vt quinque prædictis annis viginti Solis, & Lunæ defectus contigerint, ex quibus consuetum est omnium

Planetæ praui inprosperiq; & humidi quo tẽpore prędominati sint.

Pestis cur annis 1630. 31. 32. & 33. grassata sit.

Eclipses quot acciderint annis quinq; 1628. 29. 30. 31. & 32.

 Ast-

Astrologorum consensu, & experimento totum Mundum refrigescere, & potissimum Solis vires languescere; ac inde copiosos imbres, ac terræ sterilitates, aquarum, aeris, & corporum humidorum corruptiones, & putredines suboriri: & adhuc magis ipsæ Eclipses habendæ sunt perniciosæ, quando in prauorum syderum tam errantium, quā fixorum interuentu, (vt dicto anno 1633. contigit) fuerint celebratæ: quarum insignes, ac pernitiosos effectus volunt per plures annos persentiri. His namque temporibus maleficorum Planetarum dominatus, & prauorum Syderum concursus, & aspectus obseruati sunt: nam modò Saturnus, modò Mars omnium Planetarum pessimi ijse temporibus, etsi raró sint prædominati, saltem diuersis aspectibus sæpè cum cæteris Planetis concurrerunt: atque non raró nunc vnus, nunc alter, nunc vterque seu cum Ioue, seu cum Venere, aut Mercurio, aut Luna, aut Sole vel coniuncti, vel opositi, vel quadrati, vel trigoni, vel sextiles extiterunt. Nec tantum huiusmodi maleficorum Planetarum tum inter se, tum cum alijs diuersi aspectus obseruati sunt contigisse ijsdem annis; verùm etiā eorundem in prauis signis positiones, & potissimum in Cancro, Scorpione, Sagittario, Piscibus, Virgine, Libra, Leone, & similibus. Item ipsi malefici Planetæ sæuiores suas facultates effuderunt, quando in Corde Scorpionis malignissimo sydere, in Pleiadibus, aut in illa pernitiosa stella, quam Oculum Tauri vocant, vt ijsce annis, sunt reperti. Nec mirandum erit tunc temporis morbos pectoris ingruisse, cùm ea tempestate Mars, & Luna frequenter in signo Cancri fuerint dimorati, quod quidem signum volunt thoraci prædominari, forsitan quia postquam per æstatem cor, & pulmo impensè fuerint incalfacta, copiosior quàm opus sit potus tunc exhauritur, quo fit vt plurimum humidi in thoracem protrahatur, ex quo tum in pulmonibus obstructiones, & subinde inflammationes generantur: aut quia tunc temporis maximo æstu dissipatis cordis spiritibus, nec paruā factā substantiæ vitalis diflatione, elanguescit calor cordis, ex quo euenit, vt ineunte Autumno pe-

Eclipsiū effectus.

Planetæ malefici quando securiores euadunt.

Morbi pectoris cur tunc temporis ingruerunt.

pectore refrigerato, ac pulmonibus debilitatis, in eo non pauca coaceruetur humiditas excrementitia, ex qua ob prohibitam calidi pulmonis expirationem inibi succrescit inflãmatio: ex quo fit, vt qui naturâ calidiori sunt pectore, & quibus ob nimios labores maximè incalescit pulmo, ij vt plurimum asthmatici, aut phthisici euadunt: tum prçsertim illi, qui humidiori, & calidiori sunt natura.

Cum igitur ijsce prçcedentibus annis ob humidos calidosque Planetas in humidis Signis existentes humidiores quàm par sit tempestates prçgressę sint; nedum ex aeris cõtactu corpora nostra non parum humiditatis contraxerunt, verùm etiam ex alimentis, & potibus, quæ cùm ob humidiorem, & solito deteriorem substantiam plurimum excrementi in nobis accumulauerint, par erat, vt in corporibus calidis, & humidis multa vitiosæ superfluitatis copia intra thoracem, & pulmonem adaggerata sit.

Quomodo in Cælo calido, humidoque corpora nostra vitiosã humiditatẽ contrahant.

Nam in Æstatis, & Autumni tempestate pluuiosa, & austrina necessum est costarum, & pulmonis inflammationes procreari teste Hippocrate de aer. aq. & loc. cum enim multa humiditate ipsa thoracis, ac pulmonum vasa immodicè repleta fuerint, vix fieri potest, quin calidi naturalis fiat perspirationis inhibitio, propter quam necessum est ipsum calidum in igneam naturam succendi, & sic inflammationem, & febrẽ continenter suscitari, ex cuius incendio, nisi tempestiuè auferantur ligna, hoc est humorum, & præsertim sanguinis plenitudo, fit subita ipsius innati caloris suffocatio: vnde dicebat Galenus in 3. de cris. Hominem in principijs accessionum mori propter subitum ad interiora motum veluti suffocata, atque extincta natura, non aliter quàm si lignorum viridium acceruum super flammas conijcias, sic in augmentis plerumque moriuntur.

Qua tempestate, & natura contingant lateris, & pulmonis inflammationes.

Caloris innati subita suffocatio vnde fiat.

Homo cur in febris accressione vt plurimum suffocetur.

An ex Contagio potuerit excitari Pleuripneumonia.

CAPVT XXIX.

INter causas exteriores, & communes, quæ aut medio aeris interuentu cæco quodam myasmate, aut ipsomet immediato rei infectæ contactu corpora humana sic afficere potuerint, vnum creditur esse Contagium: nam his temporib⁹ tanta est vulgatæ gentis erga hanc pernitiosam labem timor, & suspitio, vt quilibet morbus in quapiã ciuitate, vel regione vulgariter grassans, à contagione existimetur proficisci, & tamen neque præsẽtes morbos populares, neq; proximè præteritos pestilentiales ex contagio ortum deduxisse duco; tametsi plurima ex parte fuerint contagiosi, quoniam cùm contagium sit causa particularis, nequit esse causa morborum communium, & popularium, quorum necessariò communem, ac vniuersalem oportet esse causam: iam enim planum est tum præteritos pestilentes, tum hos nostrates morbos fuisse epidemicos, & cõmunes: & propterea necessum est eorum communem fuisse causam, vt paulò post demõstrabitur: at quoniam de peste suo loco alias abundè disseruimus, de his modò recentioribus non erit difficilè breuibus demonstrare.

Contagium quàm terrificum sit penes Vulgũ Autoris de cõtagio morborum anni 1633. sententia.

Primum vera contagionis inditia sunt videre in vna eademq; domo, aut cubiculo, vno quopiam ægrotante, cæteros quoque eiusdem familiæ, & quoscunq; ad illum vel accedentes, vel ęgri pannos, aut aliam rem contrectantes paulò post eadem corripi affectione. At in proximè præterita tempestate nulla domo, nulloq; loco visum est hoc accidisse: nam cùm nulibi interdictum sit commercium, iam huc vsq; in omnes irrepsisset contagium, ac in dies magis incrementum sumpsisset, quod tamen non apparet, imò potius diù decrescendo processit.

Contagionis vera inditia.

At si in vna aliqua domo contigerit totam familiam eodem morbo paucis interpositis diebus ægrotasse, & omnes, aut maiori ex parte defecisse, hoc non contagioni referendum, sed internæ, ac simili eorum omnium dispositioni, ac analogiæ; quia cùm omnes ob consanguinitatem eiusdem ferè naturæ existant,

Cur eodem morbo tunc plurimi afficiebantur.

& eo-

& eodem victu, eodemq; modo omnes vtantur, non est mirum, si eodem etiam morbo afficiantur, & pereant.

Prçterea si ex contagio ortum duxissent huiusmodi morbi sequeretur omnes, qui diuagati sunt, morbos, vnius eiusdem esse generis, & naturæ, cuius erat primus, à quo cæteri omnes sunt deriuati: at variæ fuerunt ægritudines, & iuxta çgrotantium varias naturas, & causarum, & locorum affectorum diuersitates, sic variam sortiti sunt formam, & diuersa peperere symptomata, vt superius iam demonstratum est. Nam non semel obseruatũ est in vna eademque domo vnum laborasse pleuritide, & alterum, licet cum illo commertium habuerit, non pleuritide, sed sola febre, aut simul cum peripneumonia: & alium nephritico dolore, alium morbillis, quod quidem certum est inditium nullum ibi adfuisse contagium.

Morborum diuersitas vnde deriuet

Cçterum cùm apud omnes pro in confesso habeatur pleuritidem, pneumoniam, catarrhum, anginam, & huiusmodi morbos, eò quòd ex insigni putredine non oriuntur, ex sua natura non esse contagiosos, neque ex contagio proficisci; nullum in his, contagium adfuisse credendum est: quod ex eo magis conijci potest, quòd hisce temporibus ex ijs nullus apparuit morbus, qui ab excellenti putredine fiunt, & qui ob putridos venenososque vapores vt plurimum sunt contagiosi, vt febres malignæ, & pestilentiales, peticulæ, bubones, carbunculi, pustulæ, vlcera, gangrenæ, & id genus alia.

Cur eiusce temporis morbi non fuerint contagiosi.

At si ijsdem temporibus vbique floruerint variolæ, atq; morbilli, qui ab omnibus existimantur morbi pestilentiales, & contagiosi, quiue pestem præcedere, aut concomitari, aut subsequi consueuerunt, nõ obid inferendũ est eos ex contagio deriuasse: quãdoquidem multi sunt morbi, qui licet natura sint contagiosi, non tamẽ ex contagio nascuntur: qui enim ex contagio oriuntur morbi, à causa exteriori, & accidẽtaria proficiscuntur, atqui morbillorum, ac variolarum causa neque est extrinseca, neque accidentalis, sed interna, & necessaria, cùm omnibus ferè datum sit à natura aut semel, aut bis ob internam, & communem materiã, eiusmodi morbis tentari.

Variolæ, & morbilli non certũ arguunt cõtagionem.

Morbi ex cõtagio orti q. sint.

Qua-

Ridicula Medicorũ quorundam opinio de variolis.

Quare non possum à risu contineri, dum animaduerto eos Medicos, qui in vna aliqua tempestate, & regione videntes eiusmodi morbos in pueros vndique populariter grassari, arbitrantur eos ex contagio per distantiam propagari: si verum est enim, vt verissimum, quòd venena, quæ longius vim suam diffundunt, sunt sæuiora, & quæ propius, leuiora; sequetur illud, quod effluit è variolis, aut morbillis, esse nedum virulento pestis myasmate truculentius, sed Basilisci venenosissimo halitu pernitiosius, quod quidem Naturales volunt suâ vehementissimâ qualitate veneficâ eminus interficere: & tamen clarè conspicimus variolas morbillis multo sæuiores non quouis tempore, neq; omnes, imò nullos illis propius accedentes afficere, ac interimere, sed solum quando suppurantur, non nisi immediato contactu, ac diutina, frequentique adhærentia posse nonnullos inficere: nec aliam intulisse affectionem obseruatum est, præter quam vlcuscula quædam, vel pustulas vlceratis variolis similes, quæ nutricis, aut matris genis, aut alijs partibus diù variolis insidentibus per contactum impactæ sunt.

Variolæ quãdo & quos p̃ contagiũ afficiat.

Absurdum est enim dicere, & arbitrari vnum puerum variolis laborantem alteri puero p̃ contactum ad distans variolas communicare, cum enim pueri maiori ex parte sint in cullis detenti, fascijsque colligati, & præsertim dum huiusmodi affectionibus detinentur, impossibilè est, vt alios pueros ab eis procul distantes ijsdem morbis per contactum inficiant; non quidem per contactum immediatum, quia inter eos dictis rationibus non datur commercium: neq; etiam ad distans quia præter hoc, quòd illorum vapor esset vt diximus, vehementior, ac venenosior eo, qui ex peste laborantium corporibus effluit; nullus etiam puer esset, qui subitam non contraheret affectionem; & sic omnes pueri eodemmet tempore confertim inficerentur, quę ambo tum rationi, tum obseruationi sunt maximè dissentanea.

Cur pueri nequeant alterutris variolis corripi.

Porrò quod ex contagio non oriantur hi morbi, ex eo patet, quòd eadem tempestate plurimæ oues passim variolis labora-

borarunt; & tamen cum nulla sit inter puerum, & pecudem analogia, atque naturarum conuenientia, impossibile planè est posse vtrisque inuicem cognata μιάσματα, ac eandem infectionem communicari.

An huiusmodi morbosa constitutio ex cibo, potuq; sit generata?

CAPVT XXX.

INter cõmunes autem morborum epidemiorum causas exteriores magnam partem conferre solet cibus, & potus: quia cùm in vna, eademque regione, ac sub eodem Cęlo, quęcunque ex terris, aut aquis collecta, & in nostrum cessa nutrimentum similis ferè naturę sint, & conditionis, non mirum est, si ob dictorum alimentorum, ac potuum persimile vitiũ homines consimili morborum genere, ac eodem loco, & tempore populariter afficiantur.

Cur cibus, et potus magnã vim habebant in pducẽdis mor bis epidemicis.

Obiectio.

At si Hippocrates dixerit in lib de nat. hum. & de flat. Vbi complures vno morbo eadem tempestate vexantur, in id, quod maximè commune est; quoque omnes vtimur, potissimum reijciendam esse causam, idque esse quod inspirando attrahimus; nempè aerem, non autem vitæ rationem, nihil obstat, quoniam non vnus est similis morbus, sed plura sunt morborum genera, vt supra dicebamus, licet non sporades, sed epidemici, cùm eandem seruent in omnibus ferè modi rationem, & formam. Vbi notandum est dupliciter sumi posse tum aerem, tum victum: aer enim intelligi potest & vt causa immediata, & vt mediata: primo modo aer per se, ac immediatè producit morbum epidemicum, quando ita est alteratus, & corruptus, vt omnes homines indifferenter, ac ineuitabiliter immediatè coafficiat. Alio autem modo, hoc est mediatè producit morbum aliquem popularem, quando nõ per se, sed mediantibus cibis, & potibus, quos aeris intemperies, aut mala qualitas ingenerauit: vt quando ob præposteras anni tempestates, subsequitur alimentorum ægestas, ob quam cogun-

Satisfactio.

Quomodo Aer sit mor borum epidemiorum pductiuus. Hic ne dupliciter sumitur.

Præposteras anni tempestates sequitur

tur egestas; sicuti hanc epidemica constitutio.

coguntur homines vesci praui succi alimentis, sicuti temporibus Galeni accidit, qui lib. de boni, & mali succi cibis, quosdam epidemicos, & pestilentes morbos ex annonæ caritate fuisse productos: quod etiam confirmat primo de diff. feb. cap. 3. & 4. vbi ex victus prauitate corpora humoribus putredini paratis inquit esse subiecta, quod quidem aeris potissimum vitio contingere scribit pluribus alijs locis: vnde iure dicebat Hippocrates de flat. quòd tam earum febrium, quę omnibus communes sunt, quàm quæ ob priuatam victus rationem oriuntur, vnus author est aer. Ita victus alter est omnibus communis, quem fert commune Cælum, communisque anni tempestas: alter, quo quilibet suo peculiari modo ad libitum vtitur: primus quidem epidemicos, & pestilentiales morbos parere potest, qui ob peculiarē sui naturam, & peculiare vitium, vnam quandam particularem morborum constitutionem gignere valet: tametsi vnum morbi genus in vno, aliud in alio producatur, iuxta naturarum, alimētorum, & corporum diuersitatem: alter verò ob ejus naturæ varietatem, & vtendi modum, nunquam potest epidemicos morbos producere, sed tantum varios, atque sporadicos.

Victus dupliciter captus.

His ergo sic se abentibus, mea est sententia, quod huiusmodi morborum nunc vagantium constitutio ortū ducat cùm ab aere secundæ acceptionis; tum à victu primi significatus: ab aere dico, non quidem præsente tantum, cùm, vt paulò supra dicebamus, licet austrinus vt plurimum fuerit, non omnium tamen vagantium morborum productor extiterit, sed quorundam excitator, vt capitis grauitatum, dolorum, raucedinum, & catarrhorum, nec non etiam variolarum, atque morbillorum. Quatenus autem ipse aer omnium fuerit causa generatrix, non præsens fuit, sed trium, vel quatuor proximè præteritorum annorum: quia cùm omnes prædicti morbi fuerint ex humorum redundantia, atque fluxione generati, necessum fuit, vt prægressā habuerint causam humectantem, atque replentem; hanc autem non aliam quippe extitisse arbitror, quàm prædictorum annorū inæqualem, & præsertim humidiorem iusto aeris intemperiem, è qua ob alimentorum, quæ genuit, prauitatem, corpora dispo-

Autoris sētētia de modo quo aer, & cib° fuerint dictorū morborum causa.

nente,

nente, ceù verâ, & germanâ causâ productrice ficuti proximè præteritam constitutionem; ita vt nuper diuulgatos morbos emanasse non verear. Etenim morbi communis communem oportet esse causam; quæ causa per totam ferè Italiam vim suam exarauit, etsi non æquo pede, quia cùm non æquè esset vbique corporum dispositio, non omnes attingere potuit Ciuitates, Oppida, Pagos, sed eos locos immune fecit à peste, quibus non ad illum morbosi apparatus gradum erant disposita, quæ pestilentiam parere posset: tametsi tantã fuisse existimandum est, quanta saltem producendis huiusmodi popularibus morbis sufficeret & propterea cùm hi morbi causam habuerint antiquiorem, non mirum est, si nullum eorum attigerunt; qui iam pestem sunt experti; sed eos tantũ, qui tam vbi grassata, quàm vbi non grassata fuit pestis, nullam senserunt pestilentiam.

Quale hominum genus, & qua causa hisce vulgaribus & pestilentibus morbis correptum sit.

Hinc euenisse duco, vt quæcunque corpora ob intemperatam victus rationem, & præsertim ob ciborum, & potuum vitiosam qualitatem, & immodicam copiam habitum plusquam deceret humidiorem fuerunt contracta; propter quod vasis omnibus vitioso sanguine infarctis, vndique fieret humorum turgescentia; in quorum numero extiterunt homines Athletæ, Heluones, Asoti, desidemque, & sellulariam vitam agentes; nec non artifices illi liguritores, qui citra vllum corporis exercitium, quicquid lucrati sunt, gulâ consumpserint: horum plurimam partem ob eiusmodi morbosum apparatum haud difficile fuerit in pestifera tempestate exitialibus morbis esse correptam; quemadmodum his duobus nuper ellapsis annis, & hoc etiam anno 1633. in quibusdam Italiæ locis, & præsertim in nobillissima Ciuitate Florẽtiæ, vbi quadam veluti recidiuâ plurimi hac pleuripnenmonicâ affectione laborarunt, quam bubones, carbunculique, & peticulæ, & alia pernitiosa symptomata concomitarunt: quorum ægrotantium plurimi, siue morbi sæuitie, siue Medicorum incuria, vel imperitia è viuis decessere: quos quidem morbos pestilentes existimatos non ex contagio, sed ex vitioso victu emanasse confirmo.

Quod à vino possit Pleuripneumonia generari.

CAPVT XXXI.

PReter has antegressas causas, aliæ recentiores accesserunt, inter quas nedum alimentorum vitium, & vbertas, quæ post annonæ caritatem subsequi solet, sed etiam vinorum, & præsertim dulcium liberalior potus. Nam pleuritidem ex vinolentia potissimum generari scribit Aurelianus 2. acut. cap. 13. quòd multo antea docuerat Hippocrates in primo de morb. text. 123. dum dicebat pleuritidem, & pneumoniam ad hunc modum generari. Pleuritis quidem cùm cumulatæ, & validæ potiones admodum occuparint. Ex vino enim incalescit totum corpus, & humectatur: potissimum verò bilis, & pituita: & ex vinolentia potissimum oriri dicit pulmonis inflammationem in lib. de intern. affect. numero 7. Hinc eueni re puto, quòd qui vino se maximè abluunt, non modo præ ceteris pleuritide, aut peripneumonia corripiuntur, sed correpti ob vinolentam eorum naturam maximo meri potus desiderio vexantur.

Vini dulcis facultates et vires.

Vinum enim, & præsertim dulce ex Hippocratis aut Thessali eius filij sententia in 3. lib. de vict. rat. & in lib. de affect. cùm sit calidum, & humidum, & maximè spirituosum, vt testatur etiam Aristoteles in 13. probl. sec. 3. non parum reficit, & humectat: quod etiam confirmat Dioscorides lib. 5. cap. 7. dum inquit omne vinum naturâ calidum esse, vires ac motũ corpori parare, eo quod calefacit, & resumit, ac reficit: quoniam, vt Galenus inquit lib. 3. de temper. cap. 4. facilè vertitur in sanguinem: vnde Diocles, & Praxagoras apud Athenæum libro primo cap. 30. dicebant vinum dulce circa præcordia comorari, atque medullam nutrire: quare non mirum est, si Hippocrates scribat in 2. aphor, 21. vini potum soluere famem. Hinc apud sacras, & prophanas scripturas, vt vis eius nutritiua indicetur, vinum vocitari solet nunc terræ, nunc vitis, nunc senum sanguis. Ex quo fit, vt vinum ob eius spiri-

Vini iucunditas quorũ effectuũ sit occasio.

rituosam substantiam, delectabilemque naturam, qua nedum generi humano, sed iumentis, & arboribus quoque periucundum, ac perutile esse, canit Homerus in Illiade, ac testãtur alij penès Rhodiginũ lib. 16. c. 35. antiqu. lect. vt pleriq; homines meri haustus mira voluptate incontinentes facti, plusquam sitis, cibique dilutio ferat; liberaliori illius potu repleantur: vnde fit postea, vt frequenti illius vsu ob non leuem ipsius caliditatem viscera principalia, ac sanguis, & spiritus toto corpore incendantur, vt ex Panyate apud Athenęum lib. 2. sympos. cap. 1. hoc carmine constat.

Est cibus igni par vinum mortalibus ipsum.

Quod idem habet Cyreneus apud eundem hoc versu.

Vina viros ingressa tenent par robur, & ignis.

Illius autem humidiori substantia, qua mirum in modum humectat, & penetrabili, delectabilique facultate, qua occissimè à natura intra penitiores venas, & arterias rapitur, omnia dicta vasa replet, ac totum corpus infarcit. At quatenus dulce est, maturius quàm coctum sit, ab hepate, ac venis absorptum, in ijs ob eius crassitiem obstructiones committendo, magnum feruorem excitat, & humorem biliosum parit. Vnde Aristoteles in brobl. 17. sec. 3. dicebat vinũ dulce eo quod lene sit, atq; lentum, foramina obfarcire, ac intersepere: quod videtur significasse Rhodiginus in lib. 16. antiq. lect. cap. 37. dum ex sapientum Virorum sententia scribit, vinum dulce esse natura viscidum, vnde meatus offercire, præstipareque solet; & propterea non est vt miremur si huiusmodi vinum tam naturæ iucundũ, ac delectabile, cùm vlteriora, abditioraque vasa sub ingressum fuerit, par est intra pulmones substantia raros, ac spongiosos, infinitisque propemodum vasis interceptos, ac rerum dulcium humidarum, ac spirituosarum mirè perauidos, non exiguam vinosi sanguinis portionem attrahi, & excipi: In quibus tum obdictam eius visciditatem, & crassitiem, ipsorum vasa obstruuntur, & ita calor innatus inhibita eius euentatione, succẽditur, ac in ipsis pulmonibus succrescit inflammatio. Hinc fit, vt ijs hominibus calidior,

Vini dulcis incommoda.

& inflammationibus obnoxior insit pulmo, quibus teste Aristotele in lib. de respir. cap. 12. & 4. probl. sec. 27. ipse pulmo magis est sanguinolentus: & hac ratione illos, qui peripneumonia, vel spirandi difficultate, aut insania vexantur, peculiari meri potus desiderio ardescere, ipse docet in eodem problemate. Propter quod dicebat Hippocrates in 2. prædict. eos, qui inebriati fuerint, difficilius spirare. Non igitur ab ratione esse credendum est has pulmonarias, ac pleuriticas ægritudines ex vini dulcis liberaliori potu magna ex parte fuisse productas: quod quidem hoc anno cùm vina, vt plurimum sint perdulcia, ac ob id dissolutiori quantitate sint hausta, consentaneum est rationi plurimum sanguinis intra maiores venas fuisse accumulatum, qui tum copiâ, tum crassitie pulmonis, vel thoracis venas obstruendo, in causa fuit, vt inhibita caloris euentatione, in his partibus succendatur calor, & suscitetur inflammatio. Quo loco mihi subit mirari, & criminari Polibium, quin potius alium Authorem, qui in lib. 3. de morb. c. 3. & 6. in peripneumonia exhibeat vinum.

Cur pneumatici & pleuritici tã mira meri cupiditate vexẽtur.

Hîc appositè succurrit soluendum tale problema. Vnde fit quòd pleuritici, aut pneumonici maxima thorexia, hoc est meri potionis desiderio vexantur? An quod excellens qualitas suã contrariam auersatur, similem verò appetit, & ad se prollectat? Vinum enim vtpotè calidum, & spirituosum, affectibus, ac partibus naturâ percalidis, & spirituosis cùm peculiarem familiaritatẽ habeat, appetibile ijs euadit: quod videtur significare Arist. in sectione 27. probl. 4. dum dicebat eos, qui sanguinolentum habent pulmonem, calidum hunc modo vinolentorum genere, ita vt rei aduersæ suspitione refrigerari non quæant: & hac ratione hydrophobi vt sibi contrariam detestantur aquam, calida verò, atq; sicca consectantur. An autem quoniam in huiusmodi affectibus partium spiritalium, plurima spirituum vitalium copia dissipatur, quiquidem vino tanquam aerea, spirituosaque substantia mirificè prædito, summoperè refici, ac restaurari possunt? Cùm enim in ijs partibus maxima excitetur æstuatio, & subinde sæpè insignis putredo, illuc copiosa efficitur spirituum con-

confluentia, ac dissipatio: quapropter ij potissimum meri libidine detorquentur, qui frequentius, ac liberalius vini potu delectantur, vtpotè quòd in huiusmodi vinolentis, cùm vinosi potius, quàm venosi generis substantia redundet, totus sanguis non nisi vinolentiam redolet: vnde quadam sympathia, aut similitudine ijs mira insit vini cupiditatis ardescentia: frigidi autem, ac pituitosi, nec non vinorum abstemij nequaquam huiusmodi meracæ potionis desiderio diuexantur. Quare mihi quorundam recentium Virorum philosophia non placet; qui huius rei causam vel in abditam proprietatem referunt, veluti contingere dicunt pregnantibus, quæ carbones, & alias res alienas appetunt: vel ad sitim è siccitate, ac feruore partium pneumonicarum procedentem, quę quidem partes cùm magis sint absconditę; quàm vt quauis potione queant madefieri, ideò vinum, quod ad illas promptius pertingit, magis quàm vllum alium liquorem expetant omnes ferè pleuritici, atque pneumonici. Quouiam non omnes, qui huiusmodi morbis afficiuntur, meri haustum exoptant, sed præsertim illi, qui, vt dixi, vino sunt assuefacti: nec tantum in pleuritide, & pneumonia, sed etiam in febribus ardẽtibus, malignis, ac pestilentibus hoc contingere consueuit: quod non fieret, si hoc ex occulta proprietate oriretur. Neque ex faciliori vini penetratione; quoniam multa sunt, quæ non minus, quam vinũ penetrabilia sunt, vt aqua ardens, elixir vitæ, aquæ thericales, & omnes stillatitiæ extractiones, nec non aquæ minerales, & quædam alia quæ promptius, & velotius fortasse quàm vinum ad thoracicas, pneumonicasque partes perducuntur; & tamen non vt vinum experiuntur. Tum quia in ventriculi, vel hepatis, aut lienis, vel vteri inflammatione maius vini desiderium excitaretur, quàm in pleuræ, ac pulmonis inflammatione, cùm ad has partes ob vicinitatem citius, & velocius pertingat vinum. Nemo tamen me inficiari credat vinum vt spirituosum, ac tenuissimarum partium ob miram, quam habet cum natura humana sympathiam ad abditiores venas, ac spirituosos adytus ocyssimè penetrare.

Quibus magna insit meri potus ardescentia.

An intempestiui labores, ac insolita otia sint horum morborum productiua?

CAPVT XXXII.

Quomodo otium hyemale sit horũ morborũ causa.

EXercitia tandem intempestiua, ac importuni labores, sicuti insolitum, prolixumq; otium non parum conducunt ad excitandos huiusmodi morbos: etenim per totum hyemale tempus, nedum corpora laboribus assueta perlonga vtũtur quiete, sed, & copioso infarciuntur cibo, atq; potu, vt extat ꝑ aph. 15. sec. 1. ꝑpter ꝙ cùm eo tempore plus iusto tumidiora, & cruditatibus opleta, & obstructionibꝰ referta reddãtur corpora, necessum est, vt aduentante Vere, dum exercitijs, & laboribus se committunt, ipsi colliquescant humores, & huc illuc per corpus agitentur, qui in præcipuas partes irruendo, aut tenuissimas venas ingrediendo, in ijs corporis refrigeratione intercepti, in causa sint, vt inhibita caloris euentatione, ignescat ipse calor, & excitetur putredo, vel inflãmatio, vnde febres, & grauissimi alij suscitentur morbi. Et hoc non rarò contingere solet agriculis, & ijs qui inconfecto, crassoue sanguine sunt repleti, quibusue post laborem totum corpus incaluerit, & sanguis calore tenuatus, angustiores venas subintrauerit superueniente aeris frigiditate, aut post laborem corpore refrigerato, sanguis ipse in tenuioribus dictis venis concrescit, & subinde motu destitutus, in eo succenditur calor, ex quo tum suboritur inflammatio.

Exercitationis post cibũ incommoda.

Cæterum exercitatio post cibũ, vt docet Actuarius de act. & affec. spir. animal. cap. 11. aut alimentũ pręcipit, aut huius ipsius per corpus digestionem imperfectam reddit, aut calore adaucto, venę arterięq; ad extimã corporis superficiẽ impetu ante coctionis absolutæ tẽpus alimentũ arripiunt, crudiorũq; ita humorum in corpore copiam penitius colligunt; quę sanè omnia ingentiũ morborũ primordia sunt: & propterea cauit

Celsi cautũ.

Celsus lib. 1. cap. 2. nisi qui ex toto concoxerit, labori, exercitationi, negotioq; non credat, sed conquiescere debeat.

Quod

Quod ex repletione, & inanitione or. ri possit Pleuripneumonia.

CAPVT XXXIII.

HIs adiunguntur etiam inanitiones, & repletiones, quę si modum excesserint, vt ex Hippocrate constat in 2. aphor. 4. constituunt morbum; nam omne nimium naturæ sit inimicum, vt 2. aphor. 51. idem docet. Euacuatio enim non alia ratione potest Pleuripneumoniã generare, nisi quando consuetæ vel vteri, vel hęmorrhoidum, vel narium, vel cauteriorum, & aliorum similium purgationes fuerint pręter rationem suppressæ: tunc enim illud superfluum, quod per aliquam dictarum partium à natura euacuari consueuerat, dũ ad maiora vasa resilijt, ac nobiliores partes petijt non nisi vehementes, ac pericolosos morbos producere solet: quod idẽ præstare potest à consuetis laboribus, & ab vxorijs mixtionibus abstinentia.

Euacuatio quomodo possit hos morbos parere.

Repletiones verò quando præsertim ad quandam immoderantiam accesserint, huiusmodi pectorales affectus vt plurimum parere consueuerunt. Cùm enim vasa, inquit Galenus in primo aphor. com. 3. cibis, ac potibus fuerint supra modũ repleta, periculũ est ne disrumpantur, aut calor natiuus strangulętur, aut extinguatur, sicuti & nonnulli Athletæ, qui ad immodicam venerunt repletionem eadem ex causa subita morte interierunt. Quomodo autem huiusmodi vasorum repletiones fiant, & dolores, ac morbos pariant, in 4. de morb. luculenter docet Hippocrates his verbis.

A repletione qua ratione gignantur hi morbi.

Cùm quis quid sanguineum biberit, aut comederit, id totũ quidem ad se corpus trahit. Trahit autem etiam cor ad se quod sanguineũ est; ex eoque venæ crassæ, iugulares dictæ, feruntur, in quas quod sanguineum est, confestim transmittitur, si copiosius accesserit, illæque impletæ, capiti, & corpori celeriter distribuunt, & sic ipsæ extolluntur, & facies rubet: cordi autem, & corpori vbi ex cibis, ac potibus plus æquo sufficiens sanguis accesserit, reliquoque humori immixtus fuerit,

nisi

nisi per ventrem, aut vesicam expurgabitur, corpori dolorem exhibet, & morbosus efficitur. Et hac ratione ob immodicam repletionem frequentes, ac maiores fieri respirationes, maioresque pulsus, docet Galenus in lib. de vs. puls. cap. primo. Sicuti videmus in corporibus obæsis, quibus ob vasorum spiritalium plenitudinem aut oppressionem, crebrior, ac difficilior fit respiratio: immo, vt ipse Galenus testatur in lib. aduers. Erasistrateos cap. 5. ex vasorum plenitudine facilè fiunt inflammationes, ex quibus oriuntur febres: hinc pleuritides, ac peripneumonias illos præsertim inuadere docet Hippocrates lib. de dieb. iudic. numero 8. qui corpore, & natura humidiores sunt, ac ætate consistentibus magis accidere inquit 3. aphor. 30. eo quia, vt ait Galenus, à repletionibus, & alijs sex non naturalibus rebus illi magis offenduntur, quàm iuuenes.

Quos præsertim inuadat pleuritis aut peripneumonia.

Quomodo somnus, & vigilia sit Pleuripneumoniæ causa.

CAPVT XXXIV.

NOn parum quoque hisce affectibus progignundis somni, atque vigiliæ abusus contulisse credendum est: etenim cùm Pleuripneumonia potissimum fiat à vitiosi sanguinis abundantia, atq; fluxione, à somno potius, cuius proprium est humectare, quàm à vigilia, quæ exciccandi vim habet, producetur.

Verùm quia non omnibus constat quomodo somnus humectet, & vigilia exsiccet, id declaro. Nam cùm duplex sit pènes Medicos humiditas, altera scilicet vtilis, quam substantificam vocant; altera inutilis, excrementitiam dicunt: ita dupliciter somnum dicemus humectare; dum scilicet per illum plus iusto productum plurima generari volunt in toto corpore excrementa: dum autem ipse moderatus sit, & ad decentem ciborum coctionem traducatur, in causa est, vt totum corpus substantifico nectare irroretur.

Somnus quomodo humectet, vigilia autem exsiccet.

Eadem ratione dicunt vigiliam iuxtà duplicem dictarũ duarum humiditatum priuationem dupliciter exsiccare; quatenus

vide-

videlicet homo per vigiliam, nullam ferè ciborum coctionem efficiens, non modò non gignuntur excrementa, sed minus gignitur humiditas substantialis: & his duobus modis dicitur vigilia desiccare. Hæc opinio licet vt verissima, ac perpetua ab omnibus sit recepta, non omni tamen ex parte mihi probatur, quia non secundum superfluam humiditatem propriè, ac per se somnus humectat, vt omnes arbitrantur; cùm somnus tripliciter cõsiderari possit, aut nimirum vt perfectus, hoc est ad absolutam coctionem traductus, vel vt iminutus, vel vt minimus, vel nullus: primo modo sumptus verè corpus humectat substantifica scilicet humiditate: excremẽtitia verò potius exsiccat: & hoc est, quod Hippocrates nobis insinuat 6. epid. com. 5. t. 32. inquiens, superevacuatum à somno multo exsiccari. Vigilia autem è conuersò secundum vtilem humiditatem exsiccat; secundum inutilem humectat. Secundo autem modò consideratus è contra operatur: nam cùm inchoatus sit somnus, nec sinatur coctionem absolui, ita vt ex prima, & secunda coctione plurima quidem materies inconfecta præparetur in venis, sed nulla penè efficiatur nutritio: adeo quòd multum sit quòd superfluit; exiguum autem quòd pro nutrimento corpori apponitur; cuius rei inditium est, quòd qui ante perfectam alimenti coctionem à somno expergefactus est, non modò secundum vires nõ restauratur, sed cùm spiritus, ac substantia eorum non reficiatur, potius toto corpore confractus, atque defessus apparet, & sic vigilia substantificè exsiccabit; excrementitiè verò madefaciet: & hoc modo verificabitur vulgata propositio, quòd nimirum somnus humectet, vigilia exsiccet; hæc quidem substantificè, ille verò excrementitiè. At tertio modo desumptus somnus, cùm nullus, aut exiguus fiat, exigua fit coctio, & pauca sanguinis elaboratio, nullaque penè spirituum, ac humidi substantifici refectio, sed potius dissipatio; & hoc modo tàm somnus, quàm vigilia parum excrementitiè humectabit, & multum substantificè exsiccabit.

Opinio communis de sõno & vigilia

Autori cur nõ probetur.

Somnus tripliciter cõsideratur.

Primo modo sumptus.

Secũdo modo.

Tertio modo

His ergo sic se habentibus haud rectè facere mihi videntur illi Medici, qui in catarrho, in asthmatibus, & in alijs humidis morbis somnum prolixum ceu nimis humectantem, & excrementa

Medici quid minus rectè faciant.

multiplicatem prohibent, quia cùm ex huiusmodi somno digerantur excrementa, tantum abest, vt his corpus humectet, vt potius omni superflua humiditate exsiccet. Sed huius cõmunis abusus causam in hoc referendam esse arbitror, quòd nimirum maior pars hominum, cùm nunquam exactè somnum ad absolutas coctiones producere consuescat, hinc euenit, quòd somnus, etsi productus sit, cùm tamen per eum vltima non absoluatur coctio, ex hoc plurimum excrementi superfluit; & ob id non mirum est, si afferant somnum excremẽtitia ratione etiam humectare, & consequenter eum in humidis morbis quàm maximè prohiberi mandent.

Somnus cur à Medicis prohibetur.

Restat igitur vt concludamus inter præcipuas Pleuripneumoniæ causas exteriores somnum inperfectum non parum contulisse; quia cùm per ipsum multum sanguinis inconfecti generetur, ac eo plurimum repleantur vasa; vsque adeò accumulatur in caua, & in cæteris pectoris, & pulmonum venis, vt ex ijs in pulmonem ipsum effusus, in causa sit, vt tenuiores ipsius venæ sanguinis copiâ, & crassitie obstruantur, & ita fiat caloris innati transpirationis inhibitio, & consequenter inflammatio.

Cur somnus inperfectus potissima sit Pleuripneumoniæ causa.

Hinc euenit vt sub hyemis fine, aut ineunte Vere rustici præsertim pleuritide, vel peripneumonia corripiantur, quia tunc temporis maximâ sanguinis copiâ venę maiores turgescunt, qui ob copiosum scilicet cibum, & ob prolixum, non tamen perfectum somnum in hyeme abundè cõgeritur. Proptereaquod Celsus haud ignarus quanta ex mutilo somno cõsequantur incommoda, iubet, vt qui benè concoxit, mane tutò surgat, qui autem malè, quiescere debeat: at si huic contigerit ante coctionem surgere, consulit eum post illius actiones, iterum ad quiescendum reuertere; quod fortasse ab Hippocrate in 3. prognost. persuasum est, vt ad tertiam vsq; diei horam somnus traducatur: quod monitum Cardanus in com. eiusdem inquit à suo Patre sibi esse consignatum; & ob id fassus est ex eo plurimum pro eius salubritate emolumentum percepisse.

Cur Rustici ineũte Vere pleuritide ac peripneumonia corripiãtur.

Celsi monitum de præcauendo mutili somno.

Hipp. & cardani Patris saluberimũ consilium de somno.

An,

An, & quomodo Animi affectus valeant producere Pleuripneumoniam?

CAPVT XXXV.

SVperest vt videamus an, & qua ratione Animæ pathemata concurrant ad huiusmodi Pleuripneumonicæ passionis productionem? Cùm enim in superioribus demõstratum sit hanc ægritudinem vt pluries generari à sanguinis vitiosi, aut redundantis fluxione in pulmonem, & latus ingruente, duobus maximè modis cognosco animi affectus posse ipsum morbum parere: vno quatenus scilicet per eos, dum calor innatus angit, & languet, omnes functiones naturales haud leuiter labefactantur: quo fit, vt vitiatis coctionibus, plurimo sanguine vitioso, & crudescente repleātur vasa, & nõ mediocris illius portio, & excrementosa materies confluat in pulmones, & in ipsam succingentem membranam. Alio modò quatenus per graues curas, & tristes animi passiones naturali calore ad suum principium contracto, illuc, & sanguis, & cæteri humores confluunt: vbi enim calor, & spiritus magis aggeratur, & viget, ibi omnis humorosa substantia congeritur: quare non mirum est si pulmo naturâ spongiosus, atque laxus, & vt inquit Aretheus de cur. acut. lib. 1. cap. 10. rarus, calidus, ad trahendumque valentissimus, humiditate repleatur, à qua nedum ipsius visceris inflammationes oriuntur, sed etiam spirandi difficultates, & asthmata, atque tusses, & frequentes expuitiones: ex quo perplures, qui eiusmodi affectibus animi sunt obnoxij, vt plurimum sunt suspiriosi, anxiosi, asthmatici, phthisici, & catarrhosi; & non rarò pulmonis inflãmationib⁹ corripiuntur: immo ob continentẽ caloris contractionem aliquando in febriculas quasdam longas, & perpetuas, vel hecticas incurrunt: ex mœrore enim febriculam factam esse scribit Hippocrates in 3. de morb. vulg. nam angores, & pauores, & omnes id genus affectus in corde consistere docet. Idem in 5 epid. com. 1. text. 10.

Coctionibus vitiatis quæ incommoda subsequãtur.

Assidua caloris contractio quas pariat ægritudines.

Putredo vnde & quomodo fiat.

His accedit morbi terror, & formidulosa mortis imaginatio, à quibus Medici ferè omnes volunt vsque adeò spiritus, ac humores perturbari, viresque languescere, vt ipsi humores suo calido proprio penè destituti facilè corripiãtur à putredine, externo scilicet calido subrepente, ex quo febres, & viscerum inflãmationes emeregunt.

Quæ sit morbi huius magnitudo?

CAPVT XXXVI.

Ad morborum præcognitionem, & prædictionem quę dignoscenda.

VT Medicus morborum euentus rectè præcognoscat, & prædicet, vtq; præsidiorum quantitatem apprimè illis admoueat, opere prętium est eum nedum eorum essentiam, & causas adamussim callere, sed maximè eorundem quantitatem, & magnitudinem exactè dignoscere.

Morbus triplici nomine dicitur magnus.

Postquam igitur in superioribus explorauimus morbi huius ideam, atque causas, nunc videndum restat quanta sit eiusdem magnitudo. Cùm enim triplici præsertim nomine teste Gal. in 4. meth. cap. 6. quispiam morbus dicatur magnus, aut scilicet ob afflictæ partis dignitatem, aut ob affectus magnitudinem, aut ob eius cacoethiam; modo hîc pleuripneumonicus morbus his trib^9 conditionibus erit magnus, primo quidem ratione partis affectę præstantiam: quoniam in hac pulmo potissimum vitæ viscus afficitur: qui, teste Vegetio lib. 3. de mulomed. cap. 45. vt integer affert vitæ substantiam, ita vitiatus periculum affert mortis. Deinde cor vitalis auræ fons in eius gremio tanquam in culcitra positum, fieri nequit, vt passionum illius non fiat consors: præter alia respirationis instrumenta, quæ ex contactu, & vicinia non parum copmatiuntur.

Pleuritis ac peripneumonia cur inter morbos magnos & acutos primum obtinẽt locũ

Nec solum enim secundum eius propriam essentiam hic morbus est magnus, hoc est pro vt in hoc insigniores partes maxima afficiuntur inflammatione; propter quod ab Hippocrate primo de rat. vict. acut. text. 1. & 8. & alijs locis, pleuritis, ac peripneumonia inter morbos acutos primo loco recensentur: verùm etiã quatenus hi vehemẽtia symptomata proferunt, & à magnis causis ex-

sis excitantur: quiue non nisi à magnis remedijs amouentur, & à quibusq; rebus noxijs, vel leuib⁹ pergrauantur: & tandem eò maior erit horum morborum magnitudo, quò maior in ijs omnib⁹ facta fuerit à statu naturali ad præternaturalem recessus.

Quod autem ex cacoethium morborum genere sit huiusmodi affectus, ex his maximè constare potest, quòd nimirum huius superuenientia symptomata non nisi quandam prauitatem præmonstrabant, qualia fuerunt oris, & faucium inflammationes, & vlcera; linguæ scabrities, & nigredo, in multis horum nulla ferè sitis, extimiora naturali calore prædita tactui se se offerebant; interiora autem vrebantur: vrinæ quidem laudabiles, & sanorum vrinis persimiles; at pulsus erant praui: in multis quoque aderant peticulæ, vermes, deliria, sopores, & per totum morbi incrementum, & per aliquam etiam vigoris partem vigiliæ, postea graui somno aduentante ægri obstupescebant, ac inania obloquebātur, & subinde surditas subsequebatur. Hinc præclarissimus noster Mercurialis lib. 1. suę pract. cap. 4. ex sententia Hippocratis dicebat peripneumoniam desinere in surditatem.

Cacoethia morbi ex quo deprehendatur.

Quanta igitur sit huius morbi magnitudo, non est vt pluribus in hac demonstranda imorer, cùm satis liqueat pleuritidem, ac peripneumoniam ob earum symptomatum vehementiam ab omnibus Medicis, vt dixi, peracutos, & magnos morbos haberi: propterea quod Hippocrates præcæteris morbis circa hæc duo plurimū exsudasse costat, ac inter cæteros eius labores, illos opulentissimos libros de ratione victus acutorum exarauit, quos in horum duorum tantum affectuū rectâ victitandi ratione tractādorum gratia diuulgauit. Porrò si horum affectuum vnus tantū sigillatim est magnus, & exitialis, quanto vehementior erit, cùm ambo simul coniungentur? Nam peripneumoniā pleuritidi sup-uenientē pernitiosam vocat Hipp. 11. aph. sec. 7. eo quod exposi-tore Galeno vni graui morbo altero ob partis nobilitatē grauiori superueniēte, naturę iam defatigatę noua sup-additur afflictio.

Hippoc. circa pleuritidē & pipneumoniam prę cipuus labor

Cæterū cùm huiusmodi morborū genera nec tēpori, nec ętati, nec aeris constitutioni cōgruere visi sint, grauiorē nobis suam pręseferebant magnitudinē: tēpori quidē nō respondebant, quia

Pleuripneumonici morbi gravi-ores facti sint

Ver, quod sui naturâ omnium temporum saluberrimum esse consueuit, vt docet Hippocrates 3. aphor. 9. eiusmodi peracutorum, læthaliũq; morborum fuit ferax. Neque aeris statui, quia tales morbi vernales teste eodem Hippocrate in 3. aphor. 5. sunt aquiloniæ, non autem austrinæ constitutionis soboles. Neq; etiam ętati, quia ex Hippocratis sententia in 3. aphor. 8. Vere, & prima æstate pueri optimè solent degere: at hac proximè præterita vernali tempestate, prçceteris laborarunt: quare iuxta Hippocratis aphoristicam doctrinã in 2. aphor. 34 non nisi arguenda erat eorum prauitas, & magnitudo: & ideo propter eorum vehementiam, & prauitatem, permulti è viuis decesserunt: quinimò ob illorum sęuitiem, & pernitiositatem in aliquibus locis, & Ciuitatibus postremò quandam pestilentiam constituerunt, vt præsertim in florẽtissima Hetruriæ Ciuitate, vt dixi, quam tamen ego non passim veram pestilentiam, sed epidemicam, vt superius dixi, quandam, & quasi pręgressę pestilentię reliquiarum sobolem extitisse puto.

Pueri quo tẽpore salubrius degunt.

Pleuripneumonici morbi vbi, & quando pestilentialiter sunt grassati.

Prognosis.

CAPVT XXXVII.

Cùm omnia, quæ seorsim de pleuritide, atque peripneumonia prænoscuntur, & prædicuntur, eadem liceat de Pleuripneumonia prænosci, ac pronũciari: quæcunque ergo ab Hippocrate, & alijs Medicinæ Parentibus de ipsis duobus morbis proferũtur, eadem fermè poterimus ad Pleuripneumoniam reuocare.

Cùm ergo huius morbi euentus, prout ex Hippocrate 2. prædict. & etiam ex Galeno 4. de præsag. expuls. colligitur, sit triplex, hoc est, vel ad salutem, vel ad mortem, vel ad alium morbum fit commutatio.

Morbi euentus triplex.

Verùm vt qualis futurus sit euentus, prædicere valeamus opere prætium est tum morbi, tum naturę vires ad inuicem conferre; nam pleuriticorum, & peripneumonicorum salus in

Ad benè prædicendũ de morbis quid requiratur.

vno virium robore expectanda, vt 3. prorrect. text. 4. testatur Galenus: immo nedum in infirmis viribus, sed etiam in validis mortiferam esse inquit lateris, & pulmonis inflammationem 10. met. cap. 5.

Vis naturæ ex quib⁹ deprehendatur

Naturæ vis ex naturalibus, vitalibus, & animalibus corporis functionibus dignosci potest. Vires enim naturales ex coctionum, & cruditatum inditijs, & ab excretis præsertim dignoscemus. Vitales ex pulsibus, atque respiratione. Animales autem ex sensibus, & principialibus animę facultatib⁹ nec non ex corporis, & eius partium motu arbitrario.

Coctiones & cruditates qd boni mali; portendant.

Coctiones enim inquit Hippocrates in primo epid. com. 2. text 45. iudicationem breui fore, & certam salubritatē portendunt: cruda autem, & incocta, quæq; in malos abscessus vertuntur, aut iudicationis cessationem, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem reuersiones significant.

Sputū ex coctionis & cruditatis signis primū obtinet locū.

Verùm inter omnia coctionis, vel cruditatis signa, quæ in hoc morbo spectari debet, primum locum obtinet illud, quod ex sputo desumitur: cùm enim in pleuritide, & pneumonia sputus maturè coctus, & excretu facilis apparuerit, celerem, ac tutam morbi solutionē futuram demonstrabit. E contra autem si crudus, & prauus, tardeque, & cum difficultate excernatur: quod Hippocrates monet in 12. aphor. sec. primæ. In pleuritide inquit, si sputum statim circa principium appareat, morbi breuitatem significat: si verò posterius, longitudinem.

Signum funestum in pleuritide & pneumonia.

In pleuritide enim, ac peripneumonia nihil, aut crudum expuere, mortiferum est, cùm id arguat vel humoris contumatiam, vel naturæ imbecillitatem, vt ex Galeno desumitur in 3. epid. com. 1. text. 4. in statu Pythionis. Sicuti eiusdem lib. 5. in casu Hippostenis Larissei.

Signum salutare.

Screatio autem flaua, nec multum sanguine permixta, salutaris est, & plurimū confert, ex Hippocrate 2. prog. text. 50.

Pessimum.

Si verò quod efferatur, spumosum est, ac biliosum, & aliquando cruentum, & floridum vehementer, pessimæ significatio-

cationis existit. Aetius tetr. 2. ser. 4. cap. 66.

Formidabile

In pulmonis inflammationibus siccis, qui pauca concocta educunt, metuendi sunt, Hippocrates coac. 416.

Praue.

Sputa rubra, vel flaua sincera, vel eruginea, palida, viridia, nigra, spumosa, & glutinosa, praua, ex 2. progn. text. 44. ad 48. coac. 390. & primo de rat. vict. acut. text. 37.

Cæterum vbi sputum dolorem, tussim, & difficilem respirationem non sedat, malum; si autem sic, bonum Hippocr. in coac.

Quo tempore fiat horũ morborum solutio, aut in aliã ægritudinẽ transmigratio.

Qui hac affectione laborant teste Hippocrate 5 aphor. 8. & 2 & 3. de morbis, nisi intra decimum quartum diem, aut vigesimum, secundum Aretæum, per sputum expurgentur, empyematici fiunt, aut secundũ Galenum, in aliam ægritudinem illabũtur.

Funestum.

In pulmonis inflammatione si circa initium vrinæ sunt crassæ, & coctæ, mox circa quartam diem attenuantur, funestum est, in coac. 415.

Soluentia morbum.

At si inflammatio in purulentiam vertatur, adueniente per vrinam, aut per aluum excretione, fit morbi solutio: ex Aetio tetr. 2. ser. 4. cap. 66.

Malum.

Pleuritide, ac peripneumonia detento diarrhęâ superueniẽte, malum. 6. aphor. 16. At hæc peior est, si circa finem, aut statum, mortalis verò si viribus iam confractis accesserit.

Suppurationẽ minantia.

Lateris, aut pulmonis dolores, qui neque per sputorum purgationes, neque fæcum alui deiectionem, neque venæ sectionẽ, aut medicamenta purgantia, nec ꝑ victus rationem sedantur, eos ad suppurationem tendere sciendum est. 2. progn. t. 51. & 52.

Sudores perniciosi.

Sudores circa ceruicem oborti, nisi vrinæ copiosæ & crassæ proruperint, & sputa percocta prodierint, pernitiosi. Hippoc. 2. acut. Dum autem ex toto corpore, & præsertim circa thoracem copiosi emanauerint, salutares, nisi mox citra rationem supprimantur: tunc enim sunt exitiosi.

Salutaria.

In his igitur, & omnibus, qui pulmonem affligunt morbis, bonum quidem est facilè morbum sustinere, dolore defungi, sputum promptè eijcere, facilè spirare, siti esse vacuum, reliquum corpus æqualiter incalescere, ac molle esse. Ad hæc somnos, sudores, vrinarum eductionem laudabiliter fieri: quibus contraria,

traria mala sunt. Quandocunq; ergo bona hæc omnia huic sputo aderunt, poterit secunda valetudo contingere. Quòd si quędam adfuerint, quædam non adfuerint, non vltra decimumquartum diem vita producetur. At verò si contraria signa accesserint, celerius mors continget. Hippocrates coac. 393.

Morbum soluentia.

Quibus lateris, vel pulmonis inflammatione laborantibus larga sanguinis è naribus, aut ex alijs partibus eruptio tempestiuè succedet, fiet morbi solutio. Aetius tetr. 2. ser 4. cap 66. Quod si Galenus in 3. de cris. cap. 3. videtur huic contradicere scribens læthargum, & peripneumoniam haud sanguinis effluxionem adamare; hoc de his morbis loquitur, qui ex pituita producuntur: at peripneumoniam ex sanguine præsertim gigni planum est ex Hippocratis sententia.

Exitiale.

Si autem inportunè, & maximè quarto, vel sexto, vel etiã vndecimo die stillatim morbi violẽtiã, & imbecillis naturę conatu effluxerit, non nisi ęgrotantis exitium cominatur. Hippocr.

Inditia ex facultate vitali.

Vitalis autem facultatis inditia sunt, quæ ex pulsu, & respiratione capiuntur, vt diximus: quare si pulsus fuerit debilis, & valde languidus, vel intermittens, cum insigni celeritate, & frequentia coniunctus, non nisi quid funestum portendit.

Funestum.

Pulsus letalis.

Si verò maximè durus sit, atque cum magna celeritate paucus, hoc pulsu nullum euasisse testatur Galenus 4. de presag. ex pulsf. cap. 5.

Respiratio permitiosa.

Parua, densa, velox respiratio in pleuritide, & peripneumonia permitiosa est. Galenus primo de diff. resp. c. 11.

Sublimis, hoc est summis narib⁹ facta respiratio in hisce morbis ex angustiori respirationis via, suffocationẽ portẽdit. Gal. 3. epid. ægrot. 7. ex Sabini sententia.

Inditia funesta.

Vnde erectum sedere ægrum cupere, atque decubitum odisse, vt in acutis morbis malum, sic pessimum in lateris, & pulmonis inflammatione, scribit Piso lib. 2. c. 8. ex Hippocrate in primo progn. com. 1. text. 20.

Inæqualis demum respiratio systematica à Græcis dicta in pleuritide, ac peripneumonia non expurgata contingens, suffocationem ostendit. Galenus primo de diff resp. cap. 17.

Signa ex animali facultate.

Quo ad animales potentias. Ex pulmonis inflãmatione phrenitis malum denuntiat. Hipp. 7. aphor. 12. Quod quidẽ propter vapores ad caput eleuatos fieri credit Galenus in cõmento, vel potius, vt ego arbitror, ob insignem pulmonis, & septi transuersi, illi contigui inflammationem cerebri membranis consensu communicatam.

Phrænitis in hoc morbo vnde fiat.

Vigiliæ lõgæ & sõni breues quando læthales.

Exitialia.

Si vigiliæ amplius aderunt, aut somni breues, stuporem, ac delirium inducentes: & imaginatione mẽtem vicissim perturbante, non sentiunt valde præsentia mala, mortale malum præseferunt. Imò dum extremitates refrigerantur, & liuidi vngues facti incuruantur, quarta, aut ad summum septima die hi moriuntur, Aetius tetr. 2. ser. 4. cap. 66.

Lateris dolor quando perniciosus.

Si lateris dolor ex sputis biliosis citra rationem euanuerit, ægri in delirium incidunt. 3. prorreth. text. 5. & hæc quatenus ad vires.

Inditia ex morbo.

Quæ autem ad morbum spectant, hæc prædici possunt. Peripneumonia enim ex Celsi in lib. 4. c. 7. sententia, morbꝰ est acutus, qui plus periculi, quàm doloris habet.

Peripneumonia in quibꝰ Pleuritide grauior sit.

Peripneumonia tanto pleuritide vehementior est, ac periculosior, quanto ipse pulmo costalibus partibꝰ viscus est pręstantius, & cordi proximius, & quanto continui solutionibus ægrius curatur.

Cõuersiones quę malæ.

Quibus ex angina in peripneumoniam fit conuersio, intra septem dies comoriuntur: sin hos effugerint, purulenti euadunt 5. aphor. 10.

Ex morbo laterali pulmonis inflammatio, mala est. 7. aph. 11. eo quòd malignorum morborũ more, vt Galenus inquit, ex humoris abundantia ab extimis partibus, ad intima, & ab ignobilibus ad nobiliora fit trãsitio. Huic nihil repugnat, ꝙ idemmet Hippocrates scribit in coac. 397. quòd nimirũ pulmonis inflammationes, quæ ex morbo laterali permutationem accipiunt, ijs, quę ab initio fiunt, securiores sint: quoniã cùm, vt Galenus inquit, plurimum differat vnum morbum iam finitum in alium transmutari, & alteri etiamnum perduranti superuenire, ait Hippocratem in aphor. intelligere de

Nota differentiam.

perip-

peripneumonia pleuritidi perseueranti superueniente: in coac. autem de ea, quæ pleuritidem iam cessantem, aut saltem plurimum diminutam subsequitur. Hæc enim humore iam in priori morbo consumpto, tam parum est, quod superest humoris, vt alterius morbi incremento, & durationi non sufficiat: & propterea hæc peripneumonia pleuritidem subsequens minus grauis est illâ, quæ oritur à principio: illa autem, quæ adhuc vigenti pleuritidi superadditur, multo grauior est, quoniã teste Aureliano 2. acut. cap. 15. vexatis prius viribus, & præsidijs ex parte prerogatis, in secundam ægri iam debilitati passionem fit transmigratio.

Peripneumonia quę grauior.

Contra verò à peripneumonia pleuritis, bonum, quia præter quàm quòd ex grauiori morbo ratione partis affectę in leniorem fit transmutatio, cùm etiam hæc consecutio raròcontingat, vt Galenus docet: in miti quidem inflammatione totus humor per sputum eijcitur: in grauiori autem antequam fieret humoris in latus translatio, suffocaretur æger.

Cur ex peripneumonia Pleuritis bonum.

Pleuritis, aut peripneumonia ex diaphragmatis inflãmatione alijs est deterior, teste Auicenna.

Pleurit. aut pipneu. quæ alijs deterior

In morbis pulmonis grauedines, & sternutamenta tum præcedere, tum verò succedere, malo est, Hippocrates in coac. 399. & 2. prognost. text. 46. Grauedines enim, & sternutamenta, nisi, vt Galenus inquit, his addatur destillatio, p.se pneumonicos non afficiunt: in hac tamen ægritudine mala sunt & , vt inditium, & vt causa: vt signum quatenus repleto, affectoque pulmone, consequitur per consensum capitis repletio, & grauedo; nec non etiam sternutatio: vt causa autem, quoniam sternutatio thoracem concutiendo, pulmonẽ lædit inflammatum.

Grauedines, & sternutamenta quæ mala.

Si abscessus penès aures erumpat, & ad suppurationem, maturitatemq; perueniat, aut si idem in inferiorib⁹ locis corporis enascatur, & in fistulam abeat, spes esse multa vitæ debet. Piso ex Hippocrate in coac. 395.

Abscessus ponè aures erumpẽs qd portendat.

Pulmonis erysipelas citissimè ferè, ac semp hominẽ tollit, è qua euadere poterit, si desertis interiorib⁹ foras efflorescat.

Pulmonis erysipelas, quando non sit lęthale.

Bonum quoque si cùm forti peripneumonia abscessus ad crura descenderit.

Pleuritide, & peripneumoniâ detento, diarrheâ superueniente, malum. 6. aph. 6. & 1. de morb. Cùm autem inflammatio in pus conuertatur, si per vrinam, aut per aluum fiat excretio, liberatur æger: Act. tet. 2. ser. 4. c. 66.

Densa, & exercitationi dedita corpora citius ex morbo laterali, & pulmonis inflammatione intereunt, quàm quę sine exercitatione degunt. Hippocrates in coac. 398.

Ita quæ calida, humidioraque sunt, & plurimo cibo, potuque vinoso se implent, hisce obnoxiantur morbis, & raro his correpti, euadunt, & præsertim illi, qui prauis humoribus scatent, ex Hippocrate, & Aureliano.

Qui pleuritidi ac pneumoniæ magis sint obnoxijs.

Lateris, ac pulmonis inflammatio omnibus senibus, & fęminis vtero gerentibus, atque etiam (addo) puerperibus, perniciosa est, & læthifera, cùm in his, ob virium imbecilitatem, & caloris naturalis inopiam materia non concoquatur.

Peripneumonia potissimum iuuenibus periculosa, ac ętate florentibus: atamen proditum est pueros, & senes indè celerius interire; eò quòd infirma habeant latera, fuliginum vim maiorem, meatuum angustiam, & materiam crassiorem. Piso lib. 2 cap. 8.

Hyeme, & Vere q morbi fiant.

Hyeme præsertim, ac ineunte Vere, morbi fiunt laterales, & peripneumoniæ, grauedines, destillationes, & cęteræ id genus ægritudines, quas recenscet Hippocrates in 3. aphor. 23.

Hi morbi quomodo celerius et tardius interimant.

Hi affectus, cùm legitimi sunt, breuissimè septem, aut nouem dieb⁹, longiusculè quatuordecim, longissimè verò octogesimo, vel vigesimo iudicantur. At si hunc excesserint, non moriũtur, sed tussiunt, pus expuunt, & pectus ijs dolet. Hipp. 2. & 3. de morb.

Præterea peripneumonia apud Galenum 2. prognost. periculosior est, quàm pleuritis, ita vt ex illa pauciores euadant: quare cùm ipsa læthalis sit, pleuritide citius interimit: tametsi quæ salutaris est, longiore æget tempore, quàm pleuritis, ad hoc scilicet, vt æger integrè iudicetur.

De quibus infaustè prædicendum.

De ijs igitur malè prædicendum, quibus vltra septimum diem tussis sicca, & inanis etiamnum perdurat, nec quidquam discu-

discutere, & expuere possunt; & si quid expuunt, id, vel maximè crudum, vel spumosum, & praui coloris est, vt sincere flauum, aut æruginеum, aut pallidum, aut viride, aut nigrum: pessimum autem, si nec tussire, nec quidquam excernere, nec vllo latere posse iacere, nec nisi sedendo respirare valeat: & quibus maximè ex ore Mephitis expiret. Quibus item facies est erysipelatoso colore suffusa: & quibus dolor citra rationem, ac aliorum symptomatum remissionem, citò euanuerit. Et peius adhuc, qui in maximo symptomatum feruore nec dolere, nec sitire, neque vllo modo se laborare persentiant. Funestum est etiam, si quibus corporibus perhumidis, & calidis copiosus sudor vel pluries eruptus, mox irrationabiliter supprimatur, nec amplius appareat. Prætereasi vigiliæ, ac deliria perseuerent: & si aluus tandem infirmis iam viribus plus quàm deceat exsoluatur: & horum plurimi non vltra septimum, aut nonum diem vitam traducunt: quidam ad vndecimum, & decimquartum; pauci autem ad vigesimum protrahuntur.

Salutem præmonstrãtia.

Contra autem salutare est materiam morbificam primis diebus, aut paulopost cum facilitate exceni, & expui, liberè respirare, in vtrunq; latus sine molestia decumbere: sufficienter dormire, sudoremque, aut lotium copiosum conuenienter effundere, & cætera symptomata insigniter alleuiari. Qui hoc modo se se habent, vt plurimum septimo, vel vndecimo, vel decimo quarto die liberantur. Verùm ad hæc ioci, risusque gratia subiungo salutaria Mnesithei Atheniẽsis inditia, qui referente Plutarcho in naturalibus causis 26. iudicabat eos in peripneumonia euasuros, qui à principio cæpas appetunt, eos verò interituros, qui ficus.

Mnesithei inditia.

Salutariũ inditiorũ compendium.

At omnia, quæ tum salutem, tum mortẽ compromittunt, ferè compendio resumuntur ab Hippocrate in secundo progn. textu 56. his verbis. At in bonis quidem signis hæc numerantur: facilè morbum sustinere, bene spirare, dolore leuari, sputum sine difficultate reijcere, corpus æqualiter calidum, & molle videri, fine siti esse, vrinas etiã, & alui excrementa condecenter excernere, & som-

somnos,& sudores, velut descriptum est, singula superuenire, bona existimanda sunt. His enim omnibus sic contingentibus haudquaquam æger morietur.

Signa funesta.

Contra verò morbum ægrè sustinere, spirationem magnā, & densam esse, dolorem minime sedari, sputum ægrè reijcere, vehementi siti cruciari, corpus à febre inæqualiter detineri, aluum quidem, & latera vehementer calere, fronte, manib⁹, & pedibus frigidis; vrinas verò, & alui excrementa, & somnos, & sudores, vnà quæque qualia descripta sunt, mala esse nosce conuenit. Si quid enim ex his sputo superuenerit, moritur æger prius quàm ad decimum quartum diem perueniat, aut nono, aut vndecimo die. Sic igitur conijcere oportet quod cùm sputum istud valde lætale sit, neque etiam ad decimum quartum diem perducit. Ex his verò tum malorum, tum bonorū subductā ratione, prędictiones facere oportet. Sic enim quis potissimum verum assequetur. Hippocrates ibidem.

Notatu dignum.

Hoc autem ex Galeno illud vnum maximè notatum volo, quòd nimirum, si cui conualescendum est, omnia bona inditia adsint, necesse est: si autem moriendum, vel vnum adsit malum sufficiet.

Pleuripneumoniæ peculiare.

Hoc quoq; tandem animaduertendum est. Pleuripneumoniam hoc peculiaris habere, quod scilicet rarò ad suppurationem deuenit, nec semper per sputum soluitur, sed aliquando per sudorem, aut per sanguinis copiosam euacuationem: neque tam cito, tamq; facilè desinit, sicut pleuritis, ac peripneumonia, cùm vltra decimum quartum, & vigesimum diem sępè producatur, & præsertim quando ex pituitoso, viscidoque humore generatur, veluti illa, quam describit Aetius.

VIN-

VINCENTII BARONII

DE PLEVRIPNEVMONIA LIBER SECVNDVS

Indicationes curatiuæ.

CAPVT I.

CVM in superioribus exploratum sit Pleuripneumoniam esse pulmonis, & laterum inflammationem, quæ ex vitiosi humoris affluxione, & infixione generatur ac fouetur, planè cõstat Indicationem esse, vt influxus humor digerentib⁹ discutiatur: inpactus abstergentibus, & incidentibus, detergatur; affluens retrahentibus reuellatur, & deriuetur, nec non intercipientibus, ac repellentibus inhibeatur; fluxurus tandem euacuantibus detrahatur. Ab hac igitur postrema indicatione Medicus curationẽ auspicando, debet hos scopos sibi prę oculis ponere; vt videlicet primò totum corpus ab humorum plenitudine, & superfluitate festinanter expiet, & simul sanguinis impetum frenet; deinde pulmonis, & cæteras pectoris cauitates ab humorum infarctu tum expectorantibus, tum digerentibus, & diaphoreticis expurget; & tandem viscerum, ac humorum vitium, ac intemperiem suis alterantibus corrigat, ac temperet; & postremò partes infirmas suo pristino robori restituat.

Pleuripneumonia quid sit.

Indicationes curatiuæ.

Verùm quoniam sicuti multiplex esse potest humoris peccantis vitium; idcircò etiam multiplici opus est curationis indica-

Dioclis sententia.

dicatione, vt appositè nos animaduertit Diocles Carystius in epist. ad Antigonum Regem cap. vltimo his verbis. Cæterum qui vitiosos humores accumulat, neutiquam vna sanitatis intentione curantur, eò quòd multiformes sint vitiosorum humorum speties. Quoniam in aliquibus humores sunt (vt sæpè in hoc morbo contingit) calidi, aliquibus frigidi, in alijs crassi, & viscidi, & in alijs tenues, & acuti; sicuti alia Pleuripneumonia humida, alia sicca: & propterea qui curæ præest, debet cuipiam humoris vitio suum appositum remedium adhibere, vt calido frigidum, frigido calidum, sicco humidum, & humido siccum; crasso tenuatiuum, viscido incisiuum, tenui & acuto incrassatiuum, & obtundens, & ita de singulis.

Medici curãtis munia

Curatio. Vtrum in hoc morbo conueniat venæ sectio?

CAPVT II.

Pleuripneumoniæ curatio similis est pleuritidis, & pneumoniç curationi

Qvod curationem spectat, cùm Pleuripneumoniæ perquè similis esse debeat, ac pleuritidis, & pneumoniæ curationis ratio, vt de peripneumonia testatur Rasis 9. ad. Almans. cap. 69. ex Hipp. 3. de morbis, & ex Heraclide apud Aurelian. in 2. acut. cap. 29. nullatenus dubitandum est, vtrum in hoc morbo conueniat sanguinis missio, cùm satis superq; liqueat in quapiam insigni viscerum inflammatione, nedum necessariam esse venæ sectionem, sed etiam ex Hippocratis mandato in primo aphor. 23. ad animi vsque deliquium faciendam: veruntamen nonnulli sunt, qui in dubium vertunt, an liceat in peripneumonia sanguinem mittere: cuius dubitationis ratio est, quòd Galenus 4. de caus. puls. c. 12. scribit peripneumonicorum pulsus esse languidos, quod est perinde, ac si dixerit vires eorum esse imbecillas; & propterea neutiquam conuenire sanguinis missionem.

Negatiuam partẽ tuẽtes

Præterea Galenus 4. de caus. puls. cap. 12. cum asserat peripneumoniam fieri ab humore crasso, & pituitoso, non videtur sãguinis missionem cõuenire, quoniam ipse docet in primo aph. 29. de sangu. miss. & 5. aduers. Erasistratum, in morbis, qui à pituita,

In qbus morbis non conueniat venæ sectio.

tuita,

cuita, & humore frigido producuntur, haud mittendum esse sanguinem.

Cæterum cùm sæpè contingat, vt peripneumonia generetur ex humore viscido, ac pituitoso, veluti illa, quam supra descripsimus ex Aetio tetr. 2. ser. 4. cap. 66. & cùm pleuritis, vt plurimum fiat ab humore bilioso, & potius in corpore cacochymo, quàm plethorico, nullo modo videtur in pleuripneumonia sanguinis missio conuenire. Quod quidem magis ex eo confirmatur, quòd multa sunt pleuritidum genera, in quibus Hippocrates 6. epid. com. 3. text. vltimo, & 2. de rat. vict. acut. text. 10. & 11. vetat sanguinem hauriri, sed huius loco iubet medicamẽtum purgans exhiberi: quales sunt pleuritides descendentes, hoc est non quæ ad humerum, vel ad clauiculam vergunt, sed quæ infra septum transuersum generantur; in quo loco persæpè cernimus pleuritidas procreari, etsi non legitimas.

Affirmatiuã sectantes

E contra idem Galenus lib. de sangu. miss. cap. 7. & 10. & contra Erasistratum c. 6. & inumeris alijs locis iubet in omni peripneumonia, & in omni pleuritide liberè venã secari, quod antè monuerat Hippocrates in 2. acut. text. 10. in primo 2. & 3. de morb. numero 25. 53 & 57. & in 4 acut. text. 19. & 21. quẽ secuti sunt omnes Veteres, & Recentiores.

Dubitationis diremptio.

Hæc dubitatio licet aliquibus negocium facere videatur, si recto tamen rationis intuitu perpendatur, non ita se res habebit: quandoquidem animaduertere oportet pulsum languidum non semper denotare virium languorem, sed sæpè facultatis vitalis, ac pulsatiuæ defectum, qui quidem defectus sæpissimè prouenit ex spirituum vitalium vel oppressione, & suffocatione, sicuti in syncope ex humorum copia solet euenire: vel ex eorundem retractione, aut aliorsum confluxione, quemadmodum fieri consueuit in insigni partium spiritalium, aut cerebri inflammatione: à qua vitales spiritus ità rapiuntur, ac retinentur, vt exhausto penè cordis sinistro fonte, minima pars eorum ad arterias diffundatur: quare non mirum est, si hac ratione in pulmonis inflammatione, ac in lethargo æquè reddatur pulsus languidus: qui tamen virium non semper arguit imbecillitatem, sed facultatis vi-

Vitalis facultatis defectus vnde.

talis impedimentum, vel diuersionem: & propterea peripneumonicorum, sicuti lethargicorum pulsus, ex ipsius Galeni sententia, est magnus simul, & languidus. Porrò in quo nã pulsus languidior reddetur, quàm vbi ex toto arteriarum pulsatio defecerit? Et tamen Hippocrates 4. acut. text. 23. non timuit in acutissimis morbis, quibus ob humorum multitudinem, obruto vitali spiritu, vox defecerit, ac omnino pulsus interceptus sit, insignem facere ex cubito sanguinis eductionem.

Cur pipneumonia ex pituitoso humore immunis non sit à vena sectione.

Et licet peripneumonia quandoque fiat ab humore crasso, viscido, & pituitoso, non ob id tamen hæc immunis fieri debet à phlebotomia, quoniam ex Hippocrate in primo aphor. 23. in 2. & 4. acut. & in alijs præcitatis locis, constat in pleuritide, ac peripneumonia, quæ sunt insignes inflammationes, quas continens, peracutaque febris concomitatur, perpetuò necessariam esse effatu dignam sanguinis euacuationem: nec tanta in his succi cruditas, & crassities esse potest, quæ omnino prohibeat venæ sectionem, teste Galeno in 13. de sangu. miss. Porrò Galenus non ne 5. meth. cap. 13. in illo Iuuene catarrhoso tussiente, & sanguinem reiectante ob organa spiritus refrigerata bis eadem die, & totidem vicibus postridie sanguinem duxit? Cæterum cùm à veritate abhorreat peripneumoniam absolutè captam fieri ab humore frigido, & pituitoso, cùm potius à calido, vt superius visum est, generetur, non minus quàm pleuritis ipsa debet sanguinis missione curari: nam pulmonis, & lateris inflammatio teste Galeno in 2. aphor. 19. ab humore calido constituitur: quod etiam apparet apud Hippocratem in 4. epid. circa finem.

Cur Pleuritis nulla immunis esse debeat à sanguinis missione?

At si pleuritis fiat à sanguine bilioso, & in corpore temperamenti biliosi, non ob id tamen arguendũ est ex bilioso tantum humore, & ex cacochymia generari, & propterea non debet hæc sanguinis missionem subterfugere.

Neque obstat quòd Hippocrates in 2. acut. text. 10. & 4. eiusdem text. 19. & alibi etiam statuat, vt, vbi lateris dolor infra septum transuersum affligit, neutiquam sanguis educatur, sed purgans pharmacum exhibeatur: quoniam id non prohi-

prohibet in omni alio pleuritidis genere ſanguinē duci. Tum quia Hippocrates in illis locis, vt notat Sennertus lib. 2. p. 2. c. 14. & Rondelet. lib. 2. cap. 15. non loquitur de pleuritide propriè dicta, ſed de dolore lateris in genere, qui non ſolum ab inflammatione pleuræ, ſed ab alijs etiam cauſis ortum habet: etiam dolor, inquiunt, qui ſub ſepto tranſuerſo eſt, non eſt in membrana coſtas ſuccingente, ſed in aliqua hypocondrica parte: & propterea alium volunt ab Hippocrate dolorem intelligi, qui ab affectu aliquo procedat in inferiore ventre eius partis, quæ cum inteſtinis conſenſum habeat: propter quod purgans medicamentum exhibeat. Non enim de flatulento aliquo hypocondriorum affectu ibi loqui Hippocratem credendum eſt, vt ipſe Sennertus arbitratur, quoniam in flatulentis vetat purgans medicamentum, idem in 4. acut. & alibi. Nulla igitur eſſe debet ratio, quę in curāda Pleuripneumonia ſanguinis miſſionem dehortetur, cùm in omni ferè pleuritidum, ac peripneumoniarum genere conueniat venæ ſectio. In quacunque enim thoracis parte ſit dolor, dummodo virium adſit permittentia, ſe ſemper venam ſecare prodit Braſauola in com. 2. de vict. rat. morb. acut. text. 21. ſecutus Tralliani doctrinam in lib. 2. cap. 1.

Lateris dolor à quibus oriatur.

Num à fomentis, num à ſanguinis miſſione, num autem à medicamento purgante inchoanda ſit curatio?

CAPVT III.

CVm itaque neceſſarium, ac tutiſſimū pleuritidis, ac pneumoniæ remedium ſit venæ ſectio, num modò ab hac, nū autem à fomentis, an à medicamento purgante auſpicanda ſit curatio, magna eſt inter Auctores diſſenſio: cuius cōtrouerſiæ author eſt Hippocrates, qui licet alias morborum acutorum, & præſertim inflammationum, ac dolorum inſignium potiſſimum remedium eſſe, pluries aſſeruerit, venæ ſectionem; tamen valde miror ipſum in omni ferè dolorum genere miti-

Venæ ſectio potiſſimum inſigniū inflāmationū, ac dolorum remedium.

gando prçceteris anteponere medicamenta resoluentia, & anodyna,siue dolorē sedantia: & propterea non mirū est si in 2. acut. text. 1. dicat lateris dolorem,siue per exordia,siuè postea incidat, fomētis calidis tentare dissoluere, absurdum quidem non esse.

Grçcorū sententia.

Fomentorū facultas.

Contra autem Galenus, & cæteri omnes Grçci in doloribus abolendis postmissis fotibus, vt qui potius ad partem affectam humorū fluxionem concitent, ac inflāmationē adaugeant, prçferunt venæ sectionem, aut medicamentum purgans: quibus toto postea perpurgato, illis ad digerendam materiam, doloremq; leniendum vtebantur. Quem medendi modum Arabes quoq; & Mauritani consectati sunt. Cùm etenim citra rationē, ac prå postere factū sit, fomentū, quod est remediū particulare, cuicūā parti peculiari adhiberi, haud rationi cōsonū videtur partis cuiusdā inflāmationē, quç à totius corporis plenitudine mediāte fluxione fouetur, velle fotib⁹ ab ingruenti materia liberari; ni prius totum euacuetur: & hac ratione Gal 4. meth. c. 4. in Timço Platonem imitatus, inuehens in Thessallū, cōsulit ꝓ curādo oculo, caput pri⁹ curari, & ante huius curationē toto corpori prius esse ꝓspiciēdū.

Fomentū remedium particolare, quando præpostere adhibetur.

Platonis ordo in curando oculo.

Hip. curatio

At Hipp. huic totum oppositum facere videtur in 6. aph. 31. vbi occulorū dolores, neq; prius capite, neq; toto corpore ꝑpurgato, primo vinū exhibet, deindè ni vino soluatur dolor, balneis, & fomentis soluere tētat, quòd si his non cedat, sanguinē mittit, & postremo medicamētū soluens. Qua medēdi viā experimēto potius, quàm ratione vti consueuisse Hipp. testatur Gal. in com.

Cōtrouersiæ decisio.

Pro hac dubitatione soluenda dicendum est plura esse lateris dolorum genera: nam aliqui sunt vehementes, & acuti, vt in vera pleuritide: aliqui mites, & tardi, quales sunt, qui spuriā pleuritidem consequuntur; Quod videtur ab Hippocrate significatū in coac. n. 3. vbi inquit, lateris dolorū alij sunt acuti, alij minimè: & horū alij sunt assidui, alij rari: in illis quidem Hipp. cùm animaduerteret doloris vehementiā haud vires posse subsistere, nō aliud auxilium prçexhiberi consulit, quàm venç sectionem, sicuti in pluribus locis apparet, vt prælertim in 4. acut. text. 21. & de morbis lib. 1. n. 25. lib. 2. n. 53. & lib. 3 n. 7. vbi in vehemētissimis viscerum principalium, & partiū supra septum transuer-

Venæ sectio quando aliis

sum

sum existentiũ doloribus venæ sectionem iubet esse præferẽdã. In his verò (siue sit vera pleuritis, siue non vera, nec quidem in plethorico corpore, sed cacochymo, nec supra septum transuersum sit, sed infra) cùm non ita dolorem & periculum vrgere cognoscat, vsu fomentorũ contentus, non curat in principio sanguinis missionem administrare, sperans fomentis solũ dolorem fere cessurũ. Non omnibus enim semper ac sine delectu in hoc morbo sanguinis missio conuenit. Quoniam, vt prẹclarè docet Hipp. 6. epid. com. 3. text. 30. & 31. interdũ horum (scilicet pleuriticorum) quibusdam opportunè sanguinem detrahere cõuenit; in alijs verò perinde atq; his, id non ęquè consentaneum. Nam in cruenta spuentib⁹, sanguinis detractionem prohibet anni tempus, lateris dolor, bilis. Vbi in summè æstiuis temporibus, & in biliosis neutiquam venæ sectionem conuenire inquit Gal. in cõ. Ita regiones non nullæ sunt, in quibus damnosa est venę sectio, quẽadmodum apud Aurelianũ testatur Asclepiades, qui 2. vol. celerum, vel acut. passionum pleuriticos phlebotomat prędicens primò locis vbi consistunt, vel commorantur, vtrum regio prę-sidium phlebotomiæ permittat adhiberi. Se enim vidisse testatur apud Athenas, atque Vrbem Romam phlebotomiâ vexatos, vel peius acceptos esse pleuriticos: in Pario verò atque Helesponto resumptos, ac releuatos. At quomodo lateris dolor in sputo sanguineo venæ sectionem prohibeat, ratio est, quia vt Gal. inquit, mitissimi sunt illi lateris morbi, in quibus cruenta sputa eijciuntur. Aut potius respondendum, vt ego arbitror, non quia tam mitis sit lateris dolor in hæmoptoicis, vt ꝑ illius curatione nihil opus sit venæ sectione, vt dicebat Galenus cùm omnis morbus, in quo sanguis qualiscunque sit, supra reijcitur, sit grauis, & periculosus teste Hippocrate in 4. aphor. 35. tum quia sputus sanguineus in laterali dolore contrariam, ac difficilem habet curationem, vt ipsemet Galenus fatetur in primo aphor. 16. sed quoniam vt ego existimo, cruentosæ materiæ reiectio, quæ tam desideratur in morbo laterali, à sanguinis missione supprimitur: & propterea cauit Hippocrates ne in cruenta expuitione cum pleuritide iuncta sanguis detrahatur.

Cum

remedius præferanda.

In hæmoptoicis quæ prohibent venæ sectionem.

Venæ sectio quibus incõuenit.

Cur lateris dolor in hæmoptoicis prohibeat venæ sectionẽ.

Lateris morbi q sint mitissimi.

Autoris responsio.

Venæ sectio cur non conueniat in hæmoptoicis.

Cur Hipp. in pleuritide ante phlebotomiam fotib⁹ vtatur?

Cùm igitur ipſe ſapientiſſimus Senex optimè noſceret haud tutum eſſe in omni pleuritidum genere in principio ſanguinẽ ducere, non mirum eſt ſi ante hoc generoſum remedium prius tentet fomentis ſupplere: nã ſciebat quoſdã eſſe lateris dolores, in quibus ſanguinis miſſio non paruam attulerit læſionem, vt videre eſt in coac. 491. Quod inde clarius innoteſcere poteſt, quòd ipſe Hippocrates animaduertens in pleuritico dolore propter doloris, ac inflammationis, & febris vehementiam, effatu dignam ſanguinis detractionem neceſſariò expoſtulari, ſi forte contingat, vt ſæpè contingere ſolet, vt ſub magnæ pleuritidis ſpetie, exigua, ac parui momẽti pleuritis ſubſit, propter quod incautus Medicus ſtatim, vbi parua, vel nullâ opus ſit ſanguinis miſſione, copioſiſſimam faciat detractionem, vtique non niſi maximum incurret ægrotantis vitæ diſcrimen. Quamobrem Heraclides Tarentinus apud Aurelianũ 2. acut cap. 24. ſanguinis abundantiam extimens in pleuritide, multa alia tentabat remedia priuſquam ad ſectionem venæ deueniret.

Cur in pleuritide effatu digna opus ſit ſanguinis miſſione.

Heraclidis Tarentini hæmophobia in pleuritide

Cur Hippoc. preponit fomenta?

Quare dicendum eſt in 2. de vict. rat. acut. text. primo Hippocratem primum præpoſuiſſe fomenta, vt ijs tentaret dolorem abſque ſanguinis miſſione, & purgante pharmaco mitigare: vnde à quibuſdam proditum eſt Hippocratem voluiſſe in hoc caſu tentatiuâ vti curatione: vt ex ſuiſmet verbis depræhendi poteſt, cùm ſcribat πηρηθῆναι διαλῦσαι. hoc eſt tentare diſſoluere. Quam medendi rationem ego arbitror ipſum vſurpaſſe in 3. epid. com. 3. text. 7. in Anaxionis pleuritico affectu, in quo, vt exploraret num dolor fotibus tantũ abſq; ſanguinis miſſione leuaretur, prius tentauit fomẽtis ipſis materiam doloris diſcutere: poſtmodum verò his ad ſeptimum vſque diem incaſſum adhibitis, in octauo ſtatuit ſanguinem detrahere: & hoc fecit non quidem, quòd, vt Galenus exiſtimat, in octaua illa die tantum acceſſerit, cùm conſtet ex ipſius hiſtoriꝗ verbis cum totum illud prægreſſum tempus vſque ad octauam in vſu fomentorum conſumpſiſſe; cùm dicat, quòd dolor fotibus non remittebatur: non igitur Hippocrates in prin-

Cur Hipp. in caſu Anaxionis in octauam vſque diem diſtulit venæ ſectionem.

principio eius morbi ſanguinem detraxit, quia non vocatus tunc fuerit, neque etiam, quia, ſi à primis diebus acceſſiſſet, non auſus eſſet ſanguinem mittere ob morbum in longum tẽpus abiturum, vt ſentit excellentiſſimus Mercurialis, quia, cùm febris acuta, aſſiduuſque labor ægrum grauiter detineret, in primis diebus omnes aderant miſſionis ſanguinis indicationes, ſicuti creſcentis iacturæ virium metus: ſed quia ob illius pleurididis leuitatem, vel obſcuritatẽ non illi opus eſſe viſum eſt in primis diebus præmittere ſanguinis miſſionem, ratus ſolo fomentorum vſu dolorem illum fore ſedaturum, at poſtquam per totam ſeptimam diem viderit, vt dixi, nihil horum vſu profeciſſe, coactus eſt in octaua tundere venam.

Quando Medicus vti debeat fomẽtis.

Præſtat igitur, vt Medicus ſi in pleuritidem leuem inciderit, quæ citra magnum humorum affluxum, à leuibus & exterioribus cauſis exorta, mitem videat afferre dolorem & febrem, ita vt cognoſcat ſolis fotibus fore exſoluendam, tunc temperatis fomentis à principio vti debeat. His enim diſcuſsâ materiâ, pars ab humorum infarctu liberatur, & ſic ipſa in ſuam continuitatem redacta, ſoluitur dolor: & propterea Galenus 13. meth. cap. 3. cum dolor, inquit, magnam ſuccorum fluxioni præbeat occaſionẽ, ipſum ſedari prius oportet.

Quo caſu poſtpoſitis fotibus præponẽda ſit venæ ſectio.

At ſi per duos, vel tres dies in vſu fomentorum perſtiterit, nec etiamnum dolor quidquam remiſſus fuerit, imò potius adauctus, ſignum eſt inſignem adeſſe plenitudinem; & ob id tunc ſepoſitis fotibus, debet ſectione venæ ipſam plenitudinem exhaurire: quoniam vbi aliqua adeſt plethora, fomenta quidem adhibita, dolorẽ quippe lenire non nihil ait Gal. 6. aphor. 31. ſed aliam fluxionem excitando, dolorem augere: nam in quibus corporibus, ipſe docet 6. epid. com. 2. text. 30. permulta humorum copia ſubeſt, ijs vtiles eſſe purgationes: priuſquam enim ita redundantem materiam, aut venę ſectione, aut purgatione, quis eduxerit ſeu fouens, hoc eſt calidis vtens, ipſam diſcutere conatur, plus attrahet, quàm per cutim euacuabit. Si autem dolor à fomẽtis in principio admotis mitigetur, inditium eſt nullam ſubeſſe plenitudinem, &

Inditium abſentiæ plenitudinis.

ipſum

ipsum morbum haud esse pleuritidem exquisitam, sed potius notham, & a leuibus causis generatam: quo casu debet audacter in eorum vsu tandiù persistere, donec ex toto dolor abolitus sit: hoc tamen animaduerto, vt ipsa fomenta non sint acria, & nimis calida, sed rebus temperatis, & mitibus præparata, qualia ab Hippocrate describuntur, vt aqua calida, milium, hordeum, eruum, & similia: & hæc aut molli panno, aut vesica obducta aptius, & leuius admoueantur lateri affecto.

Alia Questio Vtra venę sectio, an purgatio pmittẽda ẽ

Vtra autem præadhibenda sit venæ sectio, an purgatio, antiqua est questio, vt testatur Galenus primo de plac. Hipp. & Plat. c. 6. & non adhuc auctores conueniunt: nam Hippocrates in 2. acut tex. 10. vt paulò supra dicebamus, scriptis hæc reliquit. Si dolor ad iugulum de se significationem præbeat, ad brachium verò, vel circa mammam, vel supra septum transuersum grauitatis sensus insit, internam in cubiti flexu venam secare, & quàm citissimè copiosum sanguinem detrahere conuenit eò vsque, dum multo rubicundior, aut pro puro, & rubro liuidior effluat: vtrumq; enim vsu venit. Si verò eas, quę sunt sub septo transuerso, partes dolor affligat, nullamque ad iugulum de se significationem prebeat, aluum veratro nigro, aut peplio emollire oportet. Idem habetur in 4. acut. text. 75. vbi inquit. Quòd si sub thorace dolor valde vrgeat, lateris morbo affecto, aluum medicamento purgabis. Cæterum cùm pleuritis, & peripneumonia, vt plurimum fiant ab humore bilioso, & in corpore cacochymo, vt ex sputis, & alui deiectionibus planè conspicitur, priusquam in partem affectam irruat ipse humor, satius est, vt plerique consulunt, primis diebus illum medicamento purgare.

Nota

Quare id noscens Hippocrates in primis tribus diebus prius vtebatur clystere, dein quarto die medicamento purgante.

In omni pleuritide venā secari probatur ex Galeno.

E contra verò Galenus in cōmento 2. acut. text. 11. in omni pleuritide siue supra, siue infra dolorem habeat, statuit sub initio morbi venam secari. Hęc eius verba sunt. Vbi igitur, inquit, non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verùm & cum febre vehementissima, multo magis vitanda est medicamenti purgantis administratio: atque per sectionem venæ vacuandum

uadum magis, etiam si ad hypocondrium dolor finiatur. Nempè & si minus quidem auxilium, quàm per purgationem sequatur, securius tamen multò existit. Imò nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximũ subeunte, quod per purgationem tentatur; & potissimum si laborantis naturam expertus quis non fuerit. Tam igitur in ascendente, quàm in descendnte pleuritide multò satius est in principio vti phlebotomiâ, quàm medicamento purgante, cùm in morbis acutis raró, & per initia medicamentis purgantibus vtendum, idque diligenti prius adhibita circumspectione faciendum, monet Hippocrates 1. aphor. 24. Cui sententiæ assentiuntur Auicenn. Rases, Aetius, Paulus, Trallianus, Celsus, Arethæus, Aurelianus, Asclepiades, Heraclides, Soranus, & alij antiquiores Medici tum Græci, tum Arabes, tum Latini: immo ipsemet Hippocrates siue alius Author 4. acut. in text. 21. in lateris dolore etiam ad prçcordia vergente, consulit statim ab initio venam secari.

Tutior modus in curãda pleuritide obseruãdus.

Statuendum est igitur in omni lateris dolore, & viscerũ principalium inflammatione cum febre acuta tutiorem curandi modum esse primum sanguinem mittere, deinde purgans pharmacũ exhibere, sicuti & Galenus ipse docere videtur in 6. epid. com. primo text. 6. prope finem: cum hoc tamen, vt si aliqua in intestinis superfluitas inesse videatur, præstat ante venæ sectionem clystere ventrem abluere: sicuti fecit Heraclides apud Aurelianum citato loco, qui secunda die bis, & ter clystere vtebatur, & post paululum sanguinem misit. At Hippocrates 4. de vict. acut. text. 75. contra operatur, primo siquidem cædit venam, postea alui infusum ꝑ clysterem exhibet: sicuti etiam agit in 2. de morb. numero 16. At in 3. eiusdem numero 7. in pulmonis inflãmatione primum iubet infernum ventrem citissimè clystere soluendum; deinde perpurgandum, & tandem ex cubito, naso, & lingua, & ex omni corporis parte sanguinem detrahendũ. Sed re vera cùm hæc commentaria non sint Hippocratis genuina, parum illis fidendum duco. Et propterea hæc recta curationis ratio adhibenda est, vt videlicet inchoante huiusmodi mor-

bo acuto, primum si opus erit, clystere subinfuso, secetur vena, postmodum, si aliqua subsit cacochymia, catharticum propinetur. Quod si ob copiosam sanguinis eductionem, aut ob aliam causam vires sint imbecilles, monet Hippocrates in 4. acut. text. 20. loco medicamenti purgantis, clysterem adhiberi, & post hæc, vt pars inflammata ab humorum obsidione, & doloris cruciatu liberetur, adhibenda sint fomenta, & linimenta, & quæcunque materiam insensibiliter euacuant, & dolorem leniunt, seruatis scilicet modis, quos supra instituimus.

Dubitatio.

Sed hîc obiter satisfaciendum est emergenti cuidam dubitationi. Nam Hippocrates in 6. epid. com. 3. text. vltimo in latens phlegmone cum sputo sanguineo interdicere videtur sanguinis missionem; sed huius loco alijs congruentib⁹ remedijs vti oportere monet Galenus in com. eiusdem.

Sicuti etiam in bilioso, vt ibidem Hippocrates docet, & Auicenn. lib 3. Fen. 10. tract. 5. cap. 2. in sputo maximè bilioso prohibet venæ sectionem: quod etiam ratificat Aetius tetr. 2. ser. 4. cap. 68. & Trallianus lib. 6. cap primo.

Respontio. Pleuritis mitissima.

Ad primum Hippocratis respondet Galenus in eius comēt. ibi intelligere Hippocratem de miti admodum pleuritide; quoniam, inquit, mitissimam esse pleuritidem, in qua sputa eijciuntur cruentosa: in qua quidem decet postmissâ phlebotomiâ, fomenta, vel linctus sputum educentes, & similia adhibere remedia. At ego in quacunque pleuritide etiam leuissima multò consultius fore duxi circa principium sanguinē mittere, non dimissis postea alijs congruentibus remedijs.

Ad alias verò auctoritates respondeo, quòd, etsi ratione cacochymiæ, & bilis redundantiæ præmittenda sit purgatio, haud dimitttendam tamen esse consulo venę sectionem: quinimò, cùm humor, qui lateris inflammationem facit, sit sanguis siue biliosus, siue alteius naturę, is mihi videtur à principio minorandus, & reuellendus, ne ruat in partem dolore, ac inflammatione tentatam, præmisso videlicet clystere. Nā hoc perpetuò obseruandum est Hippocratis monitum, vt in-

Hippocratis monitū semper obseruandum.

choan-

choantibus morbis acutis, vt pleuritide, vel febre ardenti, à sanguinis detractione auspicetur curatio. Namque in morbis acutis raro, & in principijs medicinis purgantib⁹ vtendum esse iubet Hippocrates in primo aphor. 24. Quod videtur etiã à Galeno significari in 2. acut. com. 11. sub his verbis. Vbi igitur non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verùm etiam cum febre vehementissima, multo magis vitanda est purgantis medicamenti administratio: atque per sectionem venæ vacuandum magis, etiam si ad hypocondrium dolor pertingat.

Quare concludendum est in omni pleuritide perpetuò sanguinem esse detrahendum; cum hoc tamen, vt quando dolor supra septum sit, in pleuritide scilicet non miti, primò secetur vena, deindè, si opus fuerit, exhibeatur pharmacum purgans: atsi dolor ad hypochondria vergat, primò vti debet medicamento soluente, postmodum venę incisione: quam etiam tunc licebit dimittere, quando pleuritis sit debilis, & parui momenti, ita vt solis fotibus possit aptè curari.

In omni pleuritide qd perpetuò agẽdũ

Quæquidem omnia pro pleuritide constituta, eò tutius, & liberius sunt in peripneumonia obseruanda, quò hæc morbus est pleuritide vehementior, & quò magis à sanguine generatur. Quare promptius adhuc, & liberius immo liberalius eadem exequenda sunt in Pleuripneumonia, in qua tota vis pleuritidis, ac pneumoniæ sæpius abundè redundat.

Animaduersio.

An in Pleuripneumonia cum praua humorum qualitate, vel cum apparentibus peticulis conueniat venę sectio?

CAPVT IV.

Sed maior dubitatio est, num in huiusmodi pleuripneumonico morbo, dum prauæ qualitatis signa apparuerint, & præsertim quando peticulæ erumpant, liceat venam secare, an potius cucurbitulas admouere, an aliud remedium adhibere? Hęc dubitatio cùm à pluribus controuertatur, ex vtra-

Dubitatio à pluribus cõtrouersa.

que parte suis non caret fautoribus, ac rationum momentis. At ne nimiâ prolixitate, vltra meum institutum rem paruã plus iusto ampliorem reddam, ijs omnibus postmissis, quæ à multis afferuntur, rem totam in pauca contrahendo, sic statuo.

Medicorum mos in tractandis febribus & morbis pestilentibus ac malignis.

Tametsi plurimi excellentissimi Viri in omnibus febribus, & morbis pestilentibus, & malignis, quibus aut humorum sæua corruptio, aut insignis cruditas inesse consueuit, propter quod aut vires in præsenti non subsistunt, aut paulò post sint defecturę, longo experimentorũ vsu didicerunt, misso in his sanguine, plus detrimenti, quàm iuuamenti successisse, & sæpius mortem ipsam esse secutam: quare nullam prorsus in his tentandam esse venæ sectionem statuerunt; sed catharticis quibusdam humorum corruptorum superfluitatem expurgandam, & eorum prauitati alexipharmacis obsistendum, vel, si cruda sit materia, eius coctionem adiuuandam.

Cur morbis malignis sit multa adhibenda cautio

Attamen hoc non ita ratum, ac perpetuum haberi debet, vt in quibuscunque de praua qualitate suspicatur, in ijs omnibus indifferenter, ac tutò quælibet sanguinis missio prohibeatur; sed in his multa adhibenda cautio, & meditatio: quoniam sæpissimè contingit, vt in corporum pletheora effatu digna excitetur putredo, ex qua insignis prauitas exoriatur, quam non nisi copiosâ sanguinis detractione, aut prohiberi, aut corrigi posse certum est. Quinimò vix fieri potest, vt in quacunque febri putrida continenti, aut in quapiam viscerum inflammatione conspiciuntur prauæ qualitatis notæ, ibi non præsit aliquod in sanguine vitium: quoniam earum focus, & fomes non nisi in venis, & in sanguine residet; & ob id solâ venarum sectione ijs prospicere debemus: rarissimè autem comperi posse duco, vt circa morborum initia humores in corpore nostro ad tantam corruptionem sint perducti, vt omnino à sanguinis conditione degenerati, totam naturæ gratiam amiserint, & toto genere præternaturales euaserint: tales enim tunc fieri quidem arbitrarer, quando in corpore cacochymo, aut cacoethico, iam tota massa sanguinea sit corrupta, aut vbi iam desperata est putredo, ità vt non amplius ad bonitatem, & naturæ gratiam possit restitui:

Humorũ corruptio ĩ principio morbi vsque quo fieri nequeat

Humores quãdo ad absolutã putredinem possĩt perduci.

quod

quod quidem fieri nequit in principio morborum, vt dixi, sed quando iam progressa est affectio, & caloris febrilis actio: & tunc nemo potest vltra diem vnum, vel alterum viuere, vt obseruatum est in sæuissimis quibusdam morbis, & pestilentijs.

In quibus casibus Medicus tenetur sanguinē detrahere.

Multis enim nominibus tenetur Medicus in hisce morbis ac febribus etiam cum praua qualitate iunctis sanguinem mittere: nam adest morbi magnitudo, quia viget insignis inflammatio, & febris putrida continens: propter quæ indicatur remedium magnum cùm euacuans, & reuellens, tum refrigerans, quale est venæ sectio: vt etiam plenitudo minoretur, & natura graui onere subleuetur: vtque exempta plenitudine vasorum obstructiones, & infarctus adimantur, & sic putredo iam facta corrigatur, & fienda prohibeatur: vtque tandem natura quicquid noxij super est, promptius concoquat, & propellat: quæ quidem omnia vnico venæ sectionis præsidio mirè præstantur.

Cur cacochymia corruptio, & cruditas nequeant venæ sectionē prohibere

Neque hoc tantum præsidij genus interdicere valet cacochymica plenitudo, aut humorum corruptio, vel cruditas; quia, vt diximus, tanta esse non potest in primis diebus ipsa corruptio, vel cruditas, quæ omnino prohibeat venæ sectionem: tum quia, si in omni febre pestilenti quæcunque corpora repleta, vt superfluitatibus emundentur, suadet Galenus in primo de diff. feb. capitulo quarto sanguinem per sectam venam exhauriri, ab huiusmodi repletione non excluditur cacochymia; tum etiam quia ibidem Galenus supponit ex victus prauitate corpora fuisse putredini parata: tum denique etiam quia cùm non minus, imò magis sanguis vitiosus in cacochymia, quàm probus in plethora aptus sit non modo parere obstructiones, & putredines, sed & petere, & insigniter lædere partes principes, ipse non potest à solo purgante pharmaco è venis exhauriri, & à longissimis partibus reuelli; sed opus habet formali sanguinis missione. Neque obstat, quòd vna cum sanguine impuro, & vitioso simul quoque educatur & probus, quia multò maius emolumentum sequitur ex eductione sanguinis praui, quàm nocumentum ex ablatione boni, exemptâ nimirum,

Sāguis aptior ad procreandos morbos.

quæ

nitudine, & obstructionibus diremptis. Porrò non ne liquet Hippocratem in morbis epidemicis, & exitialibus secuisse venam, vt Critoni, Caluo Larissæo, Mulieri ad Tisamenũ, & plerisque alijs; & quibus copiosa etiam à natura per nares facta sit sanguinis eruptio, eos omnes ab huiusmodi morbis euasisse? Quis est ex eiusmodi morbis, in quibus Galenus sãguinem non eduxerit? An quibus ob ciborum prauitatem sanguis inest prauus, & crudescens, vt in lib. de suc. bon. & vic. eum fecisse creditur? Id minimè gentium: quia licet ibi dicat à non nullis Medicis virium imbecillitatis metu paucis missum fuisse sanguinem, ibidem tamen non vetat in hoc casu sanguinem exhauriri: imò ob eius vitium detrahendum persuadere videtur, dum sibi ipsi per octo, vel nouem annos ex horariorum fructuum immodico æsu, quotannis ferè febricitanti secuerit venam. Non ne ipse quoque primo de diff. feb. c. 4. in pestilenti febre monet corpora nedum cardiacis, & alterantibus curari, sed tota superfluitatibus expianda? Non ne in carbunculo pestilenti in 14. meth. cap. 10. sanguinem mittit? Sed prẹter Hippocratem, & Galenum, omnes etiam Græci, Arabes, & Latini in huiusmodi casu non abstinuerunt à sanguinis detractione, vt Apollonius apud Oribasium 7. coll. cap. 19. & Ruffus Ephẹsius apud ipsum 6. Synops. c. 25. & Aetius tetr. 2. ser. 1. c. 95. Paulus lib. 2. cap. 36. Nonius de feb. pest. cap. 9. Ex Arabibus Auic. lib. 4. fen. 1. tr. 4. c. 4. Rasis 3. cont. tr. 13. c. 2. & cap. 6. Auenzoar. libro 3. Theisir tr. 3. c. 3. ex Latinis Cornel. Celsus l. 3. c. 7. & alij.

Hipp. in pestilentib. morbis secuit venam.

Neque tandem succorũ cruditas debet in his casibus à sanguinis missione dehortari, quandoquidem ipse Galenus licet ob hanc in cap. 9. vetuerit venæ sectionem; in cap. tamen. 11. inquit tantam esse non posse succorum cruditatem, quæ in morbi magnitudine valeat venæ sectionem prohibere: quinimo hac ratione talia scriptis reliquit in 5. aduers. Erasistrat. Ego autem, inquit, non hæc solum (hoc est Synãchen, vel peripneumoniam in magna cruditate) sed etiam spasmũ, hydropemque sanguinis euacuatione sæpius sum medicatus.

Cruditas.

Si ita-

Si itaque in febre maligna, ac pestilenti cùm humorum corruptione, & cruditate tuto secetur vena, quantò tutius, & audactius secari poterit in pulmonum, & laterum inflammatione, etiam si cùm hac & praua conditio, & cruditas sit coniuncta? Si quis enim morbus est, in quo absolutâ libertate Medico liceat sanguinem mittere, non alius est profectò, quā Pleuripneumonia, cùm in hac potissimus reperiatur secandæ venæ scopus curatiuus, hoc est morbi magnitudo; tum quia in eadem inest etiam non vulgare sanguinis vitium: vitium quidem non solum in quantitate, propter quam indicatur diminutio; sed etiam in qualitate percalida, & peracuta, qua expostulatur refrigerans, & humectans, & obtundens: nec non etiam in motu; tum eius scilicet qui in partem fluit; tum eius, qui iam fluxus est sanguis: ratione illius indicatur reuellens: ratione huius deriuans, euacuans, & discutiens. At si ob crassitiem, & lentorem nimis infixus est, & impactus, expossit incisiuum, ac detersiuum. Si tandem praua qualitas illi subiungatur, hæc dum fit, sanguinis quidē detractione prohibetur; dum autem iam facta est, non nisi bezoarticis est expugnanda.

Corruptio.

Vitiosi sanguinis Pleuripneumoniam generantis Indicantia.

An autem hîc peticulis erumpentibus liceat venam secare, an cucurbitulis, an aliud remedium adhibere, suo loco fusius disputabimus. Nunc autem satis sit dicere, quòd peticulæ, cùm sint quædam maculæ rubræ vel pallidę, vel nigræ in pororum superficie per totam cutim efflorescentes, quę ex fuliginibus è sanguinis ebullitione subleuatis, ac per venarū, arteriarumque oscula prodeuntibus effinguntur; siue ex sanguinis copia, vt plurimū contingere solet; siue ex ipsius corruptione, & maligna qualitate generentur, vt facilius erumpant, & vt putredinis focus restinguatur, præceteris opus habēt effatu dignâ per sectam venam sanguinis euacuatione. At hæc neque cucurbitulis, neque hirudinibus vllo modo potest præstari, vtpotè quæ præsidia non nisi coactè, puriorem, & exiguum sanguinem extrahunt.

Peticularū definitio.

In quo

In quo latere aperienda sit in pleuritide, & peripneumonia vena.

CAPVT V.

QVo autem loco aperienda sit in incipiente, vel progressa pleuritide vena, tam acriter, & prolixè controuersum est inter Antiquos, & Neotericos cuiusuis sectæ Medicos, vt etiamnum Lis sub iudice versetur. De qua re licet satis superq; doctè, & accuratè scriptum sit, & infinitæ propemodum quæstiones à celeberimis Viris sint exaratæ, ita vt superuacaneum ferè mihi videatur de eadem verba facere: veruntamen cùm mei instituti expostulet ratio, vt de hac re ipse quoque, qualiscunque sit, disseptaciunculam intertexam, fateor me nihil penè de hac scriptis traditurum, quod iam ab alijs non fuerit propalatum: tametsi de reuellendi ratione tam seriosè, & accuratè hîc me dissersurum pollicear, vt certè confidam huius capitis prolixitatē præ eius quoque lepore, nullum fermè studiosum lectorem tædio affecturam.

De hac re septē opiniones. Prima opinio.

Tam varia enim est, ac diuersa hominum opinio, vt in secanda in pleuritide vena, septiformem Medicorum sententiam ipse comperiam. Prima enim est Hippocratis, qui in eius genuinis operibus, vt præsertim in 2. de vict. rat. ac. text. 10. nullo lateris discrimine seruato, iubet in cubiti flexu internam venam secari, &, vt ipse apud Aurelianum inquit, in quacunque parte facilior fuerit visa. Hanc sententiam consectantur multi post Hippocratem antiquiores Medici, quales sunt Diocles Carystius, Praxagoras, Asclepiades, Themison, Heraclides, Aetius, Paulus, Trallianus, & alij.

Secunda.

Secunda est Authoris 4. de vict. acut. in text. 73. qui internā brachij venam secari præcipit ea parte, qua dolor affligit: cui in pluribus locis assentitur Galenus, & præsertim in lib. de sangu. miss. cap. 16. Pleuriticis, inquit, quæ è directo lateris laborantis adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpè vtilitatem attulit, quæ verò ex opposito brachio, aut omnino obscurā, aut post

tem-

temporis interuallum. Huius sequax Oribasius idem habet in primo synops. cap. 10. & 7. collect. cap. 5. Hanc sententiam videtur etiam sequi Rases 9. ad Alman. cap. 57. vbi scribit. Si dolor vsque ad clauiculam perueniat, sanguinem ab axillari lateris dolentis mittere consulit, ni forsan sanguis in toto exuberet: tunc enim in opposito brachio venam tundere iubet: tametsi secus sentire videtur in alijs locis, vt paulò post dicemus. Ad quam secūdam opinionē multi ex Neotericis trahuntur, vt Mattheus Curtius, qui teste Schenchio, licet omnibus persuadeat in pleuritide venam eiusdem lateris cubiti secādam; sibi tamen pleuritide correpto ex opposito brachio sanguinem missus, maluit seruare sibi vitam, quàm eius libro de vena in pleuritide secanda edito, fidē. Hunc sequuntur Petrus Brisottus, Fuchsius, Martinus Achakias, Constantinus Monachus, Benedictus Fauentinus, Ferdinandus Mena, & alij eius tempestatis, quos secuta est etiam omnium ferè recentiorum caterua.

Tertia. Tertia sententia est eorum, qui latitudinis diametrum seruātes, ex oppositi lateris cubito venam aperiunt, quorum princeps est Archigenes apud Aetium tetr. 2. serm. 4. cap. 58. quem sectantur Aurelianus in 2. acut. cap. 18. Arethæus lib. primo acut. cap. 10. Serapion. lib. 2. cap. 21. Gariopont. l. 2. c. 15. Auer. 7. coll. c. 29. Abimeron Abynzoahar lib. 1. tr. 16. cap. 3. Celsus lib. 2. cap. 10. Quibus consentiunt paulò superioris sęculi plures celeberrimi Autores, vt Io: Manardus, Andreas Thurinus, Iulius Cæs. Scaliger, Trincauellus, & plures alij.

Quarta. Quarta ab illis sequitur, qui seruatâ per longitudinem, & latitudinem rectitudine, primo ex eiusdem affecti lateris pede sanguinem detrahunt; deinde ex cubito contrarij lateris, & tandē ex eo qui est in latere ipso patiente. Huius opinionis Fautor est Araborum princeps Auicennas, quem nullus ferè eius sectę Author antiquus sectari videtur; verùm tantum eius sententiæ addicti sunt illi, ad quorum manus primo Arabum monumenta interpretanda peruenerunt, quales fuerunt Itali, atque Galli, quorum numero fuerunt Iacobus de part. Gentilis, Arnoldus, Thadeus Florent. Dinus de Garbo, Nicolus Florent. Gordo-

nius, Petrus Aponens. Mattheus de Grad. Io: Arculan. Leonardus Iachinus, Fuchsius, & id temporis alij perplures.

Quinta. Quinta est Io: Mesuæ, qui in magna corporis plenitudine, ne fortè materia ad locum affectum alliciatur, cæteris meticulosior, ne quidem longissimæ rectitudini fidens, non audet ex eiusdem lateris pede facere detractionē, sed ex altero primum secat venā, deinde in reliquis eundem ac Auicen. modū obseuat. Huius sententię non alium sectatorem inuenio, pręter quàm Ludouicum Panizzam virum quippe doctissimū, qui in lib. de venæ sec. in inflammatione statuit in pleuritidis principio in malleolo lateris diuersi venā aperiri, supponens semper in principijs morborum à quàm longissimis partibus esse reuellendum.

Sexta. Sextam sequuntur illi, qui latitudinis rectum seruantes, primò ex aduersi, deinde ex eiusdem lateris gibbero venam aperiunt. Hi autem sunt Rases, Serapio, Haly Abbas, Zoar, Auerroes, Auenzoar, Alzaharauius, Valescus de Taranta, & plures alij, inter quos Marc. Gattinaria scribit Auicennam dicere primò ex opposito latere, idest brachio, venā secari, deinde ex opposito non quidem diuersi lateris, vt Capiuacceus credit, sed eiusdem lateris per longitudinem pede, & tandem ex eiusdem lateris cubito.

Septima. Septimę Author est Andreas Vesalius de re anatomica polimeritus, qui in epistola ad Nicolaum Florenatum de hac re peculiarem professus tueri sententiam, scribit vtrouis latere male affecto, semper in brachio dextro secandam esse venam, nisi tamen tres superiores sinistri lateris costę afficiantur: tunc enim in sinistro cubito venam iubet aperiri: ratio est quod à vena ἄζυγος è caua supra cor exorta, ac per latus dextrum ascendente, octo surculis fruticatur, qui in vtrunq; latus ęquè distributi, octo inferiores costas, eorumq; spatia conutriunt: adeò quòd, etsi sinistrum latus sit affectum, vena in dextro cubito aperta, ob eiusdem venæ solitariæ communicantiam, illuc facilius sanguis attrahitur. Si autem reliquas tres costas occupet inflammatio, cùm hæ foueantur à surculis venæ in-

Venæ azygos diuaricatio.

terco.

tercostalis, quæ nascitur à caua, debet ratione rectitudinis fibrarum à sinistro brachio sanguis exhauriri. At postmodū ab hac sua sententia videtur abdicari, dum lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 9. inquit, nihil referre, dextri ne, an sinistri cubiti vena tundatur in morbo laterali.

Hanc Vesalij opinionem videtur sequi Thadeus Dunus, qui lib. 3. de Arte reuellendi cap. 7. scribit in quocunque latere affligat dolor, semper aperiendam esse in dextro cubito venam, excepta trium superiorum costarum regione, in quà dolor, si sit in sinistro latere, exposcit sectionem in sinistro gibbero factam: quod totum obseruari inquit ratione tum venæ sine pari consensus, quem habet cum dextro latere; tum venarum fibrarum rectitudinem, & communionem, ratione cuius dextri lateris venæ cum dextro cubito, & sinistræ cum sinistro consentiunt.

Et tot sunt potiores in hac re præclarissimorum Medicorū sententiæ, quarum cuique ad libitum, prout sua quemque trahit voluptas, plures alij recentiores addicti sunt: quæ omnes, excepta priori, ad duas potissimas Classes rediguntur, hoc est, & ad eam, quæ per latitudinem, & quæ per longitudinem facit reuulsionem, quarum vtraque duas habet Sectas: illius siquidem vna est, quæ in eiusdem lateris affecti brachio aperit venam: altera quæ in opposito: sic huius altera, quę ex eiusdem lateris patientis pede sanguinem mittit: altera, quę in aduerso pede. Quarum prioris Autores sunt Græci; tametsi non nulli quoque ex Arabibus, qui in Græcorum monumentis fuerunt instructi, huic assentiantur. Cæterarum autē vt plurimum Sectatores sunt Arabes, atque Mauri, nec non ex Græcis non nulli, qui eò quòd illis fortasse regionibus essent finitimi, vt Syrius Archigenes, Cappadox Aretæus, Aurelianus Numida, Aetius ex Mesopotamia Amideus, non est mirum, si inter Maurorum, & Arabum disciplinam educati, eorum doctrinam in pluribus insequantur.

Duæ potissimè Classes.

Cur Grecorū nonnulli cū Arabib⁹, & Mauris consentiant.

Horum enim aliqui primò vt ab inflammata parte procul sanguinem auerterent, nedum ex brachio illi opposito detra-

Araborum mos in reuellendo.

hebant, sed postea ex Saphena vel eiusdē, vel diuersi lateris: aliqui è contra, vt à longiori adhuc parte reuellerent, primò ex eiusdem lateris pede, deinde ex diuerso brachio, & tandē ex eodem aperiebant venā: aliqui magis religiosè in insigni plenitudine ne materiam versus partem affectam attraherent, à longinqui adhuc parte reuellebant, incipientes à pede lateris oppositi, deinde sensim parti patiēti propius accedendo, ex contrario gibbero retrahebant, & tandem deriuationis gratia ex eiusdem lateris cubito saguinem detrahebant.

Primę classis rationes.

Prioris sententię rationes pręcipuę sunt, quòd in reuulsione facienda, fortius, & facilius retrahitur ab inflāmata parte ex venis, quę nedum ratione fibrarum, sed rectitudinis etiam cum vasis consortium habent, quæ ex ipsa particula affecta exhauriunt, quam ex oppositi lateris venis, quæ cum diuerso latere nullam, aut obscuram habent cōmunionem. Nam corpus à natura tam miro artificio constructum est, vt licet totum sit peruium, ac vndiq; cōmunicabile, vnumq; pergrandem, amplissimumq; canalem habeat, qui in medio corpore secus spinam discurrens, tam dextræ, quàm sinistræ parti sit communis, hoc tamen peculiare habet, quòd dextri lateris vasa mirè cum dextris tantum communicant; cum sinistris autē, aut nihil, aut perobscurè; quod quidem hac præsertim ratione factum esse puto à natura, ne scilicet, dum vna pars est affecta, totum corpus simul afficiatur: Enimverò cùm ad rectum omnium functionum vsum pernecessarium esset animalis corpus omniū membrorū conbinatione esse refertum, optimi ordinis ratio expostulabat, vt peræquè bipartita fieret venarum, arteriarum, atq; neruorum vtriq; corporis parti distributio, quarum singula suæ tantum parti familiari inseruiret, & non alteri, nisi quadam necessitate coacta; sicut optimè videtur à Sthephano Atheniensi significatum in text. 181. super primum ad Glauc. cap. 14. & propterea Medicus ad reuellendam humoris fluxionem, ne pręcipiti motu ruat in partem aliquam nobilem, aut periculosam, debet viarum consortium, ac rectitudinem obseruare, sicuti docet Hippocrates primo de rat. vict. text. 29. & alibi, vbi partium κατ' ἴξιν iubet esse seruandā, quod

Venarum ac vasorum omnium bipartitio distributioq; mira

Cat' ixis in reuulsiōe seruanda.

quod ipſamet nodis videtur dictare natura, quæ in criticis quibuſdam expulſionibus partium corporis ſeruat rectitudinem, vt quando hepate inflammato, debito tempore fit ex dextra nare ſanguinis effluxio copioſa, qua ſoluitur inflammatio: ſic dum ſiniſtra pars capitis, aut ſiniſter oculus dolore afficitur, oborto in ſiniſtro brachio abſceſſu, fit morbi ſolutio: quas ſpontinas naturę expulſiones per directum factas, quiſque videre poteſt in pluribus locis apud Hippocratem in epidemijs: vnde ipſe ſcribit in 2. epid. com. 3. & 6. eiuſdem com. 2. text. 11. ſecundum rectum, & laterum intenſio doloroſa, & intenſiones hypocondriorum, & lienis eleuationes, ex naribus fluxiones: quod videtur in 3. de criſ. capitulo tertio confirmare his verbis. Oportet autem ſanguinem recto curſu fluere, ex dextra quidem nare propter hapar, & ea, quæ ſub dextro hypochondrio ſunt: ex ſiniſtra autem propter lienem, & vicinas partes. & Galenus 6. epid. com. 2. text. 14 conſiderandum eſſe inquit, ex Hippocratis ſententia, num ſemper ex abſceſſibus ad inferiora traſmuratis meliores illi ſint, qui ſecundum rectam oppoſitionem fiunt. Propter quod idem Hippocrates dicebat in primo prorrhet. com. 3. text. 33. Quæ enim ex parte diuerſa, & præpoſteræ fiunt ſanguinis eruptiones, malo ſunt, velut à lienis tumore, ſi ex nare dextra fluat: vnde illa, quæ fit ab eadem regione, non niſi perſpicuam, ac celerem affert vtilitatem. Id quoq; nos docet Galenus in 2. ad Glauc. capitulo ſecundo, vbi iubet, ſi in parte dextra locorum muliebrium paſſio fuerit, à dextra manu, aut crure ſanguinem detrahi: ſi verò in ſiniſtra, a membris, quæ illi è directo ſunt. Quod etiam ratificat in primo ad eundem cap. 14. cùm dicat. In vniuerſum autem, aut ad communia membris patientibus in aduerſum retrahere oportet, aut ad ea, in quibus eſt euacuationis origo. Atque ideo vehementes euacuationes, quæ ex vteris fiunt, cucurbitulæ iuxta mammas appoſitæ ſtatim ſedant: quæ verò ex naribus hæpati, ac spleni ſecundum narem patientem. Quòd ſi ex ambabus naribus ſubito, ac multus ſanguis effluerет, vtrique viſceri ſunt adijciendæ.

Sãguinis fluxio ex nare dextra quarum partiũ gratia fiat.

Alteræ Claſsis rationes.

Con-

Alterę Classis Rationes.

Contra autem illi, qui tuentur ex aduerso latere, & à longissima regione faciendam esse reuulsionem, his rationib⁹ innituntur. Dicunt enim, quòd semper eò magis retrofluere, & à suo cursu desuescere facies humorem, quò longius à particula laborante protrahes: Atqui longior semper est pars illa, quæ cum parte affecta nullum consortium, nullamque rectitudinem habet, cuiusmodi est pars contraria, & præsertim longinqua. Cæterum dicunt, cùm semper ad partem affectã vel dolentem spiritus, & sanguis, qui in toto sunt corpore, ferantur, dum ad ipsum locum dolentem incipiunt moueri, nõ adhuc in illo sunt: prius enim manent in termino à quo, dein verò ad terminum ad quem progrediuntur: in fluxionis initio materia, quæ in terminum ad quem peruenerit, pauca quidem est, sed extensione dolorem faciens, sensim augetur: quæ autem in termino à quo reperitur, multa est; at in fine ipsius affluxionis è contra se res habet; quia tunc materia in termino ad quem est multa; in termino autem à quo pauca: at quæ in medio fluxionis est tempore, in vtroque termino ęquali portione reperitur: & propterea tres fieri debent venarum sectiones; vnam scilicet in principio, quæ fluxionem incohantem respiciens, tantũ reuulsiua dicatur, & hanc in saphena oppositi lateris exequendam esse iubent. Altera verò in medio fluxionis termino, quæ partim reuellat, partimque vacuet: quo tempore internam oppositi cubiti secandam pręcipiunt. Tertia demum in fine fluxionis, morboque iam consistente, vbi solum euacuationis est opus. Quæ quidem fundamenta potissimis rationibus firmant, dum inquiunt. Si in vltimo fluxionis tempore, cùm materia iam firmata, fixaque est, oporteat ab eodem latere sanguinem mittere, huiusmodi venę sectio in fluxionis initio superuacanea prorsus ęstimanda est. Consequentia probatur: nam sicuti principium opponitur fini; ita operatio, quæ fit in principio, illi opposita esse debet, quæ fit in fine; sed locus affectę particulę magis oppositus est diuersi pedis saphæna: igitur hæc eadem vena in principio secanda est, non autem illa, quæ in eodem est latere.

Sãguinis fluxio quomodo fortius retrahatur.

Tria venę sectionis genera.

Potissimæ fũdamẽtorum rationes.

Quę venæ sectio sit superuacanea.

tere. Præterea addant: si in fluxionis initio à latere partem laborantem respiciente moliretur euacuatio, hoc esset per ipsam partem affectam velle materiam trahere; sed hoc fieri minimè debet: quare, &c. Cæterum inquiunt, quod nullam corporis partem vacuari oportet, prius quàm totum fuerit euacuatum, & præsertim vbi plethorica syndromes adest.

Virorum testimonia.

Præter has rationes, vt suam sententiam firmiorē reddant, grauiorum Virorum testimonijs vtuntur: quare non modò afferunt Archigenis, Aureliani, Aretæi, Aetij, Serapionis, Auicennæ, & aliorum principum Barbarorum sententiam; verùm etiam Hippocratis, qui in 5. aphor. 68. & 6. epid. com. 2. text. 27. scribit dolenti parte capitis posteriore, in fronte rectā venam incisam prodesse, quod videtur cōfirmare in lib. de locis in homine in aurium dolore, vbi dorso iubet cucurbitulam admoueri, ad dextrā scilicet si dolor sit in sinistra, & ad leuam si sit in dextra. Vnde Galenus in com. eiusdem aph. & 5. met. cap. 3. testatur reuulsionem fieri debere à superiorib⁹ ad inferiora, & è contra; sicuti à dextris ad sinistras, & ab anteriori ad posteriorem. Imò ipsemet Hippocrates, cuius doctrinam ipsi Arabes plurimum venerantur, & excolunt, & à quo eorum dogmata vt plurimum desumpserunt, vt exprimat à quàm distanti regione facienda sit reuulsio, in lib. de humoribus, vbi differens de reuulsione, & deriuatione, hæc habet. Medela, euocatio, deriuatio in caput, in latera qua maxime repit, aut reuulsio in supernis deorsum, & inferius sursum; tum etiam in 2. de nat. hum. text. 9. Statuendum est inquit, vt quàm longissimè in locis, in quibus dolores fieri, & sanguis colligi consueuit, venarum sectiones fiant: hac enim ratione cùm minimè magna de repente mutatio cōtinget; tum etiam consuetudinem tollendo, effeceris, vt ne amplius eodem colligatur. Et est illud, quod forsitan innuit Celsus lib. 2. cap. 10. dum dicebat. Neque ignoro quosdam dicere quàm longissimè sanguinem inde, vbi lædit, esse mittendum: sic enim auerti materiæ cursus: at illo modo in idipsum quod grauat, euocari.

Qua-

Quapropter in lateris dextri inflammatione missione sanguinis ex brachio dextro non fieri dicunt reuulsionem, sed deriuationem, quia non fit ad partem longissimam, & contrariam, sed ad proximam, & ad eandem regionem: nō enim fieret retractio à dextra ad sinistram partem, sed à dextra ad dextram.

Sectio venæ in eodem latere quando non reuellit sed allicit.

Præterea vbi copiosa est sanguinis redundantia, si morbus est in latere dextro, tantum abest, vt sectio venæ in eodem latere ab ipsa inflāmata particula sanguinem fluentem procul auertat, vt potius ratione rectitudinis, & viciniæ ad ipsam partem alliciat: quoniam si in latus dextrum feratur humor, & ab ipso loco, in quem influit humor, sanguis hauriatur, nulla fit reuulsio, sed potius ad illam partem ratione vacui augetur fluxio: non enim ab eo, quo influit, sed ab eo, vnde effluit hauriendum est, vt cōstat ex primo ad Glauc. cap. 14. Aut enim ad communia, inquit Galenus membris patientintibus in aduersum retrahere oportet, aut ad ea, in quibus est euacuationis origo, sicuti paulò supra dicebamus.

A qua parte hauriendum

Reuulsionis munus.

Cæterum dicunt, si in pleuritide venæ sectio reuulsionis gratia instituitur: reuulsionis autem munus sit non à parte laborante euacuare, cùm id deriuationis sit, sed vt prohibeat ne pars affecta sanguine repleatur, hoc peculiariter præstare debet, vt ipsum sanguinem eo reuocet, & protrahat, vnde effluit. At hoc commodissimè assequi posse dicunt, si in opposito latere sub initio aperiatur vena; vtpotè quæ contrarium motum sanguini conciliat, eumque procul ab affecta parte diuertit, quod quidem à secta vena è regione lateris affecti præstari posse negant.

Vena in opposito latere aperta quid præstet.

Idem experimento confirmari subiungunt, eò quòd per multa annorum secula, quibus Araborum secta perfloruit, ex vena semper in opposito, & distanti loco apertâ, nullum esse secutum incommodum, sed maximum semper emolumentum.

Scaligeri testimonium.

Quod vt magis probent, subinde afferunt Iulij Cæsaris Scaligeri testimonium. Hic enim in suis comment. in Hippocratis lib. de Somn. hæc habet. Fidem, ait, in quem intendimus, hanc esse par est, prohibere sanguinis copiā, ne ad malè affectum con-

currat

currat locũ. Ergo ab opposita parte sanguis detrahẽdus. Nam si dolor in latere sinistro, aperta indidẽ vena plus trahit à dextro in sinistrũ, quàm dextra incisa in sinistrũ. Plus enim humoris est inter circunferentiam dextram, & doloris locum, quàm inter eundem locum, & circunferentiam sinistram. Vnum habent, quo profugiant, non prodesse; quoniam nulla sit, vt appellant, colligantia. At nos dicimus non nunc agere, vt quod fluxit, detrahamus: neque enim magni momenti est: neque quisquam prima statim die mortuus est, sed post multam affluxionem, quam tollit vena contraria remota: vena autem eiusdem lateris non solum non tollit, sed etiam trahit ad locum malè affectum: itaq; toto post facto fluxu, ex eadem parte nos quoq; detrahimus. Ac de ratione quidem hæc, de experientia verò quid dicamus, facilè in promptu est. Iam duo de viginti annos, non nisi vnum vidimus, ex eadem parte incisa vena euasisse. Et sanè corpus erat athleticum, vt etiam magis miraremur. Verùm scimus multos etiam sine phlebotomia sanos factos. At plus octoginta redigimus in commentarium quinto ab hinc anno, qui omnes eo curandi genere sint exincti: cùm plus quingentis his duodecim annis euasissẽt, quibus in aduerso cubito vena aperta fuerat. Hec Scaliger.

Ex his ergo videas quanta sit circa venæ secandæ in pleuritide locum eligendum sententiarum diuersitas, & quàm diuersa sit ne dum inter Græcos, & Barbaros, verùm etiam inter metipsos discrepantia: pro qua etenim concilianda, tametsi id maximè operosum videatur; quibusdam tamen prius exactè perpensis, ac pro fundamento præiactis, non ità difficile negotium fore euasurum sperabo. In qua difficultate pro vt ego possum animo conijcere, mihi videtur omnium tàm Araborum, quàm Atticorum vna ac eadem faciendæ reuulsionis intentio, sed diuersa operationis executio: omnes siquidem in inflammationis principio à regione, quæ ab affecta particula longissimè distat, reuulsionis gratia faciendam esse euacuationẽ consentiunt: deindè ipsi mẽbro propius accedentes, vt ab eo deriuent, à propinquiori parte sanguinem detrahunt; postmodum (si ferat occasio) ab ipsamet

In inflãmationis principio communis reuel endi locus.

parte exhauriunt. At plurimum diuersa ijs est operandi forma. Cuius autem diuersitatis rationem in hoc sistere arbitror, quòd ipsi Arabes aut quia forsitan non omnes diametrales corporis oppositiones agnoscebant: aut propter venarũ progressuum ignorantiam in hanc veniebant inscitiam, quòd putabant à vena, quæ è regione partem ægram respicit, sanguinem ducere, esset perinde ac ab ipsa parte immediatè vacuationem facere: & propterea verebant ne, pleno adhuc existente corpore, fluxionisque impetu nondum sedato. (si ex proxima parte vacuaretur,) res periculo non vacaret; quoniã humorum influxus versus partem dirigitur, quã traducitur, ad quam dolore & calore protrahitur: quapropter à parte fluxione tentata vacuationem moliri, nihil aliud est, quàm humoris impetum versus partem obsecundare, ac præsertim si partes, quæ mittunt, humoribus scateant.

Animaduersio.

Sed vt res planior euadat, primò sunt quędam animaduertenda. Nam ex chirurgica facultate Medicus cùm ad totius, & partium repletionem hauriendam, tum ad humorum impetum refrænandum, tribus potissimum instrumentis vtitur, euacuatione scilicet, quæ totius plenitudinem, quam plethoram vocant, exhauriendo, græcis dicitur κένωσις: deriuatione, quæ à membro aliquo humorem iam fluxum è proxima regione euacuans παροχέτευσις vocatur: & reuulsione, quę ἀντίσπασις dicitur: hæc enim debet ad oppositam, & lõginquam partem fieri, seruato regionis consorsio, atque recto, quod per κατ' ἴξιν vel ὀρθυωρίαν fieri Gręci dicunt.

Reuulsionis finis, & rectus modus.

Finis autem, & rectus modus reuulsionis est, vt quàm longissimè à parte inflammatione tentatâ sanguinem tum affluẽtem, tum fluxurum ad oppositam illi partem auertat: quam enim tunc temporis effici oportet, quãdo non adhuc pars turgescere inceperit, neque humor iam fluxerit, sed aut fluere incipit, aut mox fluxurus est: vnde satagendum est ne ipse sanguis partem obsideat, ac inflammatio incrementum suscipiat: tunc enim difficilimum esset inde sanguinem iam firmatum exantlari.

Cur reuulsio sit fastinanda.

Quòd

Quòd autem reuulsio in morborum initijs, dum scilicet humor ad aliquam partem affluit, vel affluxurus, maturanda sit, breuiter Hippocr. docet 6. epid. com. 2. text. 8. dum inquit. Cedentem retrahere statim: & Galenus 4. meth. cap. 6. Cùm maximè influit, tum ad diuersa reuellere oportet: & de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. In incipientibus auertere quò influit, expedit: & 2. ad Glauc. cap. 2. Influentium adhuc humorum retractio eorum, qui in partem obsederunt, deriuatio, medela est. An verò è longinquis partibus sit reuellendum, spetiosius explicat Hippocrates supracitato 2. de nat. hum. text. 9. sicuti confirmatur à Galeno 13. meth. cap. 11, & eodem lib. 13. cap. 6.

Reuulsio quo tempore facienda ex Hipp. & Galeno.

Vbi ex his non mediocris contrarietas depræhenditur non solum inter Hippocratem, & Galenum, sed sibimet ipsi parum constare videtur ipse Galenus, cùm pluribus locis de rectitudine in reuulsione seruanda verba faciens, manifestè inquiat, reuulsionem fieri debere à superioribus ad inferiora, & è contra, è dextris ad sinistras, ab anterioribus ad posteriora: sicuti videre est apud ipsum in libello de reuulsione 5. aphor. 68. & 5. meth. cap. 3. & multis etiam locis.

Dubitatio, A quib' partibus facienda sit reuulsio ex Galeni sententia:

At è cõtra apud ipsum in pluribus locis hanc legem perpetuò in reuulsione custodiendam esse conijcitur, vt nimirum dextrorum cum dextris, sinistrorum cum sinistris, superiorũ cum superioribus, & inferiorum cum inferioribus regionis rectitudo, atque consortium obseruetur; non autem vniuersi corporis diametralem rectitudinem. Ex quibus manifesta apparet contradictio: quoniam si trahendum est à superioribus ad inferiora, & à dextris ad sinistra, non seruabitur lex consortij, dextrorum scilicet cum dextris, & superiorum cum superioribus.

Lex Grecorũ in reuulsione

Contradictio ĩter ipsosmet Græcos.

Huic dubitationi respondetur, quòd partes superiores, & inferiores, sicut dextræ, & sinistæ duplici nomine possunt considerari: vno scilicet physicè, altero mathematicè. Physicas partes intelligimus eas, quæ in suo proprio situ ità naturaliter sunt dispositæ, vt respectu partium corporis superio-

Solutio. Partes corporis dupliciter considerantur. Physicę partes.

rum, inferiorum, ac mediarum dicantur tales. Vnde hoc modo superiores corporis partes physicè erunt iuxtà Galeni distributionem in 2. de vict. acut. text. 10. & 11. caput, thorax, brachia, pulmo, ventriculus, hepar, lien: inferiores autem sunt pedes, crura, famura, testes, pudenda: mediæ verò sunt renes, vesica, vterus, intestina. Partes autem mathematicæ sunt, quę in quapiam trium dictarum corporis regione trinam habere possunt dimensionem, hoc est longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ratione quarum dicuntur supernæ, infernæ, dextrę, sinistræ, anticæ, posticæ, siue internæ & externæ, quo respectu pars superior mathematicè in superioribus partibus physicis erit caput: inferior autem non erit pes, aut crus, sed brachium, aut manus, siue dorsum. Ità in inferioribus physicis inferior pars mathematica erit pes, aut crus: superior autem eiusdem lateris, vterus, vesica, fæmur, aut pudenda, vel coxa: & sic pariter in medijs, & in reliquis diametris: nam, vt constat apud Galenum 6. epid. com. 2. text. 14. sæpè contingit, vt aliqua pars, licet alias inferior sit; tamen respectu inferiorum dicatur superior.

Mathematica.

Dubitationis solutio.

Modò iuxtà hanc distinctionem facilè soluitur dubitatio: nã Galenus cùm in illis tribus locis dixerit reuulsionem fieri oportere à superioribus ad inferiora, & à dextris ad sinistras, &c. mathematicè loquitur: cùm autem alibi scripserit ordinem reuulsionis esse, vt societas seruetur dextrorum cum dextris, & superiorum cùm superioribus, &c. physico modo intelligebat.

Instantia.

Loca, in quibus Hip. & Gal. non videntur reuulsionis leges obseruare.

Verùm si quispiam ijs non acquiescens, dixerit non videri ab Hippocrate, & Galeno reuulsionem in aliqua corporis regione mathematicè factam obseruare illam contrarietatem, & distantiam, quã docet in suis commentarijs: quandoquidem ipse Hipp. exemplo id manifestè declarat in multis locis, & præsertim in 5. aph. 32. & 33. vbi inquit. Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutionẽ aduenire: & subinde, menstruis deficientibus, sanguinem ex naribus fluere, bonum. Quare ad hũc naturę exemplum iubet ex remotissima, & contraria regione fieri retractionem. Et Galenus in 5. meth. cap. 3. scribit reulsionem in ijs, quæ supra sunt omnibus, deorsum sẽper fieri, sursum

ſum in his, quę ſunt infra. Præterea à dextris ad ſiniſtra, ſicut ab his rurſus ad illa. Quod etiam ratificat lib. 13. meth. cap. 11. vbi inquit. Longiſſimè à tentata fluxione parte quod redundat reuellere; nequaquam ad eam trahere conuenit: & hoc exemplo demonſtrat, dum in calce ſubiungit. Si in manibus phlegmone eſt orta, ad crura reuelles: ſi in cruribus, ad manus.

Reſpondendum eſt pro reuulſione facienda illud potiſſimum eſſe conſiderandum, an ſcilicet morbus ſit præſens, an futurus: ſi præſens eſt, an vehemens ſit, & maximè vrgeat, propter quod præſentaneam expoſcat curationem; quo caſu ſi etiam ob plenitudinem humor in aliquam partem impetum faciat; tunc reuulſio facienda eſt, non quidem à tam longinqua, & contraria regione, quę nullam habens cum parte affecta communicantiam, vel debilem, vel tardam faciat ab affecta parte retractionem, & euacuationem: ſed ab ea euacuandum eſt, quæ cum ipſa parte ægra conſortium habeat, & communionem, vt Galenus docet lib. de trem. & palp. cap. 5. & 2. ad Glauc. c. 2. Nam communes venę quæ ſcilicet cum ipſa parte patiente conſentiunt, mirè reuulſioni obediunt: vnde Gal. ipſe 13. meth. cap. 11. & de ſanguinis miſſ. cap. 15. 16. & 18. partes inquit affectas, quæ ſunt ſupra renes, venis brachiorum auſcultare; quæ autem infra renes, crurum venis. Valida igitur reuulſio ad longinqua tunc fieri poteſt, donec vaſa cùm affecta parte communicantiam habent, quales ſunt brachiorum, aut hypochondriorum venę reſpectu narium: & quę in mammis ſunt reſpectu vteri, vt patet ex 5. meth. cap. 3. Quòd licet in narium fluxu venæ crurum poſſint per communicantiam, quam habet cùm vena caua, facere à naribus reuulſionem, tamen hanc non niſi tardè, & cùm plurima ſanguinis detractione præſtare valent, vt videre eſt in lib. de ſangu. miſſ. cap. 16. & præſertim quando magnitudo morbi non ſit præſens, aut ſi ſit, non vrgeat. Si autem morbus non ſit præſens, ſed futurus; dum ſcilicet tantum præſeruationis gratia intendimus facere euacuationem, hoc eſt quando nondum in aliquam partem humor irruerit, ſed vel ad eam irruere conſueſcat, vel mox irruturus, tunc confirmo venæ ſectionem in maximè longinqua parte

Reſponſio. In reuulſione quę conſideranda.

Valida reuulſio quando à longinqua parte ſit facienda.

Reuulſio præſeruationis gratia à qua parte facienda.

parte esse faciendam; sicuti hoc nomine pręseruationis nimirum causâ consulit Hippocrates in 2. de nat. hum. à distantissima regione reuellendum. Cùm enim in nulla parte præcipuâ humor abscedat, illa communicantiæ ratio cessat, cuius gratia moliebatur reuulsio simul, & deriuatio; quo casu tunc solâ opus habemus reuulsione, quam aptissimè possumus ex distantissima parte moliri: Et ita inde perbellè fluxio desuescit, quo fluere consueuerat: hac tamen obseruata lege, vt rectitudinis diametrum non excedatur. At vbi morbus aliquis vniuersalis stato quodam tempore totum corpus æque soleat occupare, vt febris, vel arthritici dolores; tunc absque vllo venarum, aut distantiæ, aut rectitudinis respectu licebit præseruationis gratia ex quacunque vena, & in qualibet parte facere detractionem, vt Galenus optimè nos docet in lib. de sangu. miss. cap. 19.

Quare cùm sæpè contingat in affectibus partium infra renes existentium oportere ex superiorum partium venis pro reuulsione sanguinem detrahere, & è contra in superiorum morbis in inferioribus venam secare: si quis diametrorum differentiam, ac distantiam rectè perpendat, & vnam cum altera regione optimè conferat, illi perplanum fiet, tot reuulsionum modos ab Hippocrate, & Galeno seruatos, totq; eorum documenta nobis de hac re tradita, nullam inter se parere discrepantiam. Namq; permulgatum est à Galeno tres potissimas in corpore nostro regiones stabiliri, hoc est caput superiorem, thorax mediam, infimam abdomen. Et in inferiorum serie sunt coxendix, vesica, vterus, pudenda. Quæ partes infimæ ob viciniam communicant cum media regione, non autem cum superiori, hoc est capite, sicut commodissimè potest inter infimæ regionis partes cum partibus mediæ mutua exerceri reuulsio: ita inter extremarum regionum partes, vel nulla, vel tarda, & obscura hæc fieri potest. Quocirca vbi in infimæ regionis partium affectibus solâ opus est reuulsione, non est necesse à cruribus, vel malleolis fieri euacuationem; sed tutissimè potest à branchiorum venis moliri.

Tres potissimæ nostri corporis regiones.

Si ve-

Si verò reuulsioni deriuationis quoq;& euacuationis à parte affecta adiungatur intentio; vt si in vteri inflammatione insit etiam mensium suppessio; tunc & reuulsionis, & simul deriuationis gratia tenemur ex inferiorib⁹ venis facere detractionem. Ex vna siquidem secta vena duobus simul scopis satisfacimus; ab vtero enim fluentem humorem reuellimus, & menses prouocamus: quod quidem obseruasse constat Galenum in lib. de sangu. miss. cap. 18. Et hac ratione si causâ dictorum mensium suppressionis inflammentur mammæ; certè illarũ inflammationis gratia facienda esset in brachiorũ venis pro reuulsione detractio: at quoniã, hac supprimerentur mẽses, idcircò ex inferioribus venis facienda est euacuatio, quę simul ab inflammata parte fluentem sanguinem retrahit, & menses euocat. Et licet huiusmodi reuulsio fiat ex longissima parte, cùm tamen fiat à communibus venis, hoc est ab ijs, quæ ad vterum pertingunt, quæ qudem per venam vmbilicarem maximum consortium habet cum venis mammillaribus, recta est, & commodissima reuulsio.

Difficultas.

Sed alia suboritur dubitatio: nam si ad reuulsionem faciẽdam, duas opportet seruare conditiones, hoc est & partium societatem ac rectitudinem, & regionis contrarietatẽ, quomodo hæ duo simul poterunt seruari in interioribus? Quoniam in pleuritide, vel in febribus malignis, vbi præsertim adsunt peticulæ, cùm ab interiori parte reuulsio fieri debeat ad exteriorem, vna quidem seruatur conditio, nempè partiũ oppositio; societas verò, vel rectitudo non seruatur, cùm hæc sit internarum cum internis, & externarum cum externis. Huic dubitationi sic satisfieri posse putarem, si dicamus, quòd in quapiam corporis parte tàm superiori, quàm inferiori, & media, & tàm in interioribus, quàm in exteriorib⁹, dari possunt omnes diametrales oppositiones: quoniam potest in profundis corporis partib⁹, trahendo ab internis ad externa, simul seruari societas interiorum cum interioribus, vt exempli gratia, dum à gibba iecoris parte, quæ se habet respectu renum velut pars interna, trahendum est ad ipsos renes, &

Alia dubitatio.

In reuulsione duę cõditiones obseruandæ.

Satisfactio.

nes, & ad vesicam velut partes exteriores, & interiores simul: interiores quidem in respectu ad brachia, & crura, & cęteras partes exteriores: externæ verò respectu hepatis, quod magis est intro, quàm renes: Si verò à conuexa ipsius hepatis reuellendum, commodior est retractio ad intestina, quæ sanè exteriora sunt hepate: nam tunc pars iecoris caua se habet vt pars interior. Quocirca in pleuritide primò attrahitur ad cubitum ab alis tanquam ab interiori ad exteriorem partem; quæ duæ partes respectu venæ cauę sunt exteriores: Ergo prima hęc tractio seruat societatē exterioris cum exteriori: Secundò fit tractio à caua, vt ab interiori ad axillarem, vt ad exteriorem: & sic in his est tum societas, cùm ambæ sint interiores; tum secundum latitudinem oppositio, cum vna sit interna, altera externa. Tandem trahitur à membrana costas succingente velut ab exteriori ad venam azygos, & cauam velut ad interiorem regionem, quæ quidem ambo, hoc est, & pleura, & ipsæ venæ cùm sint interiores, seruant inter se consortium: atque cùm illa respectiuè sint interna, hæ autem externæ, seruant oppositionem: quapropter cùm in reuulsione ab interioribus ad exteriora contingat sæpè mutari spetiem diametri, non mirum est, si vna pars secundum diuersos respectus modò sit interior, modò euadat exterior, nunc dextra nunc sinistra, vt supra patuit ex Galeno in 6. epid. com. 2. text. 14.

In reuusione & deriuatione conditiones, & leges obseruandę.

Quare concludendum est, quòd tàm in reuulsione, quàm in deriuatione obseruandæ sunt reuulsionis conditiones duę, videlicet, communio, & rectitudo: distantia autem licet etiam quoquomodo deriuationi conducat, propriè tamen reuulsioni competit: vicinitas autē deriuationi tantum: tametsi reuulsioni quoq; aliquando conueniat, vt mox apparebit.

An ex eadē vena fieri possit reuulsio simul & deriuatio.

Verùm hîc plurimi arbitrantur ex vna aperta vena non posse simul reuulsionem, ac deriuationem fieri, eò quòd reuulsio, cùm fiat ad remota, deriuatio autem ad propinqua, sequeretur vnam, & eandem partem simul esse longinquam, & proximam; quod quidem eodem tempore simul pręstari non posse probāt ex Gal. doctrina, qui de sangu. miss. cap. 19. scribit. Incipientes inflā-

matio-

mationes oportet reuulsione curare; quæ verò iam inueteratæ sunt, ex ipsis, si fieri potest, partibus; quòd si fieri nequeat, saltē ex vicinis: quare dicunt, dum Hipp. & Gal. in eodem latere affecto iubent venam aperiri, id non reuulsionis, sed deriuationis gratia tantum eos fieri velle: quod inde patere inquiunt, quòd sanguinis fluxum eò vsque perdurare illi præcipiant, quòusque ipsius sanguinis color immutetur: quod quidem signum esse dicunt iam fluxum sanguinem ex particula inflammata deriuare: non enim reuulsione, quidquam extrahi potest ab affecta parte.

Cur Medicorum quorūdam sententia Autori nō probetur. Reuulsione quid præstatur & qualis sanguis trahitur.

Horum sententia omnino mihi non probatur, quoniam cùm validissimum sit remedium reuulsio ad retrahendum fluxionis impetum ne ruat in partem affectam, certum est ab hac nedum tolli sanguinem ab eo, vnde incipit fluxio, sed etiam ab eo loco vbi definit; alioquin non eum sanguinem reuelleret, qui adhuc fluit in partem affectam. Quare per reuulsionem trahitur non modò qui est in fluxionis origine, sed etiam qui est in venis parti laboranti proximioribus. Si is igitur, qui in proximis venis est, non minus eo, qui in longinquis reuulsione retrocedat; siq; deriuatione è proximis venis etiamnum fluens retrahatur sāguis, & in partem iam fluxus exhauriatur; nihil ex ipsa parte detraheretur, nisi prius ex vicinis fuerit reuulsione detractum. Quare necessariò fatendum erit ex reuulsione nedum ex longinquis, & communibus venis fieri retractionem, sed etiam ex proximis, & ex ipsamet parte laborante; & ita simul, ac eodem tempore fiet reuulsio, atque deriuatio: quod videtur Celsus significare in lib 2. cap. 10. dum inquit, quod proximum enim locum primò exhauritur: ex vlteriorib⁹ autem eatenus sanguinem sequitur, quatenus emittitur; vbi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem.

Cur euacuatio in eodem latere fit reuulsio & deriuatio.

Quare non rectè sentiunt, qui existimant eam, quæ fit in eodem latere affecto euacuationem, non esse reuulsionem, sed deriuationem; quia manifestè contradicit Galeno, qui in 13. met. cap. 11. de iecoris inflammatione loquens, hæc habet. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, hoc est deriuandus, qui ad iecur fluit sanguis est, internâ in dextro cubito infectâ venâ:

na: propterea quòd & è regione & ampla via cum vena, quę caua dicitur, societatem habet. Immo ipsa reuulsio quandoq; nedum à longinquis fieri vult Hippocrates, & Galenus, verũ etiam ex proximis, vt apparet in 5. aphor. 68. vbi parte capitis posteriore dolente, rectâ in fronte incisâ venâ, prodest. Galenus hanc euacuationem auersionem vocat secundũ profunditatem. Hic quoque 6.epid. com. 2. text. 32. oculorum fluxiones ad palatum per acria remedia ad nares reuelli docet. Vnde non parum obliquè sentit Argenterius in Arte parua, qui nedum in eodem latere factam venę sectionem, sed etiam in diuerso, vt in altero crure, dum alterum afficitur, dicit esse deriuationem, non autem reuulsionem; cùm arbitretur ex proximis vijs fieri eam detractionem; & tamen certum est ex longinquis fieri retractionem.

Reuulsio secũdum profunditatem, quomodo vocetur à Gal.

Nullum enim dubium est, quòd Galenus, & ratio ipsa dictat ab eadem vena posse fieri simul reuulsionem, & deriuationem, vt clarè patet in 2. acut text. 10. Vbi superiorum cõdolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis, & velocius tũ reuellere, tum vacuare possit. Non negandum tamen alicubi Galenum aliam partem, aliamque venam destinare reuulsioni, & aliam deriuationi, huic quidem proximam, illi verò lõginquam, vt patet 4. meth. cap. 6. Si, inquit, perpetuum est, quòd ab eo didicimus incipientem fluxionem ad contraria trahendum esse, vel ab ipsa particula, quæ affligitur, vel à maximè vicina, in promptu nobis de sanguinis detractione colligere est, quòd in principio hæc à longinquo, postea ab ipsis laborantibus partibus sit instruenda.

Reuulsio & deriuatio ex eadem vena simul fieri potest.

Cæterum nonnulli sunt, qui contendunt in reuulsione, quę per latitudinem fit, non seruari rectitudinem, sed tantummodo in illa quæ fit per longitudinem obseruari. Nam dicunt, quòd in hepatis inflammatione sectio venę in cubito sinistro, & vno crure affecto, secta vena in altero, rectitudinem non seruat. Respondetur, haud necessarium esse venam, quę ob reuulsionem aperitur, cum parte affecta rectam communionẽ habe-

An κατ' ἴξιν per latitudinem obseruetur.

habere: sed satis est vnam partem saltem, vbi fluxionis est origo, communicare, teste Galeno primo ad Glauc. cap. 14. Et licet communicatio cum parte laborante videatur tantum deriuationi competere; cùm tamen ex ipso 2. ad Glauc. cap. 2. & deriuationis, & reuulsinis communes sint venæ, vtriquæ competere debet. Quapropter sicuti in vtraque ęqua seruāda est societas, & communio: ita etiam in ambabus dimensionibus seruari debet rectitudo; tam scilicet in ijs, quę fiunt per longitudinē, quàm quę p latitudinē, vt videtur à Galeno significari in 3. super l. Hipp. de fract. text. 10. vbi κατ' ἴξιν inquit semper Hippocratē ex directo intelligere aliquando per longitudinē corporis, aliquando per latitudinē: quod etiā ex ipsomet Galeno confirmatur loco iam allegato in 2. ad Glauc.

Reuulsio ab ijs partibus moliēda quę cū parte affecta consentiunt.

Cùm igitur ex Hippocrate, & Gal. constet ab alijs partib⁹ moliendam esse reuulsionē, quę cum particula laborante consortium habent; modò se se offert occasio, vt quęram vtrum satius sit reuulsionem fieri à communi fonte, vnde oritur fluxionis materia: an autem à loco peculiari, & proximo, è quo ad particulam laborantem demandatur humor. Verùm cùm iam dictum sit ex Galeno 2. ad Glauc. c. 2. reuulsionis, & deriuationis communes esse vias, non videtur huiusmodi consensus & communicatio æqualiter obseruari in reuulsione, ac in deriuatione; quādoquidem cùm intentio reuellentis sit, vt materia fluens, vel fluxura versus fluxionis originem, seu fontem retrahatur, ea vena debet aperiri, quæ cum ipsa fluxionis origine consensum, & communionem habet; vel saltem ab alia, quæ huic proximè consentiat. In deriuatione verò illa secanda est vena, quę cum ipsamet parte laborāte immediatè consentit, & ab ea, vel alia illi proximiori possit exhaurire. Rectior igitur, & proprior erit illa reuulsio, in qua propius fluxionis origini aperietur vena: quò longius autem huic origini, & propius ipsi particulæ laboranti erit vena, quę debet reserari, eò proprior, & rectior erit deriuatio.

Reuulsio an à communi fonte, an à peculiari loco, vnde oritur fluxio, facienda.

Reuulsionis intentio quę sit, & quomodo faciēda.

Quæ vena in deriuatione secanda.

Reuulsio, & deriuatio pprior, & rectior quę sit.

Dicunt ergo pro reuulsione facienda sanguinem ad fontē, à quo fluere incipit, quantum fieri potest reuocandum. Et

Reuulsionis mod⁹ ex aliorū sētentia.

locum vbi molienda est venæ sectio, necessariò debere esse remotum, quoniam si loco ipsi affecto proximus esset, facilè fieri posset, vt sanguis maiori cum impetu ad partem dolentem, & calentem rueret: nam vena quæ à loco patiente longius distat, & cum parte mittente consensum habet, facilè potest sanguinis ad partem affectam ruentis impetum sistere, & ad contrariam partem reuocare: hoc autem commodissimè fieri asserunt venâ in opposito brachio adapertâ. Nullam enim dari venam, aiunt, quæ ab affecta particula sit remotior, & cum parte mittente, hoc est heppate, & vena caua maiorem consensum habeant, quàm dicta oppsiti cubiti vena.

Cur Argenter. Sennert. ac alij recentiorũ ex diuersi & longinqua parte sãguinem detrahi cũ alijs consentiant.

In horum sententiam Argenterius quoque, & Senertus, & plures alij ex recentioribus facilè deuenerunt, eò quòd, vt arbitror, videntes nedum Archigenem, Aurelianum, & cæteros eiusdem sectæ Authores, sed, & Hippocratem ipsum cum Galeno in secundo de nat hum. t. 9. & alibi præcipisse ad rectam reuulsionem faciendam à longissima, & contraria parte esse trahendum, ob id statuunt in affectu lateris dextri venam esse secandam in gibbero sinistro.

Cõtrarietas & distantia ex opp sito brachio quomodo ĩtelligenda sit apud Galenũ.

Verùm ita nec Hippocrates quidem, nec Galenus sentit: quãdoquidem illa contrarietas, & distantia penès Galenum secundũ physicam dimensionem debet intelligi saltem in maxima plenitudine. Nam partium corporis rectitudo, & societas, tam certa est, & perspicua, vt non modò Hippocrates in plerisq; locis, sed ipsamet sagax natura pręclarissimè nos docet in suis spontinis expulsionibus. Quare eos tum internos, tum externos, tàm dextros, quàm sinistros, superiores, & inferiores partium internarum, & viarum tractus, respectus, oppositiones, & consensus, quos celeberrimi commenti sunt Viri Mattheus Curtius, & Manardus nõ esse dico mera illorum figmẽta, vt inquit ipse Sennertus, sed esse conspicuas, & mirabiles naturæ architecturas, quibus sanè vtitur illa ad hoc videlicet, vt vniuerso corpori sua vtrinque bona æquè distribuat, & vt particulas omnes ab intẽsis occursionibus commodius vindicet, & illis celerius suppetias ferat. Propterea quod non est mirum si Hipp. & Gal. naturę nu-

tibus

tibus, ac sensum et ipso optimè instructi, sępè in omni reuulsione facienda κατ' ἴξιν semper obseruari præceperint: cùm ex oppositi lateris venarum sectione vel nullam, vel tardam fieri eductionē doceat ipse Gal. in 2. ad Glauc. cap. 2. & de sangu. miss. c. 16.

Vena eiusdē lateris affecti quas habeat cōditiones.

Porrò si per illos commodior est oppositi brachij vena ad reuellendum, eò quòd cum fluxionis origine, & cum parte mandante consensum habeat, & ab affecta parte longissimè dissideat, non ne vena brachij lateris affecti hisce duabus quoq; gaudet cō-ditionibus? Imò hęc cùm pręter has duas conditiones aliam potiorem habeat, nempè rectitudinem, multò rectior, & efficatior fiet reuulsio apertâ eiusdem lateris venâ, quàm oppositi lateris.

Cur laborāte dextro cubito iubet Gal. mitti sanguinem in dextro crure, nō autem in dextro brachio et vno crure laborante, in altero venā secat.

Sed contra hanc Hippocratis, & Galeni inuiolabilem obseruandæ rectitudinis, & societatis legem se se offert non leue dubium: & est. Cur Gal. in 13. meth. cap. 11. laborante dextro cubito iubet mitti sanguinem non in dextro brachio, sed in dextro crure: in 13. autem meth. cap. 5. iubet vno crure laborante, secari venam in altero: vbi nulla videtur seruari societas, & rectitudo? Respondetur, quòd licet nulla societas venarū sit inter crus dextrum, & sinistrum; tamen cùm brachij dextri venæ communicent cum vena caua, cum qua communicant etiam venæ cruris dextri, non inconuenit vtramq; partem habere communionem, & si non per venas peculiares, saltem per communem cauę truncum, à quo tanquā à fonte, & fluxionis origine scaturit sanguis, qui fluit ad brachium. Vsq; adeo enim Gal. rectitudinem ęstimat, ac illi tam fidit, vt esto id legi suę superiorum cum superioribus videretur derogare, maluit tamen in rectitudinis gratiā diametrū tā longitudinis, quā latitudinis obseruare: & hoc nō absq; ratione, quia cùm æquè distent venæ brachij dextri à venis sinistri, sicuti vnius cruris ab alterius venis, si venarum cōmunionem, & rectitudinem vellet obseruare, non aliunde profecto inchoare potuisset reuulsionem, nisi ex eiusdem lateris pede.

Cur Gal. in rectitudinis gratiā obseruat diametrum longitudinis & latitudinis.

Cur ī cruris affectu non obseruat rectitudinem.

Cur autē non idem seruauerit in cruris affectu, maior est difficultas: quæ adhuc maior inde euadit, quòd ipse Gal. pręcipit in ipso 13. meth. c. 11. si phlegmone est in crure, manus esse vinciendas, quod etiā confirmat in 2. ad Glauc. c. 2. vbi genu phlegmone

labo-

laborante iubet venam in superioribus venis aperiri, hoc fecit, non vt deriuationem faceret, sicuti Argenterius existimat, cùm plurima sit inter vnum, & alterum crus distantia, nec illa intercedat venarum communio, quam exposcit deriuatio, sed vt reuelleret: vnde ego arbitror Galenum in crure affecto non eiusdem lateris brachij venam secuisse, sed alterius cruris ob duas potissimum causas; tum ob humoris grauitatem, tum prauitatem: ratione illius, quoniam is neutiquam potuisset eius pondere, & crassitie sursum ferri: huius autem, quia minimè decuerat eum morbosum humorem ad nobilissimas partes abripere, ne illius praua qualitate cor, & spiritus eius vitales inquinarentur. Tum quia licet nulla videretur esse rectitudo inter vnum, & alterum crus; tamen ratione cõmunitatis venarum dicitur vnum crus habere cum altero societatem, ambo enim trahunt à caua descendente circa fæmur. Et idcircò dicebat ipse Galenus in lib. de venæ sectione cap. 19. optimam fieri euacuationem per venas deductas ab ijs, quæ in partibus ipsis sunt sitæ.

Crus vnum quomodo cõsensũ habeat cum altero.

Verùm si in 13. meth. cap. 11. in crurum phlegmone in brachijs, seu manibus iusserit fieri ligaturas, id fecit, quia supponit vtraque crura laborare; quo casu non licet in ijsdem partibus affectis fieri ligaturas, vt ipse ibidem inquit; & ob id necessum erat manus vincire: sicuti manibus vtrisque affectis iubet crura deuinciri.

Cur Gal. in genu malè affecto secat venã in brachijs.

In 2. autem ad Glauc. c. 2. si in genu phlegmone affecto secat venam in brachijs, hoc fecit, quia hîc exquisita aderat plethora, quæ commodius poterat ex brachijs, quàm ex cruribus minorari: tum quia hîc nõ supponit adesse humoris prauitatem, quemadmodum in eo, quem supponit in 13 meth. cap. 11. quo casu ipse Galenus fatetur necessitate cogi, ex altero crure sanguinem exhaurire.

Modò his ita se habentibus, totam hanc controuersiam sex potissimum conclusionibus dirimendam, ac huius veritatem stabilendam fore existimarem.

Prima conclusio.

Prima est. Si æger pleuritide laborans sit plethoricus, & fir-

mis præſtet viribus, atque morbus adhuc ſit in principio; tunc ex oppoſiti lateris cubito, vel etiam, ſi occaſio obtulerit, ex remota parte tuto fieri poſſe inſignem ſanguinis detractionẽ ſtatuo. Paulus lib. 6. cap. 4. Io: Arculan. in 9. Alman. c. 68. & Sennert. l. 2. p. 2. c. 18.

In quo caſu, & quomodo liceat, in oppoſito latere vel à quauis diſtanti parte venam ſecare.

Secunda. Si autem vel nulla, vel mediocris ſit corporis plenitudo, aut vires non admodum ſint robuſtæ, aut morbus principium exceſſerit, ita vt materia partim iam fluxa ſit, & firmata, partimque etiamnum fluat, & fluxura ſit, tunc in eodem latere aperienda eſt vena.

Secũda concluſio.

Tertia. Non infitiar tamen, quando pro plenitudinis, morbi, & virtutis ratione effatu digna facienda ſit euacuatio, poſſe etiam in corpore plethorico, & robuſto in eodem latere commodiſſimè venam aperiri. Nam parum intereſſe putarẽ in vtro latere fieret euacuatio, dummodo fons ſanguinis, & fluxionis origo ſufficienter hauriretur: tàm dextri enim quàm ſiniſtri lateris venæ pei æquè trahunt, & detrahunt à caua. Hanc concluſionem optimè tueri videtur Gal. in 13. meth. cap. 11. Vbi methodum docens curandæ alicuius præcipuæ partis inflammationis, hæc ſcribit. Supponamus, inquit, cuidam iecur iam cœpiſſe inflãmationem contrahere: ante omnia animaduertendum eſt, an in toto corpore ſit plenitudo; & ex ętate vires ſunt perpendendæ: quòd ſi hæ adfuerint, tunc & reuellendus, & educẽdus qui ad iecur fluit, sãguis eſt, internâ in dextro cubito inſectâ venâ: propterea quòd & è regione, & amplâ viâ cum vena, quæ caua nuncupatur, ſocietatem habet.

Tertia cõcl.

Quando ab eodem latere in plethoria inſignis fieri poſſit ſãguinis detractio.

Sed clarius adhuc confirmari videtur ab Aetio tetr. 2. ſer. 1 cap. 100. Vbi inquit. Siquidem igitur multitudo fuerit, quę diſtendit, viribus fortibus exiſtentibus, vena ſecetur, & ex magna vena inflãmatæ, aut dolenti parti propinqua ſanguis auferatur. Si verò debiles fuerint vires, reuulſio fiat, & deriuatio ſurſum, aut deorſum, aut vtrinque, aut per frictiones. Vitioſis autem humoribus ſolis infeſtantibus, purgatio fiat.

Quarta. Quando pleuritis eſt peſtilens, vulgaris, pernitioſaque

Quarta concluſio.

ſaq; aut maligna, vbi ſcilicet in corpore prauorũ humorũ ſit plenitudo; tunc non ab eodẽ latere, ſed à diuerſo facienda eſt retractio; vt ſcilicet pernitioſus ſanguis nedum à latere phlegmone obſeſſo quantum fieri poſſit longiſſimè auertatur, ſed à principibus etiam membris procul diſtrahatur; quod quidem longè tutius pręſtari poſſet ex cruribus, aut malleolis, quàm ex ſuperioribus venis; quemadmodum Apollonius in ſe ipſo, ac in alijs fecit in Aſiatica illa Peſtilentia. Quod eo magis efficiendum eſt in muliere, cui ſuppreſſi ſunt menſes, aut puerperia: aut in viro, cui conſueta ſedis defecerit euacuatio: veluti etiã id ipſum à Galeno factitatũ eſſe haud ignoramus, qui in libello de venæ ſectione in comitiali, vertiginoſoq; morbo præcautionis gratia iubet ex inferiorum venis fieri reuulſionem: quiue in lib. meth. manu affectã, in crure, vel pede venas ſecari mandat: & vno crure abſceſſu laborãte, ex altero cauit fieri euacuationem: quod quidem eum effeciſſe volunt, ne prauus humor ad principes partes ſurripiatur, ſed ab eis procul auertatur.

Quo caſu ex diuerſo latere retrahendum.

Quinta concluſio.

Quando ex longiſſima parte facienda ſit detractio.

Quinta. Si morbus non ſit præſens, ſed futurus, aut ſi adſit, non vrgeat, ita vt præſeruationis gratia tantum molienda ſit reuulſio; tunc licebit ad quàm maximè longinquam partem facere euacuationẽ, vt docet Galenus in lib. de ſangu. miſſ. cap. 19. vbi in podagræ obnoxijs, ex cubito ſanguinem exhauriri iubet, & in ijs, qui à comitiali morbo ſunt præſeruandi, ex cruribus mittit: at ſi ſecus ſe res habeat, ex diſtanti quidem regione fieri poteſt reuulſio; verùm hac conditione, vt ſcilicet ex communibus venis efficiatur; aut ab eo, vnde, ſic loquar, originatur fluxio, teſte Galeno primo ad Glauc. c. 14.

Sexta cõcluſio.

Quando ab vtranis parte detrahendum.

Sexta. In quibus affectibus nullo modo cognoſcitur membri laborantis rectitudo, & ſocietas, in ijs licebit abſque vllo lateris delectu, è quauis parte ſanguinem detrahere. Quod Galenus animaduertit in 6. epid. com. 2. text. 14. vt mox infra clarius apparebit.

Reuulſionis leges vbi nequeant obſeruari.

Tametſi vniuerſum corpus naturali quadam diſpoſitione, & ſtructura ſit bipartitum, vt, ſicuti paulò ſupra dicebamus, par vas, parque particula peræquè inſit tam dextrę parti, quàm ſiniſtræ:

nistræ: propterquam dispositionem Medicus, & natura in suis euacuationibus teneatur partium rectitudinem, & societatem obseruare: veruntamen multæ sunt in corpore nostro partes interiores, quæ quia vel nullam, vel satis obscuram habent eiusmodi bifidam particionem, non videtur in harum fluxionibus, & vacuationibus posse vllo modo reuulsionis leges, & conditiones assequi: vnde cùm in harum partium affectibus prorsum ignoremus, quæ sit peculiariter pars affecta, & vtra earum regio sit dextra an sinistra, tunc citra vllam laterum differentiam, & discrimen licebit ex qualibet regione venam aperire: quod videtur Galenus innuere in 6. epid. com. 2. text. 14. his verbis.

In quib⁹ affectib⁹ nō possit sciri ex qua parte facienda sit reuulsio.

Quòd in nonnullis planè dignosci potest an tumores in partibus infernis, vel supernis è regione sint facti, nec ne: vt quòd varices è regione orto abscessu furorē abstulerint, haud perspicere licebit in dextris ne, an in sinistris cerebri partibus affectu obortoin furorem acti fuerint: quemadmodum neque si diutius tussientibus sine lateris dolore abscessus in testiculum fiat: atqui forsan, & in his locis recta oppositio seruatur; & si vtra pulmonis, aut cerebri pars affecta sit, haud certo sciamus: quia & melancholiam sanguinis per venas sedis effusio plerumq; sanare potest; neque tunc nobis loci passi rectam oppositionem cognoscentib⁹: sanguinis quoque ex vtero copiosum profluuium multos curare morbos omnibus in aperto est: sed neque hîc an ex dextris vteri venis, an ex sinistris, an ex vtrisque excretio facta sit, agnoscere possumus. In his itaque affectibus cognitu difficilis est, vel omnino ignota languentis membri recta oppositio: in quibus verò ipsam dignoscere licebit, & in ijs Hippocrates, vt videtur, considerandum esse ait, num semꝑ ex abscessibus ad inferiora trāsmutatis meliores illi sint, qui secundum rectam oppositionem fiunt. Hæc Galenus. Quibus innuit nobis, quòd in morbo, qui totam aliquam interiorem partem insignem æqualiter occupat, diuinari non potest vtra pars magis è regione partem ipsam laborantem respiciat, & consequenter à quo latere facienda sit reuulsio, planè ignoratur: quo casu vel à dextris, vel à sinistris fiat, & si non nihil referre videatur, tamen quidquam criminis

In quo casu nihil criminis adscribēdum est Medico.

Medico adſcribendum.

In quibus morbis ex qualibet parte fieri poſſit euacuatio.

Quocirca in febribus putridis, in delirijs, & cæteris totius cerebri morbis, & in ſynanche, in peripneumonia, pleuritide, cardialgia, doloribus, ac inflãmationibus ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, vteri, pudendorum, & ſimilium partium interiorum morbis; in ijs item, qui ab aliquo morbo præſeruari cupiunt, in omnibus id genus caſibus licet à qualibet vena cuiuſpiam lateris ſanguinem ducere. Verùm enim verò, cùm quibuſdam dictarum partium inſit, vt dixi, bifida diuiſio, & omnibus ſuum latus dextrum, & ſiniſtrum, & cuilibet propria venarum communicatio, vt dictum eſt, ſicuti impoſſibile non eſt in vna parte phlegmonem excitari, altera illęſa; ita inutile planè, neque prorſus impoſſibile eſſet dignoſcere, in quo latere exiſtat paſſio; quoniam cùm harum pars aliqua in vno latere inflammationem patiatur, haud difficile erit ex ſuis proprijs notis depręhendere latus affectum. Quapropter ne in vlla quicquam errari contingat, ſed vt oculatiori ſtudio curatio impendatur, quadam prius vti contemplatione opus eſt, num ſcilicet his qui laborat, aut alicui morbo obnoxius eſt, magis in vna quàm in altera parte dolorem, aut calorem, aut grauitatem, aut tenſionis, vel vlcerationis ſenſum percipiat: quo caſu eius lateris rectitudo ſeligenda eſt: num etiam natura ſit lienoſus, aut ięcuroſus: huic enim ex cubito dextro detrahendus eſt ſanguis; illi autem ex ſiniſtro. Item ſi ex ſolita hęmorrhoydarum, aut menſium purgatione ſuppreſſa morbus exoriatur: hi ſiquidem hirudinibus podici, & venarum ſectionibus, aut ſcarificationibus talis, vel poplitibus adhibitis curari debent. Si in aliqua parte debili quis affici conſueuit, ex robuſtiori, & è regione oppoſitæ parti euacuandum. Si demum citra vllum horum totum euacuandum ſit, ex communioribus venis, nempè cubiti dextri exequendum, niſi ſit naturæ melancholicæ, & lienoſæ, qui tunc potius à ſiniſtro minuendus. Si autem alicuius partis gratia facienda ſit vacuatio, à parte quæ magis illi è directo reſpondeat, facienda eſt reuulſio. In his enim caſibus huiuſmodi cautione,

Partium internarum inflãmationẽ cognoſcendi, & curandi modus.

Quando à cõmunibus venis ſit euacuandum.

Quò caſu è di

tione, & coniecturâ adhibitâ, licebit à patiente particula recedere: cùm enim pars quæpiam insignis ob eius plenitudinem, ac robur ad aliquã aliam partem fluxionẽ dirigat, tunc à mittente potius, quàm à recipiente procuranda reuulsio, ac directio: quemadmodũ si alicuius consuetæ vacuationis suppressio, vt in muliere mensium retentio sit pleuritidis, vel mamarum, vel cerebri membranarum inflammationis occasio; tunc non ab interiori, vel superiori cubiti vena mittendus est sanguis, sed ab illis, quæ in cruribus, aut malleolis existunt, seruata tamen partis laborantis rectitudine. Cogimur enim inquit Galenus 13. meth. cap. 5. alias sanguinem mittere, idque aut venâ incisâ, aut membris ijs, quæ læsa non sunt, scarificatis: siquidem longissimè (vt cap. 11.) à tentata fluxione parte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit.

recta parte facienda sit euacuatio. Quibus casibus cautione & coniectura liceat à parte laborãte recedere ĩ reuellendo. Quando à mittente particula euacuandum.

Quibus sic compositis, haud difficilè erit eorũ rationes, & autoritates demoliri, qui asserebant ex distanti, & opposito latere pro reuulsione facienda venam aperiendam.

Responsio ad primę Classis rationes, & autoritates.

Et primò ad illam Hippocratis auctoritatem in 5. aphor. 68. & 6. ep. com. 2. tex. 27. respondetur cum Galeno in com. eam in fronte venæ sectionem, licet ex contraria parte videatur facta, non tamen reuulsionis leges excedere dicimus, quia cùm fiat secundum profunditatis diametrum, seruat rectitudinem, & societatem: nam ipsa frontis vena in vtramque capitis partem æquè disseminata ad occiput vsque vtrinq; perducitur. Quare nil melius poterat tum reuulsionis, tum deriuationis gratia ab occipitio ad sinciput materiam auertere, quàm ex secta in fronte vena: quàm rectâ viâ inquit Hippocrates, & Galenus ab ipsa postica parte sanguinem exhaurire, & reuellere.

Responsio ad Hippocratis autoritatem

Galeni autem locis in com. ipsius aphor. & 5. meth. cap. 3. vbi reuulsionem statuit fieri ad oppositas, & longinquas regiones, vt à superioribus ad inferiores, & à dextris, ad sinistras, iam abundè satisfactum esse putamus in superioribus, vbi diximus in physica quapiã corporis dispartitione omnes

tres mathematicas dimensiones posse reperiri, vt in regione corporis infima, hoc est, quæ infra renes existit, secundum longitudinem dantur partes superiores, vt coxendix, vterus, renes: inferiores autem pedes, & crura: sicuti penès latitudinem dextræ, & sinistræ, &c. Et propterea in illis locis Hippocr. & Galenus intelligunt de distantia, & oppositione secundum mathematicam dispositionem; vnde licet dicant reuulsiones fieri oportere ad contraria, & ad maximè longinqua, non ita tamen hoc sibi volunt, vt vnum, vel alterum saltem diametrum excedamus; quoniam intra vnius diametri limites reperitur illa contrarietas, & distantia, de qua scribunt. Et hac ratione licet Hippocrates dicat in 2. de nat. hum. text. 9. vt quàm longissimè ab eo, quo fit sanguinis confluxio, venarum sectiones fiant; tamen hanc legem in praxim deducens in 5. aphor. 68. in affectu posticæ partis capitis, in antica iubet fieri reuulsionem: sicuti facit in alijs corporis diametris exemplo naturæ, vt ab hypochondrijs ad nares, & à mammis ad vterum. Ita licet Galenus sæpius dixerit à superis ad inferas, à dextris ad sinistras, & ad alias oppositiones faciendas esse reuulsiones; tamen nusquam reperies eum in praxi excedisse vnum in reuellendo diametrum: at si constet in secundo ad Glauc. capitulo secundo ad alterum etiam accessisse diametrum, vt quando in vno crure affecto, secat venam in altero, hoc fecit ea ratione, quam paulò supra attulimus.

Distantia & oppositio partium secundum mathematicam dispositionem quę sit penes Hippocratē, & Galenum.

Huic quoque alia accedit ratio, quæ est, quòd in morbis quibusdam membrorum exterioribus, vbi tanta non est morbi vehementis vrgentia, quæ sicuti in interiorum morbis acutis sollicitet Medicum ad maturandam curationem, fas est rectitudinis legem transgrediendo, in opposito latere facere detractionem: tum quia iuxtà Galeni decretum ex communi fluxionis fonte sanguis exhauritur. Quod etiam in hoc casu fecisse constat Celsum in 2. lib. cap. 10. vbi laborante humero sinistro, consulit in dextro brachio venam aperiri.

In quarum partiū morbis fas est rectitudinis legē transgredi.

Ad Hippocratis autem loca in 2. de nat. hum. & lib. de humor. dicimus vt supra, quòd vbi citra vllam insignem inflammationē,

In quo casu licet ex Hip.

aut alium morbum ex fluxione ortum, præseruationis gratia solâ opus habemus reuulsione, tunc spreta laterum rectitudine, & vasorum communione, licebit à quapiam longinqua, & contraria parte facere venarum incisiones, quemadmodum fieri iubet ijsdem locis Hippocrates, & Cornel.

poerate à lōgīqua & opposita parte euacuare.

Responsio ad eos qui. &c.

Ad eos verò, qui contendunt missionem sanguinis ex eodem latere haud esse reuulsionē, sed deriuationem, respondeo, quòd cùm in qualibet trium corporis regionum, vt dixi, trina detur dimensio, sufficiens reperitur distantia, qua fit nedum deriuatio, sed etiam commodissima reuulsio: tàm distat enim latus sinistrū à dextro cubito mediante caua, quàm dextrū latus à cubito dextro: sed hoc pluris habet eiusdem lateris euacuatio, quòd præter æquam distantiam, peculiari quoque fruitur lateris familiaritate, propterquam commodius suum assequitur finem.

Quo casu ex opposita, & distāti regione possit reuelli.

Cur consultius sit ex eodem latere facere reuulsionem:

Ad alteram rationem iam responsum est posse quidem in incipiente pleuritide, vbi adest plenitudo cum virium robore, ex longinqua, & opposita parte fieri reuulsionem; tametsi consultius fore duximus ex eodem latere in æqua liberali portione administrari; quoniam vtrique fons communis patet caua. Præstat quidem citra impetum morbi alicuius peracuti, quin nullo præsente morbo, sed vel imminente, vel ex consuetudine futuro, solius præseruationis gratia in remotissima, vel contraria parte fieri euacuationem: quę tunc efficacius ab eo, quo humor vergit, aut inclinat, eum desuescere faciet, quo cum ex communibus vasis propius exhauriet.

Responsio ad recentiores Medicos.

Ad illam recentiorum Medicorum rationem, qua contendunt reuulsionem ex opposito latere factam omnia illa loca præstare, quæ desiderantur in reuulsione: respondeo, quòd si hanc sibi supponerent veritatem, quòd à reuulsione ex eodem latere facta nedum trahatur humor versus partem affectam; sed potius è contra humorem, ne ad eam fluat, procul amoueri; immo quod iam fluxus est, exhauriri; multò quippe validius reuellere confiterentur eam, quæ fit à communibus venis, & ab ijs, quæ cum affecta parte habent societatem, quàm ab ea, quæ nec communionem, nec rectitudinem vllam habent.

Reuulsio quę multò validior sit.

Non

Non nego tamen quin à latere opposito fieri possit, dummodo in supradictis casibus cum dictis conditionibus efficiatur.

Ad id verò, quòd asseritur de Araborum experimento cũ maximo semper emolumento circa lateris oppositi euacuationem diutissimè facto, idem asserendum posse dicimus de Grçcorũ non minori tempore, & fructu exercitatã reuulsione.

Responsio ad Scaligerum.

Ad Scaligeri tandem artificiosam rationem respondeo, quòd si ipse venarum progressus, & diametrorum differentias optimè caluisset, sicuti de his nullam, aut satis rudem habere peritiam ex suis dictis demonstrat, vtique non ita obliquè de hac re sensisset, nec tàm falsè argumentatus esset: nam vena in eodem latere affecto incisa non solum non trahit in ipsum latus affectum, sed potius ab ipso latere, & ab ipsa parte affecta: quoniam vena in brachio aperta cùm non transeat ꝑ ipsummet latus affectũ sicuti ille videtur arbitrari, haud primò trahit ab ipso latere, vt fortè existimabat, sed potius à vena axillari, deinde à caua vtriq; lateri æquè cõmuni, quæ postea per suos ascendentes ramos, qui ab ea in thoracem diuaricantur, à latere trahit affecto, quod potius respectu cauę se habet vt pars exterior, quàm interior, vt credebat Scaliger. Cæterum non modò quod fluxit eiusdem lateris reuulsio vacuat, sed etiam validius, quod fluit retrocedere facit. Neq; fallax eius experientia quidquam probat, quoniam si in ea quantitate, & recta vtendi ratione, & cum alijs reuulsionis conditionibus venam secuisset, quam Hippocr. & Galenus docent, non herclè eo sic infelici successu res processisset, sicuti ille scribit. Atque hæc de loco secandæ in pleuritide venę.

Sanguinis missio in qua parte facienda sit ĩ Pleuripneumonia

Ex quibus ergo facilè erit colligere in qua parte licebit in Pleuripneumonia sanguinem mittere: nam in quo latere dolor percipietur, ex brachio eiusdem oportebit fieri euacuationem, nisi maxima adsit sanguinis plenitudo, quo casu, vt dictum est, licebit prima vice ex oppositi lateris brachio facere detractionem: alijs autem vicibus ex brachio dolentis lateris.

In vtriusq; lateris dolore vbi detrahendum.

Si autem in vtroque latere sentiatur dolor, tunc eodem die ex vtroque brachio facienda erit euacuatio, alijs autem vici-

bus;

bus, si opus fuerit, ex quouis cubito fas erit detrahere, modò scilicet ex vno, modò ex altero. At si in medio pectore, aut nullibi percipiatur dolor, tunc ex vtrouis brachio licebit venam secare: cum hoc tamen, vt si opus fuerit pluries sanguinem mittere, nunc ex vno, nunc ex alio cubito mittes. In cæteris verò casibus, vbi scilicet mensium, aut lochiorum, aut hęmorrhoydum adest suppressio, aut fluxio, ea seruanda sunt, quæ in superioribus diximus, & vt mox in subsequentibus planius exponemus.

Quādo in vtrouis latere euacuari possit.

Ex qua vena in puerperis, & quibus soliti menses erumpunt, facienda sit sanguinis detractio.

CAPVT VI.

VErùm hîc multò difficilior se se offert dubitatio: quando scilicet Mulier siue menstruosa, siue puerpera, peripneumoniâ, aut pleuritide laborat, è qua parte debeat sanguinis missione curari: an scilicet ratione dictarum partium affectarum pro reuulsione secundum κατ' ἴξιν efficienda, melius sit ex brachijs phlebotomari: an ratione mensium supprimēdorum metus, satius sit ex malleolis sanguinem haurire: quocunque modo te geras, discrimina non effugies, quoniam si primum tentes, in hanc incides Syllam, nempè facta è superioribus venis, vt opus est, insigni euacuatione, reuelluntur mēses, aut puerperia versus principes partes euocantur, ex quo quidem ob prauam illius materię conditionem, & vehementiam, aut celeris mortis pericula incurres, aut saltem sæuissima symptomata non euitabis. Si ad alterum autem te conuertas, in hanc Charybdim vtrunque præcipitabis; etenim facta ex malleolis, aut poplitibus, vt res exigit, sanguinis detractione (ex pedibus enim nihil mentione dignum educi dicit Galen. 14. de sangu. miss.) alterum duorum incōmodum non euades, aut nimirum non tantam facies è longissima parte euacuationem, quanta requiritur ad reuellendum à parte laborante sāgui-

Difficilima dubitatio.

Duo incommoda ex phlebotomia in puerperis

guinis impetum: aut prius ab vtero, & eius vasis menstruum sanguinem retrahendo, vtilem fluxionem supprimes, quàm à superioribus dictis partibus reuulsionem facies: vbi enim maxima non adest sanguinis plenitudo, facilimum est misso ex saphena liberaliter sanguine, menstruam purgationem cohiberi. Nam vbi ex hęmorrhoidibus, vel vtero immodica fiat fluxio, si crura fortius deuinciantur, sæpius aliquid ad partes inferiores attrahi scribit Galenus in primo ad Glauc. cap. 14. vnde Hippocrates in 2. de morb. mulier. Ad copiosos mensium fluores inhibendos præcipiebat cucurbitulam inguinibus admoueri, & brachia, cruraque etiam deuinciri. Cæterum si horum discriminum vetādorum gratia modicam facies ex pedibus detractionem, nihil à superioribus reuellens, irrita prorsus erit talis euacuatio: si autem insignem feceris eductionem, vires binâ memorabili euacuatione iam defatigatas iterum affliges. Quid ergo in tam periculosa difficultate deliberandum? Num à tanto Medicinæ præsidio vulgi, ac muliercularum more penitus abstinebis, totum hoc negotium naturæ relinquendo? Nequaquam, quia in vrgenti tam casu, in quo ob magnitudinem morbi, procul dubio necessaria est magni huius remedij præmatura executio, antequam natura eius paulatinâ purgatione à superis partibus sanguinis affluentiam auertisset, iam in parte phlegmon esset confirmatus.

Periculosa curatio.

In qua difficultate cùm multâ cautione procedendum sit, multiplex adhibenda est distinctio: aut enim mulier est menstruosa, aut puerpera: si menstruosa, non ita res est periculi plena: aut ergo mulier hisce morbis acutis laborare incipiens, hoc tempore te accersiuerit, quo menses erumpere inceperint, aut cum fluxio iam deficiat: si primò, audias quid Galenus docet in 9. meth. cap. 5. Itaque, ait, si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hęmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu, ipse satis fore videbitur qui solus quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittens, sin minus, tantum ipse (ex inferioribus scilicet venis) detrahes, quo ex coiunctis ambobus perficitur quod postulas. Si autem circa eiusdem fluxionis

Pleuritica mulier, cui mēstrua incipiat purgatio, quomodo tractāda.

nis finem accesseris, & eam pro morbi decremento non suffecisse cognoueris, satius tibi erit nihil amplius benefitij ex venarum inferiorum purgatione expectando, ad venas superiores te conuertas, ex eis tantum sanguinis detrahendo, quantum videbitur ipsi morbo supplere: cum hoc tamen, vt tunc temporis strictè deuinciantur crura.

Hoc etiam animaduersum volo, quòd si tibi occurrat eo tempore venam secare, quando vel propè purgationis tempus, vel iam recenter desierit fluxio, tunc oportet vel ex malleolis, vel, si morbus vehementer vrgeat, ex brachijs cum crurum ligaturis sanguinem mittere.

Petri diuersi de mẽstruarũ, aut puerperarum pleuriticarũ curatione peculiaris animaduersio.

In puerpera autem religiosius incedendum. In quo casu magnifacienda est Petri Salij Diuersi Fauentini Viri quidem sapientissimi de hac re peculiaris animaduersio, quę lib. de affect. par. cap. 23. ita se habet. Quo ad sectionem venę considerandum est; an morbus acutus vel in principio puerperij, vel in medio tempore, vel in vltimis diebus partus puerperã apprehenderit: Si enim hoc à principio factum sit, licet in morbis acutis florente ætate, & constantibus viribus, semper sit secanda vena: tamen cùm à partu statim, & per primos illos dies copiosè naturaliter expurgentur mulieres, nulla alia tentanda sanguinis euacuatio, quàm quæ à natura rectè, & naturaliter operante dirrigitur: quę tamen si supprimatur, vel imminuatur, tum ad tollendum morbum, & affectum præter naturam, tum ad prouocandam naturalem euacuationem, secentur venæ inferiores, & copiosè mittatur sanguis: quoniam copiosa etiam esse debet ex præscripto naturæ mensium tunc temporis purgatio. Si autem medio tempore acutus superueniat morbus, duo consideranda erunt, primum an morbus pendeat vel à materia in particulari loco conculcata, vel à materia sparsa. Secundum, an mulier conuenienti expurgetur mensura, vel non: si, à sparsa generetur morbus materia, vt fit in febribus, mulierque non perfectè expurgata sit statim ad sectionem venarum inferiorum descendere debemus; Quoniam hinc materię minorationẽ, & naturalis expurgationis prouocationem habebimus. Si autem mulier sufficienter expur-

Duo cõsideranda in medio puerperij tempore.

Puerpera quando à venis inferiorib⁹ curãda.

getur, morbusque inualescat, nec euacuatio naturalis morbo satisfaciat, venas inferiores secabis, tantumque detrahes, quod ex coniunctis ambobus proficiatur, quod postulat morbus, vt docuit Galenus lib. 9. meth. capitulo quinto. Si tamen febris admodum intensa, incendiumque magnum aderit, id fiat, quod nunc in morbo à materia in loco particolari conclusa, & putrescente, facto, agendum esse declaro. Vbi particularis aderit acutus morbus, vt puta pleuritis, vel angina, vel similis alius affectus, si grauis is sit, valdeque instet, & indicet de sectione venæ; siue expurgetur sufficienter, siue non; statim deueniendum est ad sectionem venarum superiorum, è directo loci affecti existentium, & ei proximiorum; quoniã ita à loco affecto euacuantes morbum facilius tollemus, quàm si inferiores secemus, quæ nec proximæ sunt loco affecto, nec ab eo euacuare possunt; immo has secantes virtutem ax euacuatione labefactabimus, & materiam in loco particulari conclusam non minuemus: hoc patet exemplo anginę, qua instãte, secanda est statim humeralis vena, vt à loco affecto educatur, & reuellatur materia: Si autem inferiores secueris, vel totum ferè sanguinem educes ad reuellendam, & euacuandã materiam suffocantem, vel ex ea sectione adeo tarda succedet vtilitas, vt prius mulier ex angina ea extincta fuerit, quàm persentiat reuulsam fuisse materiam à loco affecto. Hoc tamen cum hac conditione exequatur, quòd antequam minister ad secandam accedat venam, fiant frictiones ad coxas, & crura: quibus factis fiant ligaturæ dolorosæ in medio coxarum, ita quod deriuetur, quoad secta fuerit vena: à misso sanguine paulò post soluantur, & tunc cucurbitulæ ijsdem ad coxas in parte inferiori applicentur, vel saltem frictiones illæ repetantur. Hinc habebimus materiei peccantis minorationem, loci affecti alleuiationem, & purgationum naturalium conseruationem. Hoc idem censeo faciendum esse in febribus ardentibus, & vehementibus: quoniam licet materia sit sparsa, tamen incendium tantum est circa cor, & viscera, vt ex eorum longinquæ venæ sectione, non ita mitigari, & extingui

Quãdo ex superioribus.

Anginoso quæ vena secanda.

Conditiones requisitę in secãdis superioribus venis in Puerpera.

qui flamma possit, sicuti ex proxima, & maiori, qualis est basilica. Quem curandi modum non solum prædictis rationib⁹ persuasus, seruandum esse censeo, sed etiam affirmo me hoc fælici experientia confirmasse. Quod idem non solum in puerperis, sed etiam in cæteris mulieribus morbo acuto detentis, dum menstrua purgatione naturaliter euacuantur, seruãdum: hoc vnum tantum animaduertens, vt dum in principio copiosè purgantur, rem naturæ dimittam, post principium autem statim supradictis conditionibus obseruatis, ad superiorum venarum sectionem deuenio, indeque vtilitatem ægrotantium salutari euentu consequor. Si autem in vltimis diebus puerperę morbo acuto laborauerint, ijsdem conditionibus habitis, & obseruatis idem agatur, quod docui agendum esse in medio tempore, hoc animaduertens, quòd semper quo magis distamus à die partus, eo tutius possumus ad venarum superiorum sectionem ascendere; quo autem magis illi appropinquamus, etiam in medio tempore, hoc idem maiori cum præmeditatione agendum erit: nisiq; instet morbus, vrgeatque eius acuties, sique naturalis expurgatio copiosa fuerit, ab eis abstinere poterimus: si autem non copiosè expurgentur, venas inferiores ad supplementum debitæ quantitatis secabimus: si tamen oppositum contigerit, seruetur id, quod vrgente, & instante acuto morbo agendũ esse declaraui; venæque superiores in talibus casibus nulla cum hęsitatione, sed tuto, & cum ratione secentur. Et hucusque Diuersus.

Puerperarũ vena sectione curandarũ animaduersio.

Puerpæ circa ultimos dies quomodo tractandę.

Cuius aureum consilium ego sępius adamussim obseruatus fateor me plurimas mulieres ab exitialibus morbis, imminentibusque vitæ periculis vindicasse.

Verùm quia non rarò contingit, vt tanta sit in corpore plenitudo, vt propter hanc, licet copiosa sit mulieribus naturalis purgatio, cùm tamen ratione morbi vehementiæ quandoque non sufficiat, sæpè sub copiosæ purgationis fide visa sit mulier vi morbi protinus interfecta. Et propterea dum vnà cum virium robore summa adest plenitudo, esto quod men-

Cautum.

Copiosæ mulierum purgationi quãdo non fidendum, & qd agendum.

menses, aut puerperia liberali fluxione principient, morbo acriter ferociente, huiusmodi spontaneæ purgationi non fidendum; sed perspicaciter obseruandum est, an ex huiusmodi copiosa euacuatione ad tertium, vel quartum vsque diem, & ad septimũ etiam cum virium constantia symptomata sint remissa, nec ne: si non Medicus tunc spretâ huiusmodi purgatione, audacter, ac sine vlla dilatione debet ex superioribus venis sanguinem ducere; adhibitis nimirum tunc temporis ad crura, atque fęmora, quę Diuersus docet, reuulsorijs: tametsi non negem posse etiam ex sectis malleolorum venis quandoque vberiori aut mediocri vicibus repetitis sanguinis euacuatione suppleri. Ego autem in eiusmodi casu fælici cum euentu ita consuesco facere: vt scilicet inualescenti lateris inflãmationi maturatè suppetias feram, nulla interposita mora iubeo crura supra genu arctissimè deuinciri, & tunc temporis cubiti eiusdem lateris venas secari, & ad libram circiter sanguinem detrahi: dimissis postea infra dimidium horę ligaturis: tum verò ne menstruosa colluuies doloris, inflammationisque vi sursum ferratur, & vt ab affecta parte humoris affluentia procul auertatur, statuo, vt transactis à prima vacuatione decem aut duodecim horis, aut plus, aut minus, prout morbus requiret, & vires admittent, aliæ nouem, aut decem vnciæ extrahantur à saphena pedis latus affectũ ex directo prospicientis. Et hoc modo deoneratâ primis diebus naturâ, non modò naturalis illa purgatio non cohibetur; sed potius remissâ, quæ sursum materiam illam rapiebat, occasione, hoc est & superiorum partium inflammatione, & febris vehementiâ, vijsque ab obstructionibus ferè liberatis, facilitatur, & augetur.

Mulieribus quo casu potest ex malleolis fieri euacuatio.

Autoris solita curatio.

E contra qui aut vecordiâ, aut inscitiâ hoc tantum præsidij genus omittunt, in magno discrimine ægrum relinquunt. Quare non nullos Medicos noui, qui totum id negotium naturæ committentes, dum reuulsionem naturalem morbo suffecturam expectarent, prius ęgram morbi vehementia iugulatam cum magno eorum dedecore inuenerunt.

Vecordia ac inscitia Medici cuius discriminis sit causa.

Quocirca ijs multò satius foret, si suppressionis metu illud efficerent, quod consulunt tum Mercatus libro quarto cap. 10. de

morb.

morb. mul. tum Sennertus lib. 4. p. 2. sec. 7. cap. 11. Hi namq; præstantissimi Viri, ne vitiosum, quinimo pernitiosum hunc naturæ motum cum superiorum venarum sectione adiuuent, sed vt potius auertant, præcipiunt primò ex pedibus, vel poplitibus per plures vices fieri detractionem: deinde, si his affectio non cedat, ad superiorum venarum apertionem accedi volunt: ac inde tot vicibus, tantumque sanguinis detrahendum, quousque morbi vehementia videatur sedari. Quem medendi modum ego summopere comendo, & fateor me non raro hunc fælici cũ successu in vsum deduxisse.

Mercati, & Sennerti cõsilium.

Tandem, vt in hac re tam ardua, & periculosa nihil desit, quod Medicus tum animaduertere, tum suppetias ferre valeat, quædam notatu perdigna subiungam, quæ ipse Lud. Mercatus magnæ eruditionis Vir, scriptis reliquit in tom. 3. lib. 4. cap. 11. suæ opulentissimæ Practicæ hisce verbis. Sed maiorem prorsus, & grauiorem infert dubitationem affectus, qui ex morboso corporis apparatu proficiscitur vtero se sc optimè expurgante (nam si rectè non purgetur, prædictam diligentiam requirit) quod eo tempore nec reuocare, neque citare vteri purgationem liceat, nec rursus alijs vacuationibus naturam distrahere, aut aliquam illi contrariam mouere. In quo sanè ancipiti casu vel affectus exacerbabitur, nullo facto præsidio; vel si aliquod præstiteris, natura à proprio munere distrahetur, & fortasse puerperium præpeditum fiet materia morbi. Quamobrem tunc videndum est purgata ne satis fæmina fuerit, an minimè; quòd si puerperij purgationem, vt par est, præcessisse compertum sit; aliam, qualé affectus postulauerit excitare, si vrgentissimus fuerit, non erit ab re. Si verò mitior, tenuiori victu, & optimo viuendi genere affectum cõterrere satius erit, quàm ob leue periculum, in certũ, in grauius, & certius naturam deferre, distractam à necessaria, & consueta vacuatione. At si compertum fuerit puerperium satis naturæ non esse, nullum aliud reperire poteris prę stantius præsidium, quàm vlteriorem efficere per vterum purgationem, vel per aliquam ex ijs, quæ eius defectum antea supplere diximus. Hæc ille.

Ludouici Mercati notanda.

Puerpera quando alia sanguinis detractione sit euacuanda, et quãdo nõ.

Quo-

Quid satius sit in puerperijs, & mēsibus imminutis.

Quocirca dum ipsi menses, aut puerperia ex naturę modo non effluant, non semper tuta res est sanguinis missione ex malleolis ipsam purgationem excitare; sed satius est & securius alijs præsidijs vti, & præsertim ijs, quæ vteri venas aperiunt, tum scilicet quæ intra sumuntur, tum quæ subtus adhibentur: quemadmodum consueuit facere summus Hippocrates, qui in tot similibus casibus, qui leguntur in lib. epid. nullibi reperitur ipsum secuisse venam, sed diureticis, glandibus, vel pessarijs, & suffitibus vsum esse: vt clarius apparet in lib. morb. mulier. quod etiam videtur innuere in 6. epid. com. 2. text. 29. vbi inquit. Reuellere si quo non oportet, vergat: si quo autem non oportet, his opus est aperire, quemadmodum singula vergunt.

Hippocratis cōsuetudo in huiusmodi casibus.

E qua parte in mensium, & hæmorrhoidum suppressione facienda est sanguinis euacuatio.

CAPVT VII.

SVperest alia quædam dubitatio, quæ à nonnullis excitari solet, vtra scilicet vena sit tundenda, vbi cum huiusmodi vehementibus morbis suppressi sunt menses, aut hęmorrhoides. In qua re nedum apud Græcos ferè omnes, sed etiam apud Arabes in suppressis mensibus, & hęmorrhoidibus quocunque morbo acuto per vrgente perpetuò non alias venas aperiri sancitum est, quàm poplitum, aut malleolorum, nec non ipsarum hæmorrhoidum.

Graecorū, & Araborum decretum.

E contra cùm iam dictum sit eam, quæ ex secta in pedibus, aut cruribus vena, fit euacuatio, vel parum, vel nihil prodesse ad reuellendū à superioribus partib' inflāmationē patiētib', satius esse duximus in huiusmodi morbis acutis, in quib' præsentanea debetur curatio, cubitorum venas tundere: nam ex his venis citò, ac tuto reuellitur fluxio, & simul exoneratur natura. Sed hæc etiam aliqua opus habet distinctione, namque talis mensium, aut hęmorrhoidum in mulieribus suppres-

Pedum, & crurū venarum euacuatio aut nihil, aut parum trahit à superioribus.

sio, vel est recens, vel antiquata: si recens, aut cum plethorica, aut cacochyma plenitudine: si cum prima, inchoanda est curatio à superiorum venarum sectione; deinde ex inferioribus iteranda: sin autem ab altera plenitudine, aut à modica sanguinis repletione, ex malleolis tantum est detrahendum, si menses fuerint suppressi: si autem hæmorrhoides, ab his euacuandũ est. At si inueterata sit mensium suppressio, tunc Aetij consilio in lib. 16. cap. 57. auspicanda est à superiorib⁹ venæ sectio: deinceps tum pro integra detractione, & reuulsione; tum etiam pro euacuandis mensibus tundendę inferiores venæ.

In mensium inueterata suppressione ex qua vena euacuãdũ.

Qua sanguinis quantitate debeat in Pleuripneumonia procedi.

CAPVT VIII.

VErùm enim circa rectum sanguinis detrahendi vsum in Pleuripneumonia sese offert etiam sanguinis euacuãdi quantitas, quæ equidem tantæ difficultatis est mensuratu, quantę facilitatis aberratu: nam nihil est profecto in re nostra, in quo Medici frequentius, & pernitiosius delinquunt, quàm in sanguinis quantitate. Etenim iustam sanguinis educendi mensurã definiri coniecturale est, teste Galeno de sangu. miss. cap. 14. & 2. acut. text. 37. quin, vt primo ad Glauc. cap. 8. ait, non paruam hoc exigit experientiam, tum alias ob causas, tũ quia neque scribi, neque omnino sermone edoceri singulorũ quantitas potest. Cùmq; ijsdem locis constet sanguinis hauriendi quantitatem ex virium robore demetiri, difficilimum est ipsarum virium tenorem adamussim deprehendere; quoniam id non nisi quadam coniecturali ratione ex ætate, natura, anni tempore, habitu, morbo, causis, viuendi forma, pulsu, facultatum dispositione, tolerantia, & conferentia, & similibus habita consequi potest.

Quid difficilius cognitu, & facilius aberratu sit in Medicina.

Cùm igitur ipsa quantitas ad sanguineam materiam relata in continuam, & discretam diuidatur: continua autem prout

Quantitas duplex.

spectat

ſpectat ad ſanguinis copiam, ad morbum, ad vires, ad ętatem, eò maior, vel minor eſſe debet, quò ipſi quatuor ſcopi maiorem, aut minorem vim habent: quoniam ſi redundat ſanguis, morb⁹ ſit vehemens, & vires validæ, atque ætas florens, proculdubio ſanguis maiori quantitate eſt euacuandus: nam intentio quantitatis euacuationis, inquit Galenus in primo aphor. 3. non ſolum humorem reſpicit ſuprabundantem, ſed & naturam, id eſt vires hominis, qui debet euacuari: alij enim minus, alij magis perferunt euacuationes, quod Oribaſius ſignificauit in 7. collect. cap. 2. dum inquit primas mittendi ſanguinis intentiones eſſe plenitudinis quantitatē, & qualitatē, tum virium robur, aut imbecillitatē.

Quãtitas cõtinua quatenus maior ſit & minor.

Nec eſt vt hîc quiſpiam dubitans dicat, ſi Galenus in 9. de ſangu. miſſ. & in 4. meth. cap. 6. aduerſus Menodotum monet ne ex ſanguinis redundantia, ſed ex morbi magnitudine, & ex virium robore deſumatur ſanguinis miſſionis indicatio, plenitudo ſanguinis nõ debet inter ſcopos mittendi ſanguinis conumerari. Quia (reſpondetur) ſi ſanguinis plenitudo conſideretur vt eſt materia peccans, quę per ſe indicat quid agendũ, non autẽ quo agendũ, non indicabit ſanguinis miſſionẽ, quæ vt validum auxiliũ, ſe habet vt quo agendum, ſed ſanguinis euacuationem: & propterea Galenus in ijs locis iure optimo dicebat venæ ſectionem vt remedium validum indicari vt quo non à ſanguinis redundãtia, ſed à magnitudine morbi, & à virium robore: vt quod autem ſumitur à materia ſanguinea peccante.

Dubitatio aduerſus Menodotum.

Sãguinis plenitudo vt materia peccans quid indicet.

Venę ſectio à quo indicetur.

Quo loco obiter notandum eſt, quod materia ſanguinea peccans non propriè indicat, vt quod, venæ ſectionem, neque propriè ſanguinis euacuationem (licet hoc nõ ita à Capiuacceo ſentiatur) ſed eius correctiuum. Verùm an venę ſectione, an alio quouis peculiari auxilio debeat corrigi, aut vacuari, non ad ipſius materiæ ſanguineæ vitium ſpectat, ſed ad ſanguinis plenitudinẽ, quæ quidem per ſe indicat vt quo agendum, venæ ſectionem, ſeù ſanguinis euacuationem quouis alio particulari inſtrumento factam: quoniã ſanguinis vitium non poteſt ſolum ſanguinis detractione emendari, ſed alia expoſcit remedia, vt ſi peccat quantitate, non ſolum venę ſectione, ſed etiam hirudinibus, cucur-

Materiæ ſanguineæ vitium.

bitu-

bitulis, scarificationibus, inædia & id genus alijs remedijs, quæ sanguinem euacuant, emendatur: si autem qualitate peccet, hoc est nimia caliditate, aut subtilitate aut acredine, non possunt huiusmodi vitia sanguinis missione auferi; sed opus habent refrigerantibus, humectantibus, incrassantibus, & acutiem obtundentibus, vt testatur Gal. in 4. acut. text. 19. Non igitur semper venæ sectio indicatur à sanguinis vitio, cùm aliquando secetur vena nullo prorsus existente in sanguine præsentaneo vitio, nisi forte in potentia, vt in dolore ex fracturis, & articulorum dislocationibus, in quibus nullum adest præsens in sanguine vitiũ, sed tantum motu potest in futurum peccare, cùm ratione doloris factâ sanguinis ad partem dolentem fluxione, possit excitari inflammatio, quę postea per se indicat venæ sectionem. Sed vt eò reuertar, vnde sum digressus, concludo sanguinis vitium per se indicare remedium corrigens; sanguinis verò vitium in copia indicare, vt quod, sanguinis euacuationem, vt quo autem, venæ sectionem.

Sãguinis vitium qd indicet.

Cùm igitur materię vitium ex Oribasio, & Galeno spectetur penes vel quantitatem, vel qualitatem, quantitas, dum summa est, facit illam plenitudinem, quæ dicitur ad vasa, & plethora vocatur exquisita, in qua omnes humores æquâ mole toto corpore redundant: si autem mole non excedant, aut mediocrem, aut nullam facit plenitudinem. Qualitate verò peccat, dum nõ ex æquo humores omnes exuberant, sed cum exigua sanguinis portione cæteri humores alieni largius abundant, tunc fit illa plenitudinis species, quam ad vires, seu cacochymiam legitimã vocant. Vbi verò cum sanguine prædominante alius prędominatur humor, fit plethora notha: cùm autem exiguæ sanguinis portioni cæteri prædominantur humores non multum à sanguinis natura recedentes, fit cacochymia notha. Verùm tam plethora, quàm cacochymia fit dupliciter notha, vel scilicet ob aduentitiam aliquam qualitatem putredine, aut inquinamẽto perpetratam, vel ob insitam humorum à sanguine differentium naturam. Aliæ quoque qualitates adscititiæ possunt vtramque plenitudinem notham efficere, vt vel nimia caliditas vel frigidi-

Materiæ vitium dupliciter spectatũ.
Duplex plenitudo:

Plethora notha quando fiat.
Cacochymia notha quãdo fiat.
Plethora, & cacochymia quomodo dupliciter fiant nothæ.

tas, vel humiditas, vel siccitas; sicuti acuties, acredo, tenuitas, crassities, lentor, & huiusmodi.

Si igitur adsit plethora exquisita, tunc ipsa materia sanguinea sic peccans maximam indicat euacuationem: si sit plethora notha, mediocrem; si cacochymia spuria, paucam: si exquisita nullam.

Plethoram exquisitã arguentia.

Quæ enim plethoram exquisitam arguere solent, præ cæteris sunt, si homo sit naturæ sanguineæ, ætatis floridæ, habitus musculosi, venosique, & rubicundi; qui pulsum habet magnum, & vehementem; quiue plurimo vti cibo, potuque & præsertim meraciori consueuerit; nec multum in laborib⁹ versetur, neque curis, aut venere, aut vigilijs, aut alijs euacuationib⁹ eius substantia digeratur; & qui tandem sæpè spõtinis sanguinis per nares, aut per vterum fluxionibus tentetur & præsertim cui dictarum aliqua suppressa est euacuatio; & cui denique sectâ venâ sanguis perualido impetu fluat, nec nisi effatu dignâ sanguinis eductione collabescat: cui verò hæc signa satis remissa sunt, hunc plethoram notham habere significat: at qui leuiorem adhuc horum omnium dispositionem obtinet, huic cacochimiam spuriam inesse signum est: & cui tandem omnino contraria inest dispositio, hic necessario exquisita præditus est cacochymia.

Plethoram nothã significantia.

Morbus quomodo augeatur.

Præter materiam peccantem, præcæteris morbus est, qui cum eius vrgentiâ, aut timore ad sui ablationem Medicum sollicitet, is nequit profligari, aut præcaueri, nisi causa illius continens simul auferatur, & hac ratione existimo Galenum exclusisse materiam peccantẽ ab indicantibus sanguinis euacuationem, eo quòd intenderet sub nomine morbi magni causam quoque simul compræhendi: quoniam eatenus morbus est magnus, aut paruus, quatenus causa eius morbi continens est magna, vel parua: & propterea non est mirum si cùm Medici curantis primarius scopus sit morbum profligare, secundariò prospicere debeat causę ipsius morbi gratia tantum auferendæ.

Morbus quatenus sit magnus, et paruus.

Scopus Medici primarius. Secundarius.

Morbi magnitudo.

At quia pro magnitudine morbi magna etiam molienda

est

est euacuatio, teste Galeno in lib. de opt. sect. & hęc sicuti morbus vires conuellit, hęc omnia Medico circunspicienda sunt, vt videlicet ad faciendam euacuationem primò virium quãtitatam exactè perpendat, & eas cum morbi substantia diligenter conferat: quoniã sępè contingit, vt cum morbi magnitudine vires sint exiguæ, quarum respectu neutiquam posset fieri magna, nec parua etiam detractio. Præstat quidem in morbi vehementia, dũ vires non per se, nec per resolutionẽ, sed ab humorum copia sunt oppressæ, ac debilitatæ, tutam fieri euacuationem, cum hac scilicet conditione, vt non vna vice, sed pluribus fiat detractio. Non inconuenit etiam, vt quandoque sęuiente morbi vehementiâ cum viribus deiectis, aliquam paruam, & paulatinam fieri posse euacuationem. Vbi autem cum viribus validis morbus est leuis, tunc vtilis potius, & secura, quàm necessaria quælibet euacuatio: dum autem & morbus, & vires æquè sunt mediocres, mediocri quoque opus est euacuatione: firmis verò & constantibus viribus, audacter, pro vt expostulat morbus, est euacuandum. Prostratis autem, etiam morbus exposcat, viribus, nulla prorsus tentanda est euacuatio. Secus enim non nisi inutilis esset, ac ignominiosa.

Quæ Medico circunspicienda circa virium quãtitatẽ, et morbi substantiã

Sed vt rectè dignoscamus in quo morbo oporteat nos facere sanguinis detractionem, & in quolibet exactam præscribere euacuationis mensuram, opere prætium est nos scire quanta sit morbi magnitudo, & quantæ sint vires. Sub nomine morbi non solum intelligitur morbus, sed etiam causa, & symptoma: sicuti nedum morb9 præsens, & iam factus, verũ etiam iminens, & incipiens. Morbus enim vt simpliciter morbus est, triplici nomine dicitur magnus, aut scilicet secundũ sui genus, nam maior est febris, quàm simplex inflammatio, & partis cuiusdam phlegmone grauius est, quàm simplex eiusdem intemperies. Aut secundum partis dignitatem, vt cordis, cerebri, hepatis, pulmonis, & similium partium morbus non nisi magnus esse potest: partium autem ignobilium, vt pedum, crurum, manuum, & aliarum non magnus est, sed

Morbi nomine quid intelligatur.

Morbus tripliciter dicitur magnus.

leuis: laterum verò diaphragmatis, ventriculi, lienis, renum, vesicæ, vteri, intestinorum morbi mediæ sunt conditionis, & eo grauiores, aut leuiores sunt, quo vel principibus sunt proximiores, vel vsus earum vitę conducibilior est, vel sensus exquisitior. Aut secundum prauam, & malignam, pernitiosamque conditionem dicitur magnus. Ita & causa eatenus magna vel leuis dicitur, quatenus aut humor, aut spiritus, aut qualitas plus, vel minus deterioris est conditionis, aut vehementioris actiuitatis: vnde ex vasorum, vel partium, vel totius plenitudinis quantitate, aut qualitate petitur causæ magnitudo, & paruitas. Pariter symptomatum magnitudinem, & leuitatem ex eorum intensione, & remissione depræhendimus.

Causa morbi quatenus dicatur magna & leuis.

Symptomatum magnitudo & leuitas vnde.

Cùm igitur vehemens aliquod morbi genus, vt febris ardens, aut visceris alicuius principalis, vel his vicini grauis inflammatio ex copiosa, aut magnæ actiuitatis materia ortum ducens hominem inuaserit, quem grauissimis accidentibus diù contorqueat, vt acerbo dolore, anxietate, corporis iactatione, intolerabili siti, continenti vigilia, & id genus alijs, hic equidem ex maximorum, & vehementium morborum numero æstimandus est. Et proterea is pro sui curatione magnam, & effau dignam exposcit euacuationem. In qno autem morbo hæc omnia leuiter, aut mediocriter se se habebunt, non nisi huius paruitatem, vel mediocritatem arguemus, & sic pariter eum congruenti euacuationis mensura tractabimus.

Vires in triplici materia consistunt.

Spiritus quot

Spirituũ proprij fontes.

Vires autem, quarum nomine intelligimus calidum cùm innatum, tum influens, in triplici materia, tanquam in suo proprio subiecto situantur, hoc est, teste Galeno 11. meth. capitulo primo, in spiritibus, in solida partium substantia, & in carnosis partibus: spiritus autem in animales, vitales, & naturales distinguntur: (nolo enim hîc, vt quidam in influentem, & insitum eos diuidere, cùm spiritus insitus nihil ab insito calore dissideat) planum est enim omnes spiritus influentes è tribus suorum principiorum fontibus scaturire, ac suis proprijs ductibus in vniuersum corpus dispartiri: animalem quippe è cerebro per neruos; vitalem è corde per arterias: naturalem è iecure per venas ef-

fun-

fundi. Cæterum ſicuti calor innatus ſingulis partibus implantatus, ab influenti calore vel ſpiritu fouetur, ac tuetur, ita totum animal ab vtriſque vitam ſuſcipit, & gubernatur. Quoniam tamdiù ipſum integrâ fruetur valetudine, quamdiu vtriuſque caloris eſſentia incolumis, & illibata permanſerit: quod quidem præſtabitur, quando eorum ſubſtantia, & qualitas in quadam iuſta, & moderata tum quantitatis, tum temperiei proportione conſiſtet. Si autem earundem moderatio ipſa præuertatur, tunc vtriuſque calidi naturâ labefactatâ, vis eorum imbecillior fiet, & ſubinde omnes naturales actiones lędentur, ac totius corporis œconomia cum ipſamet vita funditus euertetur.

Caloris innati paſſiones.

Vt igitur virium imbecillitatem, & robur, vitiaque, & integritatem depręhendamus, ex ſingulis earum functionibus, & ex ſuis proprijs effectibus, & ſignis internoſcemus. Vnde naturalis facultatis infirmitatem, & eius actionum læſionem indicabunt frequens flatuum, ac pituitæ per os, & nares reiectæ prouentus, vrinæ & alui excremetorum cruditas, atque fœtor & ſimilia. Vitalis imbecillitas, aut deprauatio ex pulſu paruo, languido, inæquali, crebro; ſicuti ex reſpiratione puſilla, crebra, inæquali, difficili, atque voce etiam exili, profunda, vel languida dignoſcetur: quod & crebra animi deliquia clarius ſolent præmonſtrare, dummodo ex plenitudine, ac oppreſſione non contingant. Virtutem animalem imbecillam, aut læſam oſtendunt ſenſuum, & motuum diminutiones, atque lęſiones, ſicuti mentis perturbationes, & aliarum principum facultatum deprauationes. Horum autem omnium oppoſiti euentus ipſarum virium robur, & firmitudinem arguunt.

Virium imbecillitas, robur, ac integritas ex quibus internoſcatur.

Verùm animaduerſione dignum eſt vires dupliciter fieri poſſe debiles, aut quatenus ſcilicet plenitudine opprimuntur, aut inanitione reſoluuntur: oppreſſæ enim euacuatione augentur: reſolutæ extinguntur. Harum diſtinctionem ex ijs notis deprehendas.

Vires quotupliciter & quomodo fiant debiles.

Virium reſolutionis inditia.

Vbi prægreſſa ſunt ea, quæ calidi naturalis, & influentis ſub-

substantiam resoluunt, vel eius temperiem immutant, non nisi languidas ex resolutione vires æstimabimus. Vbi verò nihil horum præcesserit, sed potius è contra quęcunque vasorum plenitudini, ac totius corporis infarcimento conducunt vires ex oppressione deiectas arguemus. Quę insitam autem, & influentem caliditatem dissipant, ac vires infringunt, res sunt præter naturam, naturales, & non naturales. Præternaturales sunt morbi, causæ, symptomata, hoc est febres, & potissimum putridæ, ardentes, malignę, pestilentes, grauissimę viscerum inflammationes, intensissimi dolores, immodicæ, symptomaticæque fluxiones, perdurantes vigilę, neruorum distentiones, mœrores, & similia. Ex naturalibus verò causis existunt temperamentum maximè calidum, & siccum, vel sumè frigidum, & humidum, corporis habitus, aut valdè gracilis, aut laxus, aut prauus, sic ætas tum prima, tum postrema, æstiui ac hyemales temporum excessus, vitiosæ consuetudines, & huiusmodi alia: hæc omnia autem necessariò reddunt, aut coarguunt caloris, & spirituum paupertatem, & simul virium languorem. Res quoque non naturales plurimum valent ad destruendam calidi, viriumque substantiam, vt aeris nedum immodicus feruor, aut rigor, seù nimia humiditas, vel siccitas; sed etiam alia quædam vitia, vt intollerabilis fætor, & halitus quidam putridi, ac venenosi, veluti qui ex corrupto, ac pestilenti aere, vel ex cadaueribus inhumatis, aut sepulchris, vel foueis recenter reserratis expirant: ad quod spectat spiritus ille virulentus, qui ab animalibus venenosis effunditur, aut quod ex morsu, vel ictu carni imprimitur: à quibus enim nostri spiritus coinquinati, dum feruntur ad cor, tota spirituum vniuersitas vsque adeo inficitur, vt vel insigniter infringãtur, vel paulò post extinguantur. Sic errata quę committuntur in cibo, atque potu, vt frequentes, ac intemperatæ ciborum praui succi, difficilis coctionis ingestiones, & haustus, ex quibus crudescentes, & praui in toto corpore, nedum in stomacho, & alijs prioribus vijs coaceruantur humores: sic immodicæ ventris, aut vesicę, vel vteri, vel hęmorrhoi-

Earundẽ oppressionis signa.

Calidum innatum dissipantia.

Causæ naturales vires infringentes.

Causæ naturales virum deiectiuæ.

rohidum, aut veneris inanitiones: nec non frequens, & prolixa nimis inedia: item desidiosa, inersque vita: sicuti contra nimius, vel insolitus, intempestiuusque labor & præsertim in ijs, qui circa balneas, stufas, & fornaces diu versantur, cùm æstu, & sudore nō paruum fiat spirituum, & substantiæ dispendium: quemadmodum etiam vigiliæ, curæ graues, ac tristia animi pathemata, atque repentinus animi dolor, sicuti gaudium, & cachinus: quæ omnia plurimam calidi, spirituumque substantiam exhauriendo, in causa sunt, vt ex ijs tanquam ex conspicuis notis non leuem factam esse virium roboris iacturam facilè deprehendamus.

Causę intrīsecus vires opprimentes.

Causæ autem quibus opprimuntur, vel suffocantur vires, cùm internæ sint, ac nobis inconspicuæ, eatenus vires creduntur opprimere, quatenus calidi influentis, ac insiti euentationis vias impediunt quominus ipse nec liberè perspirare, nec refici valeat: hæ autem sunt potissimum obstructiones, quæ quidem dupliciter fieri possunt, aut scilicet solâ quantitate vasa nimium replente, aut ab humorum crassitie, vel lẽtore, vel visciditate: locus verò, vbi frequentius fiunt, præceteris sunt viscerum principalium, vt pulmonis, cerebri, hepatis, lienis, mesenterij, & quandoque etiam totius corporis habitus venæ, ac arterię. Quę enim simplici mole replent, ea sunt, quæ maximè, citoque nutriunt, vt carnes, oua, caseus, & cætera lacticinia, & vinum poliferum vt præsertim nigrum, atque dulce: quibus si quis aut sæpius in die, aut plurima quantitate vescatur, & desidem traducat vitam, aut somnum non perficiat, huic certo habeas exquisitam inesse vasorum plenitudinem, quæ nisi quàm citò soluatur, non multo post obruentur vires.

Obstructiones quotupliciter & vbi fiant.

Simplici mole replentia.

Quocirca dum huiusce plethorici corporis vires, ex pulsu debili, aut ex totius corporis plenitudine, & grauitate tibi Medico videbuntur imbecillæ, non eas verè languidas, & resolutas ęstimato, sed solum oppressas, & penè obrutas: & proinde non verearis in hoc, si opus fuerit, insignem facere sanguinis euacuationem: immo etiam si nulla ferat occasio,

Vires quando nō lāguidæ, sed oppssæ sint æstimandæ.

con-

consilio Galeni in 4. de tu. val. c. 4. teneris saltem præseruationis gratia antequam morbus accedat, illi protinus sanguinem exhaurire. Cæterum tutum, ac perpetuum virium opressarum, & constantium signum tibi fuerit, si misso illi vel febricitanti, aut epileptico, aut pneumonico, aut anginoso liberaliter sanguine, vires quidem ex pulsu, & alijs notis non modo non minuantur, sed potius incrementum suscipiant, morbusque nihilo, aut parũ mitescat, aut si per illam diẽ plurimũ quidem fuerit imminutus; at postea ad suum redeat vigorem; tunc enim opus tibi fuerit audacter tantundem sanguinis euacuationem repetere; & sic alijs quoque vicibus, si tulerit casus, detrahendo te gesseris. Vbi autem è contra præcessis ijs, quæ vires potuerint infirmare, ac resoluere, causis, ne pulsui vel valido apparenti, nec vlli alio viriũ validitatem mentienti inditio fideas: cuius fallaciam ex eo dep̃henderis, dum scilicet detracto sanguine, non exultant, sed potius languidiores fiunt vires, & morbus ingrauescit. Et ex his omnibus signis facilè deprehendi poterit quanta sit spirituum, & insiti caloris vis, & virium existentia. Cuius autem innati caloris essentia ex partibus solidis, & carnosis quoque non parum elucescet: nam solidę partes intelliguntur à Galeno primo de nat. facul. cap. 7. venæ, arteriæ, nerui, ossa, chartilagines, membranæ, tunicæ, ligamenta, quæ quidem spermaticæ nuncupantur, & ab Hippocrate continentes: & secundum has partes pueri ob earum substantiam mollem effœtis sunt viribus: sicuti senes ob eiusdem substantiæ nimiam ariditatem propter humidi connati consumptionem, in quorum numero ponuntur hectici, & tabidi, atque maralmodes: iuuenes autem atque cosistentes sunt robusti, quòd firmæ illis sint ipsæ partes. Pro carnosa verò substantia non solum intelligitur illa, qua coalescunt musculi, verùm etiam substantia adiposa. Quare senibus, tabidis, & ematiatis ob eiusdem substantiæ deffectum, vires desiderantur.

Virium constantium & oppressarum tutum & p̃petuũ signũ quale.

Pulsui quando non fidendum.

Innati caloris essentia ex quibus dignoscatur.

Partes solidę quæ sint ex Galeno.

Pro carnosa substãtia qd intelligendũ

Quibus sic se habentibus sciendum est vires iuxta trinam hanc subiectam materiam posse esse aut validas, aut imbecilles, aut mediocres: ita constantes, aut debiles sunt vel secundum omnes illas tres materias, vel secundum duas, vel secundum vnam

Vires iuxta trinã dictam materiã triplices esse possunt.

tan-

tantum: vnde ex his omnibus octo conflari possunt differentiæ, præter illas, quæ ex illarum mediocritate constituerentur: duæ scilicet validitatis, & imbecillitatis secundum omnes tres materias, quæ vires simpliciter dicuntur: cæteræ verò sex secundum quid: nam vires esse possunt validę secundum solidas, & carnosas partes, infirmæ autem secundum spiritus, aliquæ secundum spiritus & solidas partes robustæ, secundum autem carnosas imbecilles: aliquæ secundum spiritus, & carnosas quidem robustę, at secundum solidas infirmæ: quædam infirmæ secundum spiritus, & carnosas validæ secundum solidas: aliquæ debiles secũdum solidas & carnosas, validæ secundum spiritus: nonnullę tãdem infirmæ secundum spiritus & solidas partes, robustæ autem secundum carnosas. Quarum omnium differentiarum inditia ex præternaturalibus, non naturalibus, & naturalibus rebus petito, veluti supra demonstratum est; nam hîc velle singulorum exempla afferre, esset rem penè in infinitum differre.

Virium differentiarum inditia ex qbus petenda.

Pro facienda enim sanguinis detractione nedum scire oportet virium simpliciter, & secundum quid dictarum quantitatem, sed etiam propriarum, & alienarum, ita etiam & præsentium, & futurarum tenorem. Enim verò vires proprias intelligunt mulieris vtero gerentis, alienas autem fœtus. Haud rarò siquidem euenit, vt mulier sit robusta; fœtus autem imbecillus: & è contra fœtu valido existente, mulier sit debilis: & propterea sæpè contingit, vt fœtus moriatur, & mulier superstes fiat: & contra mulier intereat, incolumi manente fœtu: quandoque etiam vterque moriatur, & quandoque ambo seruentur. Modo licet Medici munus sit ac intentio semper vtrumque seruare; tamen fieri potest, vt dum mulieri grauidę morbo aliquo magno laboranti, pro illius salute ipse vult sanguinem detrahere, hoc prohibeat fœtus imbecillus, siue ex se, siue ex ætate grandiore: tunc enim vt minus malum elligat, vt mulierem nimirum seruet, spreto ipso fœtu, debet eam sanguinis missione curare, adhibitâ tamen omni diligentia, vt si fieri possit, vtrumque seruet; quod fortasse pręstiterit, si iteratis vicibus sanguinem modicè detrahat. Si autem fœtus sit validus, & mulier infirma tutius quidem poterit illi

Pro facienda sanguinis detractione, quę viriũ notitia haberi debet.

Vires ppriæ et alienæ quę sint.

Medico quid prohibeat ne munus suum obire possit.

Minus malũ quid sit.

Fœtu valido, muliere autẽ infirma quid Medico faciẽdum.

Quid in vtriusq; infirmitate. illi sanguinem mittere, sed in modica quantitate. Si ambo sint robusti, nullum adest prohibens, & sic tuto potest pro morbi magnitudine & virium robore sanguinem exhaurire. In vtriusque autem imbecillitate, nulla tentanda est euacuatio. At vbi solius mulieris seruandę sit scopus, tunc nulla habita fętus ratione, vna tantum mulieris curandæ supererit indicatio.

Mulieris seruandę scopus qd expo scat.

Atqui quomodo dignosci poterunt vires fœtus existentis in vtero? Respondeo si fœtus parum ac infirmè moueatur, si ex imbecillo aut valetudinario parente sit generatus; sique mulier licet robusta, paucis, aut praui succi vescatur cibis, aut grauibus animi curis, vel mæroribus afficiatur, tunc eum non nisi imbecillis viribus esse conijcito: Si autem è contra hæc omnia se habeant, eundem validum existimato.

Fætus vterini vires quomodo dignosci possint.

An in sanguinis eductione, et purgatione debeat Medicus vires et præsẽtes, & futuras pręnoscere.

Num autem Medicus in sanguinis eductione, & in alterius purgantis remedij exibitione, quibus vires non parum lęduntur, debeat non modò præsentes vires diudicare, sed etiam futuras præsagire, quemadmodum ab omnibus ferè Medicis præcautum video, non ita res mihi plana videtur, quæ ceu integerimum documentum digna sit, quæ à nobis perpetuâ prosequatur obseruantiâ: quandoquidem pro huiusmodi prę cepto confirmando afferunt Galeni sententiam in primo ad Glauc. cap. 14. vbi scribit, quòd in febre cum alui fluxione, non alia opus sit euacuatione, quasi innuere velit vires, etsi in presenti sint validæ, cùm tamen à morbo, ac symptomate graui iugiter infringantur, neutiquam esse in posterum consituras. Hoc videtur idem, quod monet Aurelianus lib. 2. acut. text. 18. Vbi præcipit in morbo laterali, si vehemens fuerit dolor, sanguinem exhauriri, si nullus tamen ventris fluor aderit. Quod videtur ab Heraclio desumpsisse qui quidẽ, vt constat apud ipsum cap. 23. eiusdem, in fluxu ventris siue à natura, siue ab arte fiat, prohibet venæ sectionem, sed hoc clarius (addo ego) videtur ab Hippocrate significari in primo aphor. 9. dum in quit. Coniectandum est num æger cum tenuissimo victu possit tandiù perdurare, donec morbus consistat, & nũquid prius ille deficiat, nec possit cum tali victu persiste-

ſiſtere, vel prior morbus deficiat, ac eneruetur. Etenim ad profligandum, vel ſaltem infirmandum morbum indicatur illa, quæ cum tenuiſſimo victu fit, iudicatio: atqui cùm metuatur vires iam morbo eneruatas ab adiuncta ſibi ad ſtatum vſque inedia haud eſſe perduraturas, ne afflictæ magis affligantur, & concidant, cauet Hipp. Medicum adhibere coniecturam an vires poſſint in futurum vſque ad morbi conſiſtentiam perſiſtere, nec ne. Quòd ſi cognouerit eas ſatis fore perſtituras, vna cum morbo eo indicabunt tenuiſſimum victum: ſi verò è contra ſe habuerint, ipſum ꝓhibebunt. Hanc præcautionem in hoc caſu quidem obſeruandam eſſe confirmo, vbi videlicet cum morbi magnitudine aliud adiungitur, quod vim habeat vires diu magis digerendi, quemadmodũ cum febre alui profluuium, aut in ſumma morbi vehementia continui, aſperique dolores, aut ſanguinis eruptiones, & alia eiuſmodi ſymptomata, quę cùm maximè vires infringant explorandum eſt, num pro eorum curatione adiunctam illis ſanguinis miſſionem, huic verò extremam victus tenuitatem vires in futurum poſſint perferre: nam ſicuti miſſione ſanguinis fatiſcunt vires, ita tenuiſſimo victu non parum ægri delinquunt. Cùm igitur quis præcognouerit ægrotantis vires ob morbi, & alicuius ſymptomatis grauitatem haud poſſe in poſterum perdurare, nullam aliam debet tentare euacuationem, ſiue per venæ ſectionem, ſiue per medicamentum purgans, ſiue per exquiſitam inædiam.

Hippocratis cautũ ad cõiectandũ pro virib' de victu tenuiſſimo.

Sectio venæ, aut tenuiſſimus victus quando nequeant adhiberi.

Vbi verò quiſpiam aliquo vehementi morbo, aut ſimptomate ex ſangninis, aut aliorum humorum plenitudine oriundo, atque ſoto grauiter opprimatur, & eadem ex cauſa vires eius in poſterum grauius adhuc opprimendę ſint, & ad morbi ſtatum, aut ſolutionem minus ſuffecturæ, quin medio curſu ſub onere concaſuræ, in hoc caſu proculdubio Medicus, dum vires in præſenti ſubſiſtant, nullo habito virium futurarum reſpectu, quàm opido, tutoque debet plenitudinem exhaurire, aut aliâ quauis cauſâ lædente ablatâ, vires ſubleuare, quo ſcilicet ſarcinâ, qua premebantur exoneratæ, facilius

Quando Medico liceat nullo habito virium futurarum reſpectu ſanguinẽ mittere, aut aliud remedium euacuans adhibere

possint morbi vim sustinere, & materiam opprimentem, & alio modo lædentem expugnare: quod quidem apprimè consequi poterit sanguinis detractione, eâ nimirum quantitate, quā morbus cum causa, & vires præsentes exposcunt. Quare non possum nō grauiter illos Medicos criminari, qui in omni graui morbo ex quacunq; causa oborto tam magnifaciunt illud commune cautum, quòd nimirum vires tum præsentes, tum futuræ sint præ oculis habendę, vt id ipsum ceu quid perpetuum nullâ habitâ distinctione tanquam legem inuiolabilem obseruantes, non audent virium futurarū gratia sanguinem detrahere. Hoc enim pro læthalissimo habendum est errore, quoniam dum curādum suscepimus morbum, cuius causa generans, atque fouens à sanguinis missione possit remoueri, tantum abest, vt à dicta sanguinis detractione vires in futurum non sint ad ferendum sufficturæ, vt potius è contra molesto onere alleuatæ, vt dixi, magis subleuentur, ac magis inualescant.

Medicorum error ab Autore criminatus.

Vires quādo ex sanguinis missione non minuantur, sed potius augeantur.

Ætas.

Sequitur ætas florens, sub qua comprehenditur omnis ętas, quæ est inter primam, & postremam: hæc enim licet ex naturalibus rebus esse videatur, quæ non quid agendum indicant, sed quantum agendum; pro vt tamen refertur ad vires, quatenus scilicet puerilis, & decrepita ætas significat virium debilitatem, media autem earundem robur, videtur æquè vt vires sanguinis missionem indicare: mediæ quidem secundariò coindicantes, vel permittentes: extremæ verò pariter secundariò contraindicantes, vel prohibentes; tametsi ætas primò, & per se non indicet phlebotomiam, sed per accidens, & secundariò, hoc est mediante corporis habitu; quoniam ætas puerilis propter habitum mollem, & tenellum; senecta verò ob nimis durum & aridum prohibet venæ sectionem: quare non videtur verum, quòd ætas, vt Capiuacceus docet in 3. aph. sec. primæ, per se sola prohibeat venæ sectionem, vt puerilitas, & vltimum senium, quia non vt puer, nec vt senex, sed vt habitus mollis, & aridus prohibet phlebotomiam: tum quia ex senibus non nulli sunt, qui ob sāguinis plenitudinem, & virium constantiam, teste Galeno 13. de sangu. miss. commodè ferunt sanguinis detractionem. Quibusdam

Habitus puerilis et senilis quas vires indicent.

busdam octogenarijs citra periculum, & commodè mitti sanguinem, inquit Auer. 3. collect. capitulo quarto, vt ego pluries sum expertus.

Quomodo puerilis et senilis ætas ex Galeno non excludatur à sanguinis missione.

Neq; ab huius sententiæ recto semite quidquàm nos distorqueat Gal. cum suis de phlebotomia decretis, in quibus vetat infra decimum quartum annum, & supra septuagesimum sanguinis detractionem; quoniam licet in his ob virium infirmitatem prohibuerit confertam, & copiosam sanguinis euacuationem, non tamen hoc tantum præsidij genus ad quandam modicam tenuem que mensuram prohibet, vt conspicuò colligi potest in 14. de sangu. miss. ac in 11. meth. vbi in vrenti febre cum summa plenitudine, quæ insignem exposcit detractionem, iurè excipit pueros, & senes, qui nequeunt illam sustinere vacuationem: non ob id ergo susque deque illos ab omni sanguinis missione immunes fieri credendum est à Gal. sed quandam, vt dixi, mediocrē, aut modicam posse eos commodissimè sustinere, quemadmodū iudicatur à Caimo eloquentiâ, & doctrina prestantissimo Viro in suo de febrium putridarum indicatione libro secundo: nam omnis ferè ætatis pueros à grauissimis morbis sanguinis missione modò per cucurbitulas, sæpè per hirudines brachijs affixas, sepius per venam sectam vindicaui. Nec id me absque ratione, aut perperam fecisse quis credat, cum Auenzoar suo cuidam filio trimo sanguinem detraxerit: & Cælsus moneat non etati, sed virium robori attendendum; quoniam puer validus, senex robustus, & mulier vtero gerens viribus constans tuto sanguinis missione curantur. Id ex praxi comprobat Valeriola, qui lib. 5. enar. med. enar. 3. refert se in vno puero nonum, & in alio decimum annum agente sanguinem prospero cum successu detraxisse. Nec mirum, cùm videamus non rarò pueris impunè insignes hemorrhagias accidere: quod testatur Petrus Forestus, q. lib 1. de febr. in schol. ad obs. 21. hæc habet; sæpè lactantes infantes vidimus, quibus sanguis è naribus absque noxa vlla effluxit, vt iurè etiam pueris validioribus, aut febre laborantibus, vel vndecim annorum robustis sanguinem aliquando commodè detraximus.

Pueri cuiusq; uis ætatis sāguinis missiō liberati.

Cùm

Ægiptiorũ mos in curãdis pueris.

Arabes, qui ĩ pueris phlebotomiã exercuere.

Cùm igitur infinitus propemodũ sit puerorũ numerus, qui teste Prospero Alpino lib. 2. de Medicina Ægypti cap. 5. spõte facta sanguinis eruptione ab exitialibus morbis sint liberati, non extra rationem facere Ægyptios inquit, si in pueris morbo acuto correptis, perinde, ac in natu grandioribus, sãguinem mittant: quod & ipsosmet antiquiores Medicos factitasse scribit, inter quos præsertim extiterunt Arabes, vt non solum Auenzoar, sed etiam Auicennas lib. primo fen. 5. cap. 22. Rasis in lib. de phlebotomia, Haly Abbas lib. 9. cap. 2. & alij, qui non horruerunt in infantibus, & pueris quoque phlebotomiam exercere. Ac inter recentiores mihi maximè arridet Valerius Martinius celeberimus Medicus Venetus, qui libro 3. suæ practicæ med. cap. 7. scribit se pluries in peripneumonia, ac pleuritide, atque alijs morbis acutis laborantibus pueris, quatrimis venam brachij hirudinibus aperuisse, & annum septimum, vel octauum, aut nonum agentibus sanguinem per sectam venam detraxisse, & ab huiusmodi morbis omnes vindicasse.

Valerij Martinij experimenta.

Porro cùm frequenter pueri, atq; senes ob eorum edacitatẽ plusquam vires, vasaque ferant, oppleantur, dum morbo aliquo grauiter afficiantur, ac vires opprimantur, nullum aliud præstantius remedium potest in vsum deduci, quàm venæ sectio, hoc enim non modò vires nihilo resoluuntur, sed potius infesto onere subleuantur, ac robur suscipiunt.

Cùm ex his ergo pateat quænam sit materiæ, morbi, atq; virium quantitas, haud difficilè erit ijs proportionatam adaptare sanguinis euacuandi mensuram atque rectum vtendi modum.

Plethora exquisita, et notha & cacochymia spuria quã exposcat sãguinis quãtitatem.

Et primò quo ad materiam peccantem, iam diximus vbi plurima est sanguinis copia, ita vt plethora adsit exquisita, tutò nos posse effatu dignam sanguinis quantitatem exhaurire: in plethora autem notha non in tam pleniori quantitate: at in cacochymia spuria in minori adhuc portione. Quare ꝑ ipsius materię quãtitate, & qualitate maior, & minor faciẽda est euacuatio. Cùm enim suadeat Hipp. 1. aph. 3. pleniorem

illum

illum corporis habitum haud cunctanter soluendum esse expediat, si extrema fuerit sanguinis abundantia, ita vt vel calidi natiui suffocationem, vel insignis alicuius vasis disruptionem, vel mortem repentinam minari videatur: sic statim peræquè extrema est facienda sanguinis euacuatio, pro vt scilicet patientis vires exposcunt: neque tamen tam extrema est inanitio facienda, quà vasa prorsus concidant (hoc enim periculo plenum) sed qualis fuerit natura eius, qui debet sufferre, eo vsque progrediendum.

Magno etiam morbo proportionata conuenit euacuatio, quę quidem præceteris est venæ sectio, quam magnum esse remedium nullus inficias ibit, dummodo scilicet eâ quantitate fiat, quæ magnitudini morbi respondeat. Verùm ex magnis morbis, qui magnam exposcunt sanguinis euacuationē, tria potissimum genera recensentur à Galeno in 23. aph. sec. primæ, hoc est ardentissima febris, maxima inflammatio, & vehementissimus dolor, quibus è regione respondere inquit sanguinis emissionem vsque ad animi defectum. Vbi à plurimis insignibus Viris incusatur Montanus, qui his trib⁹ quartum morbi genus superadere voluit, nempè febrem synocam. Non enim ibi Gal. per ardentissimam febrem eam solum intellexit, quę oritur ex bile, vt forsitan ille arbitratus est, quod quidem à veritate abhorret, quoniam in ardentissima febre exquisita ex bile scilicet generata, non modò sanguinis missio ad animi vsque deliquium prohibetur, verùm nec etiam ferè vlla conueuit sanguinis euacuatio, vt patet ex Auicenna in communi febrium putridarum curatione, & ex Galeno primo de tuend. val. cap. 4. quare ibidem Gal. proponens febres vrentissimas, non intellexit causodes, sed synochos, vt apud ipsum apparet in 12. de sangu. miss. & in 2. de humor. com. 17. Rectius ergò ille forsitan egisset, si loco synochę febris addidisset extremam sanguinis plenitudinem, quia cùm in hac exitialissimi, repentinique morbi præcauendi gratia præcipiat Hipp. in dicto primo aphor. 3. quàm fęstinanter extremam nobis moliendam esse euacuationem, non alia quippe eidem

Morborum extremam sanguinis euacuationem requirentiũ tria sunt genera.

Mõtanus incusatur.

Febris ardens, ac vrẽtissima, quæ intelligatur à Galeno.

reple-

repletioni congruit euacuatio, quàm illa, quæ fit ad animi vsq; defectum: enim verò nihil aliud est, quod magis, & conuenientius extremam indicet huiusmodi plenitudinem, quàm extrema sanguinis euacuatio: quoniam sicuti extremorũ, contrariorumq; affectuum extrema sunt, & contraria remedia: ita magnus morbus, magnum, & sibi contrarium exposcit remedium: atqui morbus cum sua causa simpliciter, & absolutè consideratus indicat sui ablationem per suum contrarium: nam si calida sit intemperies, frigido curatur præsidio: si continuitas sit soluta, per id, quod continuitatem reparat, est curanda: sic aucta magnitudo, indicat remedium eam auferens. Ita quæpiam plenitudo, quæ imminentis morbi causa sit proxima, per maturam euacuationem prophylacticam indicat curationẽ, vt Gal. docet 11. meth. cap. 2. Quapropter ea ratione, qua morbus magnus magnum pro sui ablatione indicat remedium, eadem maxima plenitudo pro eius ablatione, maximam exposcit euacuationem: quare morbus, vt morbus est, indicat sui ablationem, vt causa autem sanguinis eductionem: quoniam per sanguinis missionem primò, & per se tollitur causa, siue sit plenitudo, siue fluxio, siue intemperies calida, qua sublata sequitur morbi subleuatio. Non igitur magnitudo morbi primò, ac per se indicat magnam sanguinis euacuationem, cùm nec magnum etiam remedium propriæ, ac vniuocè indicet, vt aliqui arbitrantur, quia non nulli sunt morbi magni, qui absq; vllo magno remedio possunt auferri, vt vehemens dolor in ossium dearticulatione, aut ex intestinorum implicatione, (vnde ileus vocatus dolor) solâ articulorum, ac intestinorum in suum naturalem statum reductione remouetur; sicuti ex aduerso multi sunt morbi non magni, qui à magno remedio remouentur. Sed verius est dicere quendam morbum magnum indicare quoddam remedium magnum. Quare concluditur, quòd sicuti non omnis magnus morbus primò, & per se indicat omne remedium magnum, sed determinatus determinatum, ita magna sanguinis euacuatio, quæ est remedium magnum, primò ac per se non indicatur à magnitudine morbi; sed à magna sanguinis plenitudine.

Extrema euacuatio cui magis competat.

Morbus cum sua causa sĩpliciter consideratus qd indicet.

Plenitudo iminẽtis morbi causa proxima quã indicet curationem.

Cur magnitudo morbi per se & primo non indicet magnam sanguinis euacuationẽ: Dolor articulorum dislocationis & Ileus quomodo auferatur

Neq;

Neq; etiam à viribus propriè, ac per se potest huiusmodi extrema euacuatio indicari, cùm ipsæ potius è conuersò earum custodiam, & præseruationem per similia, & adiectionē exposcant: quoniam etsi ex Galeno 12. de sangu. miss. primo aphor. 3. & de opt. sect. 19. sanguinis mittendi quantitas ex viribus demetienda sit, non ob id asserendum est eam, quæ fit vsquè ad animi deliquium euacuationem per se indicari à viribus sic simpliciter sumptis, quod dicendum non est, cùm potius æedem per cibi additionem expostulent sui custodiam, sed à viribus valde robustis, vt talem euacuationem permittentibus. Quare euacuationis quantitas seruanda est ex virium quantitate, vt eam permittente: species autem remedij, hoc est euacuatio per se sumitur à morbo, & ab eius causa, à morbo scilicet magno, qui ratione sui non euacuationem, vt dixi, sed ablationem requirit: ratione autem causæ, quæ siue sit plenitudo, siue qualitas, & præsertim calida, per se euacuationem expostulat: & ideo dicebat Gal. lib. de opt. sect. cap. 19. quòd genus remedij sumitur à morbo, & eius causa: quantitas autem remedij sumitur à facultate, seu virib9, & vtendi modus à loco affecto.

An extrema euacuatio à viribus indicetur & quomodo.

Virium quantitatis indicatio.

Non extra igitur rationem Montanus præter illa tria morborum genera nempe ardentissimas febres, maximas inflammationes, & vehementissimos dolores, qui vsque ad animi defectum expostulant euacuationem secundum Gal. sententiam, superaddere potuisset hanc quartam dispositionam, hoc est extremam sanguinis plenitudinem.

Vtendi modus à loco affecto indicatur.

Verùm ne id forsitan vitio vertatur Galeno, qui in hoc defecisse plurimum videretur, quòd hunc quartum casum non connumerauerit, cùm ipse palam, vt dixi, asseruerit lib. de opt. sect. cap. 19. quòd genus remedij indicatur à morbo, & eius causa: quantitas remedij à virtute: modus autem à loco patiente: & ideò iniuriâ contra Menedotum sanguinis plenitudinem à mittendi sanguinis scopis explosisset.

Remedij genus, quantitas et modus à quibus īdicētur ex Gal.

At quispiam ꝑ Galeni defensione posset respondere, quòd nō opus erat ipsum addere dictam plenitudinem, quia ipsimet tres affectus absque magna plenitudine vix fieri queant, sicuti ipsam pleni-

Pro Galeni defensione quid dici possit.

plenitudinem pro eorum generatione ceu continentem causã præsupponunt; ita pro eorundem curatione eandem causam simul auferendam coindicant: nam synochus, vt habemus 9. meth. cùm fiat ex copiosi sanguinis ebullitione, & accidere soleat in florenti ætate, corpore bene temperato, & multo sanguine prædito, par erat, vt in ea sanguis ad animi vsque defectum hauriatur; tum vt redundantia tollatur, tum etiam vt totum corpus, extincto febrili calore, ad contrarium habitum redigatur: quare tàm ratione affectus, quatenus febris est, quàm ratione causæ, hoc est materiæ, debet fieri talis euacuatio, quæ duo etiam in cæteris affectibus sunt consideranda.

Synochus ex quo, in qua ætate, et temperamento fiat.

In maximis quidem inflammationibus tum ratione affectus, tum causæ necessaria est vsque ad lypothimiam euacuatio, quoniam inflammatio, cùm sit affectus calidus per totius corporis refrigerationẽ animi defectione perpetratam restinguitur: ratione autem causæ, hoc est materiæ sanguineę, siuè vt quanta, siue vt mobilis, cùm sit maxima inflammatio, non nisi ab insigni humoris copia, & fluxione generatur: quare ꝑ huius curatione insigni opus est euacuatione, & reuulsione: quia nõ solum adimitur redundantia, sed etiam fluxionis impetus cohibetur: cuius rei luculentum exemplum habemus apud Galenum 14. meth. cap. 10. vbi in curatione carbunculi, qui est insignis inflammatio, ne ob inflammationis vehementiam, & fluentis humoris copiam suffocato calore pars corrumpatur, & in gangrænam, aut sphacelum vertatur affectio, sanguinem mittit vsque ad animi defectum.

Cur in isigni inflãmatione necessaria sit venę sectio.

In vehementissimo etiam dolore conuenit eadem copiosa euacuatio, tàm ratione symptomatis, nempè doloris, quàm ratione materiæ dolorem efficientis: ratione quidem materię, quæ cùm maximũ efficiat dolorem, opus est ipsàm vel insigni copia, vel intensa qualitate actiua molestare: si copia particulæ dolentis eximijq; sensus cauitates, & vasa replendo valdè deducat, & continuum diuidat, maximum dolorem inducet: quare copiosâ opus est euacuatione, tum ad fluentem mate-

Propter qd in vehementissimo dolore cõueniat sãguinis missio ad animi vsque defectũ.

materiam reuellendam, tum ad fluxam imminuendam. Si autem insigni aliqua qualitate actiua, & præsertim calidissima, vt sæpius contingere solet, infestet, expedit vsque ad animi deffectum euacuare; quo scilicet corpore refrigerato sẽsitiua facultas quoquomodo stupefacta, aut saltem hębetata reddatur, & sic doloris sensus sedetur.

Vires quomodo euacuationis quãtitatem ĩdicent.

Non solum à materia peccante, & à magnitudine morbi indicatur euacuationis mensura, sed etiam à viribus: nam intẽtionem quantitatis euacuationis, inquit Gal. primo aphor. 3. non solum humorem respicere superabundantem, sed & naturam, idest vires hominis, qui debet euacuari. Atqui vires cùm non eo modo indicent euacuationis quãtitatem, quo indicant morbus, & materia, in propriè dicuntur vires indicare; quoniam cùm ipsæ sui custodiam exposcant non detractionis, sed potius additionis, hoc est alimenti quantitatem indicabunt: quare dum vires morbo, atque eius causâ opprimuntur, vt ijs subleuentur, simul cum morbo, & causa indicant quidem remedium auferens morbum, & causam, & ità dicuntur coindicare tale remedium: eius autem remedij quãtitatem, cùm hæc ratione morbi extremi, aut materiæ morbificæ insignis copię existentis debeat esse extremę quantitatis, quàm vires ferre non possint, ipsæ non coindicant, sed prohibent, vel non permittunt: possent quidem vires primò ac per se indicare aliquod remedium euacuatiuum, quando scilicet ab insigni sanguinis plenitudine ita opprimuntur, vt nisi citò effatu dignâ detractione exonerentur, non multò post strangularentur, & ob id præcipiebat Hippocrates in eodem aphor. bonum totum habitum, eo quòd periculo sit proximum, statim exsoluendum: quod etiam innuere videtur Gal. in 2. aphor. com. 29. dum inquit: satius est circa principia maioribus remedijs totum corpus euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura possit eius munera obire.

Euacuationis quãtitas cui proportionãda.

Vt igitur ad rem redeam, statuo euacuationis quantitatẽ tantam à viribus coindicari, quãtam nedum ipsarum vis possit sustinere, sed etiam quousque totum id euacuatione de-

tractum sit, quod ipsas vires opprimebat, & naturalem statum labefactabat. Quare euacuationes, quæ ad extremũ deducunt, cùm sint periculosæ, non nisi in extremis morbis cum extrema plenitudine, & firmissimis viribus sunt moliendæ. Illæ autem, quæ ad animi vsq; defectionem efficiuntur, cùm non ita sint periculosę, non ita pariter sunt formidandę; quoniam hę cùm à natura ferantur, non sunt extremæ: extrema enim euacuatio illa est, quæ vltra virium robur, ac tolerantiam excedit: quod monere videtur Galen. in 16. de sangu. miss. & 9. meth. cap. 3. & 4. quibus locis ait in vehementissimis doloribus, & in febribus synochis ad animi vsque deliquium euacuandum, dumodo vires sint absolutè perualidæ, sicuti præsertim in talibus febribus tales vt plurimum esse consueuerunt. Hoc tamen animaduertit Galenus in ipso libro de sangu. miss. cap. 9. & 9. meth. cap. 10. vt cùm nobis non constet quãta sit virium facultas, & valdè periculosum sit huiusmodi euacuationes adire, quæ animi deliquium expectant, non ita audacter, ac temerè in has moliendas prolabamur: & hac forsitan ratione nostræ tempestatis Medici, eo quòd virium confinia eos lateant, non audent eiusmodi euacuationes experiri: & tanto minus, quòd Auicen. lib. 1. fen. 4. c. 20. cauet nos in phlebotomia quantum possibile fit esse imminutos, cùm satius sit infra subsistere, quàm supra modum euacuare: & propter hoc ne sic perperam euacuando in vitæ discrimina præcipitemus, sed vt cautè incedamus, cõsulit Gal. in 12. & 14. de sãg. miss. vt per id tempus, quo sanguis educitur, tactu pulsibus inhęrentes eorũ diminutiones animaduertamus; quemadmodũ etiã alia duo signa nequaquã infida diligẽter obseruari iubet, hoc est, & labescentem fluxionis vigorem, & sanguinis mutationem, vel de rubro scilicet ad nigrum, vel de nigro ad rubrum, illud quidem virtutis, hoc verò humoris in parte peccantis inditium est, & hæc omnia sunt tum sanguinis hauriendi, tum virium tollerantię quautitatis certiores termini, q̃ à Medico possunt inuestigari.

Extrema euacuatio quę sit.

Cur nostrę tẽpestatis Medici non audent ad animi vsque defectum euacuare.

Galeni cautiones pro mesuranda sanguinis quantitate.

Atqui animaduersione dignũ est, quòd animi defectionis pręcauentia signa sunt fluxionis sanguinis elanguescentia, pulsus deficientia, cum quadam inęqualitate: sed clarius ex quadam eructatione,

Signa animi defectionem præcauentia.

tione, vel oſſitatione, vel nauſea, & faciei pallore, & quodam ęſtu, & leui ſudore, & tandem ex membrorum colabeſcentia: quare ijs apparentibus, ſtatim ſupprimendus eſt ſanguis. Nec ſemper expectanda ſanguinis mutatio, cùm ob infimas vires, tum ob phlegmonis malignitatem, aut cruditatem, propter quod aliquãdo, ſtricto in eo ſanguine, nihil ex eo poteſt educi.

Cur non ſemper expectãda animi defectio.

Pręter materiã, morbũ, & vires, multa quoq; alia ſunt, quę & viriũ, & ſanguinis euacuandi quantitatẽ indicant, vt ętas, temperamentũ, cœli ſtatus, habitus corporis, regio, ſexus, conſuetudo, partis formatio, ſitus, dignitas, actio, ſenſus diſpoſitio, vitę conditio, animi mores, & ſimilia. Nam ætas puerilis, & vltimũ ſeniũ, eo quòd ijs propter habitum in illis quippe tenellũ, & in his durũ & aridũ, vires ſunt infirmæ, aut nullam, aut exiguã ferunt euacuationẽ: ſic aer immodicè calidus, aut frigidus; nã qui ſimiles regiones incolunt, non niſi planè neceſſarias, aut modicas ſuſtinent euacuationes: quemadmodum qui temperamento ſunt bilioſo & picrocholo, nec non frigido, & humido, atq; pituitoſo: ſicuti etiã qui molli, raroq; ſunt habitu, quemadmodũ Galli, atq; Germani, & mulieres albidiores, & eunuci: tum qui prauo ſunt habitu, vt cachectici, atq; hydropici: tũ qui copioſis innanitionibus ſunt cõſueti, largius ſunt euacuandi, quàm non aſſueti: ita quę partes exquiſitioris ſunt ſenſus, vel in corpore obtinent principatũ, vel publicam habent actionẽ, & quę longius diſtant, validiori opus habent euacuatione: item qui vitã in laboribus, vigilijs, inedijs, triſtibus, & grauib⁹ animi curis traducunt, partius ſunt euacuandi; ſicuti eluones, atq; bibones, quibus ſcilicet ſumma ineſt cruditas, & venereos tandem congreſſus immodicè frequentantes.

Sanguinis et virium quãtitatem indicantia multa alia ſunt.

Ætas puerilis & ſenilis.

Aer ſummè calidus aut frigidus.

Temperamẽta bilioſa & picrochola.

Habitus rari atque molles

Vacuationes inconſuetę.

Partes, quę maiorem ferunt euacuationem.

Qui partius ſunt euacuandi.

Vt autem ad ſpetialem vacuationis quantitatem deueniã, ego quidem re vndequaq; circonſpectâ, ac attentâ plenitudinũ, morborum, virium, naturarum, & aliarũ rerũm requiſitarũ varietate, fateor certã, ac ſtabilem à nemine vnquã poſſe definiri ſanguinis euacuandi menſuram. Verùm eſt quidẽ, quòd ſi in quopiã euacuando omnia exactè ꝓpẽdãtur, nõ tã rudis doctrinę, tãq; obtuſi ingenij Medicus erit, ꝗ diſcere nequeat in ꝗb⁹ conueniat exꝗſita sãguinis euacuatio, & in ꝗb⁹ pauca, in ꝗb⁹ue mediocris, aut nulla,

Specialis ſanguinis euacuandi quantitas.

& in quibus item semel, aut bis, ter, & quater: sicuti quando, vbi, & quo ordine debeat administrari.

Verùm etsi præcisa quantitas in vno quoque particulari nec dici, nec scribi, nec percipi omnino possit, teste Galeno in 3. meth. cap. 7. & de venæ sec. cap. 12. attamen pro vt ex Veterum monumentis colligi, & experientiâ adisci potest, etsi non peculiarem, saltem communem, vel potiorem præscribemus mensuram.

Definita sanguinis quantitatis mensura ex Galeno et Auicē.

Nam præter illam quantitatis metam, quam Hipp. & Gal. tradunt, hoc est, quæ ex animi defectione, ex pulsus, & sanguinis coloris, & fluxionis mutatione conijci potest, aliam nobis certiorem mensuram describunt tum Gal. tum etiam Auicen. & alij ex Antiquis. Namque Hippocrates in 2. acut. text. 10. de plenitudine loquens, hæc habet. Seccanda verò in cubito vena interna, nec verearis multum detrahere, donec rubrior, flauiorque multò fluat, aut pro puro, & rubro, liuidus. Vbi Gal. in 12. & 14. de sang. miss. ait se in quibusdã febricitantibus vnicâ vice ad sex vsque libras sanguinem detraxisse, ita vt citra vllam virium iacturam febris protinus extingueretur. Quod etiam Auicēn. testatur lib. primo fen. 4. cap. 20. scribens non nullis quinque, & sex libras vsque impunè tollerari, quod confirmat Ras. cont. 28. tract. 2. c. 1.

Sãguinis minima dosis quę sit penes Galenum.

Minima verò dosis, qualis est, quam Gal. 13. de sangu. miss. in puero decimum quartum annum excedenti, aut in sene cotyla primâ vice, & dimidia in altera vice; & qualis etiam in quibusdam, vt cap. 14. ibidem pro minima assignat sesquilibram, & in alijs vnicam tantum, & quandoq; minus.

Mediocris quantitas.

Mediocrem autem in lib. aduers. Erasistratum cap. 7. inquit esse trium heminarum, hoc est librarum, & hæc est Veterum pręscripta sanguinis quantitas.

Recētiorum p̄scripta sanguinis mensura:

Quę autē à Recētioribus pręscribitur, ex Capiuacceo presertim intelligi potest. Hic enim in 1. sec. aphor. com. 3. hęc habet. Si virtus fuerit debilis secundum quid, non est supra quinque, vel sex vncias vacuandum. Si autem virtus fuerit valida secundum quid, tunc tollerabit maiorem copiam vacua-

cuationis, vt vſque ad octo vncias, & decem, & interdum vſque ad libram. Si verò virtus fuerit valida ſimpliciter, id eſt ſecundum omnes ſui partes, ſi alia conſentiant, coindicabunt miſſionem ſanguinis vſque ad ſexdecim, & octodecim vncias: imò vſque ad mutationem ſanguinis tollerabit euacuationem, vel de bono in malum, vel de malo in bonum; imò tollerabit vacuationem vſque ad animi defectum, ſi videlicet morbus idindicabit, & vires coindicabunt. Hanc tam differentem, ac diminutam quantitatem omnes propemodum Recentiores lubentiſſimè excolunt, & venerantur.

Vtra recentiorum, an Veterũ ſanguinis quantitas probatior ſit.

Verùm vtra harum Veterum ſcilicet, an Recentium euacuationum quantitas ſit probatior, & obſeruabilior, ego quidem, vt ingenuè fatear, dummodo vnà cum ijs viribus, quas ſupponit Capiuacceus, adſit etiam morbi magnitudo cum ſanguinis redundantia, neutram omnino probarem. Veterũ ſiquidem menſuras, vt nimis liberales, Recentium verò vt nimis parcas improbarem: vtręque enim non paruâ opus habent moderatione. Nam ex illis ea, quæ ad animi vſque defectum nobis proponitur, cùm ſit præceps, & immodica, non niſi in extrema plenitudine, cum eximia morbi magnitudine, & conſtantiſſimarum virium certitudine eſt in vſum deducenda. Quæ autem à Capiuacceo præſcribitur, omnes ferè vt pluſquam deceat imminutiores mihi videntur; quoniam vbi cum viribus, ſecundum quid imbecillis morbus adſit magnus, & ſanguinis plenitudo, quinq; aut ſex vnciæ ſanguinis, ſicuti nihil vires imminuunt, ita nec morbi quidquã detrahunt. In validis autem ſecundum quid cum cęteris ſcopis haud ſatis ſunt octo, decem, aut duodecim vnciæ, niſi pluries iteretur hęc euacuatio: ſicuti idem dico de ſexdecim, aut octodecim vnciarum quantitate, quam in validis ſimpliciter viribus cæteris omnibus abundè permittentibus aſſignat: nã hæc doſis licet pluribus videatur copioſa, vſque adeo tamen ab ea diſtat, quæ fit ad ſanguinis mutationem, ad animique defectus aduentum, vt nullo nomine in vſum deducenda ſit, niſi forſitan ipſa pluries repetatur. Quare quemadmodum

Capiuaccei quantitates vt imminutiores cur non accipiẽdæ.

extre-

Cur Autor extremas euacuationes abhorreat.

extremas euacuationes abhorreo, & maximè damno, vtpote quæ sæpè non modò sanguinem, sed vitam quoq; simul exhauriunt; neq; animi deliquium, sed perfectam syncopem afferunt, quæ hominem de medio tollit: vt Galenus testatur in 12. de sangu. miss. vbi narrat casum trium ęgrorum, qui ob nimiam, & confertam sanguinis eductionem celerem obierunt vitam, & 9. meth. cap. 1. de duobus alijs scribit, qui ob eandem causam citò succubuerunt: & etiam alibi quosdam alios recenscet, quos immodicâ vacuatione progressu temporis imminutâ facultate vitali, ad obitum perductos fuisse, aut saltem euasâ morte, in diuturnam ægritudinem, aut in prauum corporis habitum, & coloris fædationem, aut hydropem, aut orthopnæam, aut ventriculi, & iecuris irreparabilem imbecillitatem, & in alias pernitiosas, & pertinaces ægritudines incidisse.

Cur euacuationes nimis parcę sint copiosis perniciosiores.

Ita imminutas, & nimis parcas detractiones non minus improbo, & detestor, vt cæteris deteriores, & quæ fræquentius, quàm copiosæ homini sunt perniciosæ, ac interitus productiuæ: quoniam vbi cum virium robore effatu dignâ euacuatione fit opus, non minus pernitiosam, ac funestam esse duco pauxillam, aut valde diminutam euacuationem, quàm in earum imbecillitate, ac sine indigentia copiosissimam: nam vbi morbus est magnus adsitque repletio, cum virium constantia, ac citra vllum aliud impedimentum, tantum sanguinis detrahendum, quantum dictorum scoporum proportioni satisfieri videatur, vt docet Gal. 14. de sangu. miss. & Oribasius primo synops cap. 9. & 7. collect. cap. 4. alioquin si minima portio detrahatur, hoc est si occasio tres sanguinis libras expostulet, & dimidiam libræ tantum, vel paulò plus educatur, tunc quippe non alius committetur error, quàm is, quod scilicet illud pauxillum sanguinis euacuasse, est perinde, ac nihil profecisse; immo potius non parum obfuisse, nam præter id, q; illa mala corporis dispositio suo pristino periculosissimo statui relinquitur; fit quandoque etiam, quòd per eam pauculam detractionem perturbatâ, & commotâ sanguinis massâ, vt plurimũ natura non parum irritata, ad quandam fatuam, & importunam expulsionem impetu concitetur: vnde insolentissimi sæpè mor-

Vnde mor-

borum

borum insultus accidere consueuerunt, & sæpius Medicum insufficienter, quàm nihil attigisse penituit. Nam illa minima sanguinis eductio perinde obesse potest, atque illa pauxilla sanguinis è naribus destillatio, quæ in exitialissimis febribus ex multa plenitudine cum ægrotantis pernitie euenire consueuit. Ob id Erasistrati Sectatores vt legitur apud Galenum de venæ sec. aduers. Erasistr. cap. 2. hac maximè ratione à missione sanguinis abstinebant, quòd alterutrum discrimen inire vererentur, vt scilicet aut diminutè euacuanti nihil plus contingat, aut mediocritatem excedenti maxima impendeat noxa: quid enim (aiunt illi) venæ sectio modum exuberans à cæde differt? Quam rationem etsi Galen. non admittat, quatenus non excusat à sanguinis missione abstinendum; tamen videtur cap. 7 eiusdem eam confirmare, vbi scilicet quantitatis sanguinis mediocritatē assignans, quæ nimirum sit trium heminarum, seù librarum, ait, quòd errata, quæ citra huius mediocritatis excessum contingunt, possunt maximum ægrotanti discrimen afferre: tametsi excessum, qui fit supra mediocritatem pernitiosissimum esse dicat; eum verò, qui infra, potius aliquid commodi, quàm incommodi præseferre, quoniam præsuponit vnam solum heminam à mediocritate defecisse, quæ deinceps potest ad libitum reparari, tum reiterata venæ sectione, tum huius vice cum clysteribus, inædia, frictionibus, vel sudoribus, & similibus alijs: quare cùm ex tribus heminis mediocri sanè mensura duæ detrahantur, vtiq; non nisi cō-modum, ac vtilitatem afferrent: si autem non nisi libræ dimidiū extraheretur, tunc certè Gal. non dixisset ex hac paucula detractione subsequi commodum, sed potius aliquam notabilem noxam: quoniam ipse passim in Erasistratum, & eius sequaces inuehendo, proclamat, vbi maximè opus est, à sanguinis missione abstineri, esse perinde hominem iugulare: minima autē huius euacuatio parum differt ab omnimoda eiusdem saguinis missionis abstinentia. Si enim apud ipsum Galenum minima sanguinis mensura in morbis magnis cum cæteris indicantibus, & permittentibus, est duarum heminarum, in puero autem vnius heminæ, & quandoque pluris, arguendum est, quòd nostra hac

borum insolentissimi insultus.

Cur Erasistratei à sanguinis missione prius abstinebant.

Error in excessu infra, et supra qs maior.

Minima summa, et mediocris sanguinis mensura in magnis morbis apud Veteres q. erat.

tempestate, quæ non ita forsitan largas creditur tolerare euacuationes, quemadmodum tempestate Hippocratis, & Gal. non debet esse minus, quàm sesquilibræ in iuuenibus, in pueris autem saltem vntiarum octo, vel nouem: summa dosis in illis tres libræ, in his autem sesquilibra: mediocris verò in primis duæ libræ, in secundis vntiæ decem, aut duodecim: At nostris temporibus inumeri sunt Medici, qui cùm Erastrateis sint longè timidiores in sanguinis detractione, dum extremę vacuationis est opus, in iuuene ad summum non excedunt octo, vel nouem vncias, ad minimum verò tres, aut quatuor: ad mediocritatem quinque vel sex vntias detrahere consueuerunt: quare cùm in iuuene robusto valdè sanguineo, synochâ putri febricitante, necessum sit Medicum largissimam facere sanguinis euacuationem, ita vt ad tres, aut quatuor libras ascendere debeat, non nisi cyathum nouem, aut decem vnciarum educat, eum non modò munus suum haud quaquã obijsse, verùm etiam nihilum profecisse certo sciat: hoc enim medendi genere non est febrem extinguere, sed hominem iugulare: item si in prædicto iuuene, qui maximâ vel iuguli, vel lateris, vel pulmonis inflammatione affici cęperit, pro reuulsione facienda trium librarum sãguinis eductione sit opus, nec nisi octo, vel nouem vntiæ detrahantur, quis non dixerit hanc euacuationem pro facienda retractione non sufficere, immo potius sanguinis massam promouendo, dictam inflammationem augere? O perniciosum erratum, ò miserandum abusum! Hoc enim multò excusabilius, multoque tolerabilius esset, si illam mutilam detractionem saltem bis, ter, & quater iterarent; sed in sexta, aut septima, aut nona ad summum vntia semel aquiescentes, putant curationis intentioni adamussim satisfecisse: sed reuera nihil effecerunt: quinimò natura hoc indignè ferens, æquiusque irritata, in causa est, vt morbus in dies magis, ac magis insæuiat, ac inualescat; ex quo tum viribus sensim deficientibus, Medicorum insciciâ moriatur ęger. Horũ enim læthalium errorũ causa est ipsorum Medicorum timiditas, & ignorantia, qui nescientes discer-

Recentium Medicorum metus in sãguinis detractione.

In maxima viscerum inflammatione minima sanguinis euacuatio quid mali efficiat.

Error excusabilior quis esset.

discernere vires, morbos, causas, naturas, habitus, plenitudines, pulsus, & id genus alia, per vnam semper lineam incedendo, in omnibus indifferenter eandem ferè sanguinis mẽsuram, sex, septem, vel octo scilicet vntiarum exhauriunt. Qui enim citra exactam prædictorum indicantium, & coindicantium notitiam, ac præmeditationem habitam, tantum præsidij genus aggredi impudenter ausus fuit, sæpissimè, atq; facilimè in grauissimos errores præcipitabit: etenim quicunque minimus in hisce fiat lapsus, non nisi maximam noxam aut necem inferre valet: vt videre est apud Galenum in lib. aduers. Erasistratos cap. 4.

Quando Medicus in grauissimos errores facilè præcipitet.

Quaproptar illi satius facere videntur, qui ob ignorationem, aut paruam requisitorum venæ sectionis scoporum ęstimationem prorsus à missione sanguinis abstinent, quàm citra debitam rationem pertinaciter venam secare tentant: quod appositissimè cauit Galenus cap. 6. eiusdem, vbi loquens de Medicis in Arte parum versatis, ait. Præstiterit igitur illos neque penitus venæ sectionem aggredi, quàm citra respectũ dictorum auxilio manus admouere. Plures enim hac ratione perierunt, quàm quibus non fuerat vena secta. Id Plato confirmabat dicens. Minus aberrare eos consentaneum est, qui ea non aggrediuntur, quę non norunt, quàm qui illa tractant, quæ nunquam didicerunt. Quocirca statuendum est quòd excessus, qui infra, & supra mediocritatem fiunt, maximam ægrotantibus pernitiem afferre solent, vt docet Gal. cap. 7. aduers. Erasistr. quò habet, quòd nihil in medica Arte reperitur, quod nisi certâ mensurâ vsurpatum, prodesse possit. Cæterum in sola venæ sectione ne hoc quidem culpare queas. Proinde errata, quæ vtrinque circa mediocritatem contingunt non paruæ noxæ sequuntur, maximèque quia excessus pernitiosissimos esse nemo neget. Quòd enim error, qui fit in minima detractione, aut in omnimoda huius abstinentia fit magni momenti, & grauissimi damni, probatur exemplo naturæ; quia cùm Medicus sit naturę minister, debet eã in bonis operibus æmulari: sed sæpè cernimus ipsam per legi-

Qui Medici rectius faciunt.

Qui minus aberrant.

Errorem in minima aut nulla detractione grauissimum esse probatur exemplo naturę.

timas crises exquisitas moliri vacuationes, non modò per aluum aut vesicam, aut sudore, sed p sanguinis ex naribus, vel vtero, vel hæmorrhoidibus, vel aliunde, deiectionem. Vnde legimus mille locis apud Hippocratē, & Galenū plurimos ęgrotantes superueniente insigni sanguinis hæmorrhagia, statim fuisse à morbo solutos: quod appositissimè videtur à Fernelio significari lib. 2 sui meth. med. cap. 8. sub his verbis. Quocunque ex loco lentè parcèque sanguis etiam secundum naturam emanat, inutilis habendus: neque enim morbum soluit, neque conuenientem euacuationem dehortatur, quam præsertim morbi vehementia maturare cogit. Qui verò affatim, copioseque profluit, tum ingrauante plethora, tum in synocha febre vtilis, vt quam decretorio die plerunque finit. Porrò non ne cernimus in muliebri genere purgationes menstruas, & à partu copiosissimas euacuationes, & lactis, quod est sanguis dealbatus, & percoctus, copiosas, ac diuturnas in lactandis infantibus inanitiones? Scio equidem me in pluribus mulierculis ab vtero vidisse per vices incredibilem sanguinis quantitatem effluxisse: ita vt viginti, aut triginta, & quandoque plus quadraginta librarum pluribus scilicet diebus excedere videretur. Id fide indignū esse non debet, cùm huiusmodi insignes effluxiones passim commemorentur ab auctoribus: nam Io: Arculanus in com. 23. quarti aphor. & in 3. & 23. octaui eiusdem; refert mulieri cuidam illustri sanguinē ad lib. 22. profluxisse & sanatam fuisse. Quod fere idem tradit in com. lib. 9. ad Almans. cap. 43. vbi scribit se mulierem vidisse incolumen euasisse postea quàm ab ea egressæ fuerint 25. libræ sanguinis per matricem in tribus diebus: & Bauhinus in Theat. anat. lib. 3. cap. 8. tradit se obseruasse apertis, quæ ex tertio duræ meningis sinu prodeunt, tenuioribus venis, è naribus quandoque ad 24. libras sanguinem effluxisse. Insuper Argenterius in 25. aphor. quartæ sect. refert quendam Damianum Veraldum fratrem vxoris eius fratris, licet pallidum, & gracilem & consistentis ætatis, per multos tamen annos statis quibusdam interuallis tantam sanguinis copiam per vomitum reicere consueuisse, vt quandoque ad libras decem & octo reiecisse

Virorum testimonia de insigni sāguinis euacuatione.

Nota

ciſſe eum viderit. Ex quibus apparet naturam largiſſimas ferre ſanguinis euacuationes, & præſertim quando non affatim, ſed ſtillatim, ac per aliquot dies. Vnde Auicenn. in libro tertio fen. 5. tract. 1. cap. nono loquens de vehementi, & continuata hæmorrhagia, ſcribit hominem viuere è naribus ſanguine ad libras 20. & 25. effuſo, deinde mori. Ex quo facilè eſt colligere in humano corpore ſanguinem vltra viginti, ac viginti quinque libras reperiri: quod ex iugulatis enſe iuuenibus viſu compertum eſt, cùm vltra dictam quantitatem in aliquibus ſanguis effluxerit: ex quo patet, quòd ex facta ad tres, aut quatuor libras ſanguinis detractione, non verendum eſt momentaneam fieri virium deiectionem, cùm tanta remaneat in venis copia, quæ abundè ſufficiat tum corpori pabulando, tum viribus conſeruandis. Non eſt igitur metuendum, cùm opus ſit, imitatione naturæ vberiorem facere ſanguinis eductionem: quis eſt enim tàm ſtupidæ, rudiſque cognitionis, qui neſciat tum ex crebris Principum Medicinæ & aliorum proclamationibus; tum etiam ex ipſamet naturali ratione, in vehementibus morbis, annuentibus cæteris ſcopis tantam eſſe faciendam ſanguinis detractionem, quantam morbus, plenitudoque expoſtulant, vireſque ferunt? Non raró etenim ipſe vidi plerosque grauiter laborantes copioſâ, ſeù ſpontaneâ, ſeù voluntariâ ſanguinis effuſione fuiſſe præſeruatos, vt planiſſimè conſtat etiam apud Hippocratem pluribus locis, & præſertim 3. & 4. epidemiorum, nec non quarto, & quinto aphor. & apud Galenum libro de ven. ſec. aduerſ. Eraſiſtrateos capitulo primo, & libro etiam de ſanguinis miſſione, vbi multos enarrat, qui ex copioſa ſanguinis euacuatione ab exitialibus morbis ſunt ſeruati. E contra plurimi viſi ſunt, quibus cùm natura aliquam nimis parcam moliri tentauerit euacuationem, non multò poſt perijſſe: vt videre eſt in pluribus locis apud eundem vetuſtiſſimum Præceptorem, qui libro prædictionum in coac. prænoc. & alibi. Quibus, inquit, exigua ex naribus ſanguinis deſtillatio contigerit, & potiſſimum quarta die, hi vt plurimum de medio ſunt ſublati, quibus autem copioſa, ſaluati ſunt: nam cùm natura, vel ob venarum

obſtru-

Natura quãdo largiſſimas ferat ſãguinis euacuationes.

Quot ſanguinis libræ inſit in corpore humano.

Principes Medicinæ, et naturalis ratio quid ſuadeant de ſanguinis quantitate.

De copioſa et ſpontina ſanguinis euacuatione obſeruatio Autoris & Hip. conteſtatio.

Nimis parcæ euacuationis incommoda.

Nota

Nota

Naturæ defectibus suplet Medicus.

Qui ex venæ sectionis missione perierũt.

Quid valdè pernitiosum.

Grauius erratum quid.

Grauissimũ.

obstructionem, ægrè, ac satis imminutè sanguinem excernere videatur, tunc nostra implorat auxilia: vt scilicet in quo ipsa defecerit, nos accuratè suppleamus; quemadmodum constat ex Galeno de ven. sec. aduers. Erasistr. cap. 4. Eos autem, qui hoc auxilio summopere indigentes, prorsus non vacuantur, exploratum est, ac certum maiori ex parte discrimina mortis subire, vt Gal. memorat de Critone, ac Puella Chiensi, nec non de quatuor alijs ægrotis, qui cùm minimè per venæ sectionem curati fuerint, licet alijs inanientibus auxilijs adhibitis, Medicorum culpâ perierunt. Ex ijs igitur constat, quòd vbi morborum magnitudo, viriumq; constãtia, cum cæteris indicantibus adsit, exiguum sanguinis ducere, quod ægritudini debellandæ neutiquam sit sufficiens, est valde pernitiosum: nihil autem prorsus detrahere, adhuc grauius erratum est: sed grauissimum omnium est, vbi nec morbus, nec vires, nec quid aliud insignem euacuationem expostulant, plusquam decet copiosissimam facere: quod quidem erratum nullo præsidio redimi potest. Et hæc de quantitate continua.

De quantitate discreta.

CAPVT IX.

Quantitatis discretę indicatio.

Materia sanguinea propter quid reiteratam exposcit euacuationem.

Morbi vehementis, et p. tinacis indicatio per accidens.

NEc tantum quantitate continuâ in hoc morbo oportet multum sanguinis detrahere, verùm etiam quantitate discretâ. Hæc enim à sanguinis plenitudine, à morbo, & à viribus infirmis indicatur: materia quidem sanguinea, dum vel ob minimam eius quantitatem, vel cruditatemem, vel ob morbi pertinaciam, vel ob virium minuendarum timorem, vnicâ detractione affatim nequit euacuari, reiteratam exposcit detractionem.

A morbo autem vehementi, vel pertinaci, non quidem per se indicatur phlebotomiæ reiteratio; sed per accidens hoc est ratione causæ morbum facientis, humoris scilicet fluentis, ac inflammationem, vel dolorem, vel febrem fouentis: propter

quam

quam causam indicatur reuulsio, quæ eò validior fiet, quò pluribus vicibus iterabitur venæ sectio. Non tantum enim ad totius corporis plenitudinem eximendam, verùm etiam ad sanguinis influxionem reuellendam, non satis est vna tãtum sãguinis euacuatio, nisi hęc in effatu digna sit quãtitate; sed vt vehementius sanguis in partem irruens retrahatur, oportet sanguinis missionem bis, ter, & quater repetere: quoniam, vt monebat Galenus 12. de sangu. miss. pro reuulsione rectè facienda, quam magnum remedium esse dicit, quod sępè secta adhibetur vena, quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficatiorem effeceris.

Reuulsio ppter quid indicetur et quãdo validior.

Dixi vehemẽtiam morbi non per se, sed per accidens indicare repetitam venę sectionem, quia morbus per se vehementissimus indicat quidê vnicã, & confertã sanguinis detractionem, vt in febre synocha, vbi magna adest sanguinis efferuescentia, vt testatur Gal. 12. de sangu. miss. At vbi non tanta est morbi vehementia, ita vt morbus sit non simpliciter vehemens, & acutus; sed diuturnus, & pertinax, tunc in plures vices partienda est sanguinis missio. Sed animaduertendum est, quòd quando morbus vehemens actu infestat; tunc vnicam, & insignem exposcit detractionem: dum autem idem morbus licet vehementissimus nõ actu lædat, sed tantum imineat, hoc casu partiri debet venæ sectio.

Morbi vehementia cur per accidens indicet repetitam venæ sectionem.

Morbus qui vnicã exposcit insignẽ detractionẽ.

Dixi etiam morbi pertinaciam phlebotomię repetitionem indicare; quoniam dum ex sanguinis missione semel copiosè facta non sedatur Pleuripneumonia, sicuti alterius insignis inflammationis accidentia, tunc reiteranda est venæ sectio. Nec obstat, quòd hoc prohibeatur ab Auicenna lib. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 2. ne scilicet refrigerato calore, & virtute debilitata, incrassetur, & crudior fiat, & ineptior ad coquendum materia. Id non obstat inquam, quia minorato sic sufficienter sanguine, ne dum minimè prohibetur, sed magis coadiuuatur ad coquendum, & morbum expugnandum natura, vt docet Galenus in com. 29. secundi aphor.

Morbi pertinatia cur repetitam exigat venæ sectionem.

Auicennę instantia.

Vires autem non nisi validæ ferre possunt vnicam, & insignem

Vnica & repetita sanguinis detractio à quibus viribus indicetur.

gnem euacuationem. Infirmæ autem repetitam, & modicam: vnde quò vires fuerint validiores, eò confertam, ac effatu dignã magis sustinent detractionem; quanta verò fuerit earum imbecillitas, dum opus fuerit, eò pluribus vicibus partienda erit euacuatio. Quare vbi magna copiosi sanguinis cruditas adest, aut ætas puerilis, aut senilis aut grauida mulier, aut habitus mollis, & albus, vel obæsus, tunc ob horum virium imbecillitatem non nisi modica, & sæpius repetita fieri debet euacuatio.

Materia sanguinea copiosa quot modis et cur repetitam indicet sanguinis euacuationẽ.

Præterea notandum est, quòd materia sanguinea quantitate peccans quatuor nominibus indicat pluralem euacuationis partitionem; tribus scilicet per accidens, & vno per se: per accidens quidem primo modo, dum maximâ copiâ peccans, ne vnico, confertoque haustu vires subito prolabantur, repetitis vicibus optat inaniri: quoniam, vt docet Aretæus 2. de cur. acut. cap. 3. copiosum, & subitum naturam vitiat. Secundo ratione cruditatis, propter quam vix possibile est vires esse validas teste Galeno 9. de sangu. miss. Tertio ob virium infirmitatem, vel quia scilicet per se sunt tales, vel ob aliquod graue symptoma, vt ob dolorem, aut insignem aliquam euacuationem, aut vigilias, & ob similia, quę potuerint vires infringere: tunc enim licet materia sit copiosa; ob vires tamen infirmas non nisi repetitam ferre potest euacuationem. Quarto, & vltimo per se materia sanguinea dispartitam exposcit detractionem; nempè quando in corpore quadrato, & robusto summa adest plethora, propter quam non tantũ potest vnicâ detractione redundantia minorari, quin tanta non supersit quæ morbum fouere, ac manutenere valeat: verùm etiam quia vnica sanguinis extractio, licet copiosa, in corpore tamen extremè repleto, est perinde ac ex abundantissimo fonte aquam exhaurire, è quo quantumlibet euacuetur, tantundem ab affluenti scaturigine suppeditatur: imò non solum ex circumsitis corporis vasis ad cauam venam veluti ad communem sanguinis fontem iugiter transmittitur sanguis; verùm etiam ille, qui continenter à facultate sanguificatrice generatur, Hinc nõ mirandum si videamus in maximis, & longis hæmorrhagijs, & menstruis purgationibus, & diuturnis lactantium inanitionibus

Vires quibus infringũtur.

Materia sanguinea quãdo per se dispartitam indicat euacuationem.

Sãguinis scaturigo.

Sanguinis luxuriosa regeneratio.

quan-

quantumuis sit euacuatum, paucis horis vel diebus esse regeneratum. Natura enim, inquit Hippocrates in epist. ad Dionysium, insitam intemperantiam habet, quæ nisi quotidie resecetur, veluti arbores superuacuis frondibus, & inutili frutificatione luxuriat. Quapropter tanta est naturę in tuendâ animantis vitâ prouidentia, atque solertia, vt non sinat quidquam illi deficere, quod eius conseruationi conducat. Et ob id prouidissimè satagit, vt plusquam illi detractum sit, breuissimo tempore abundè reparet, atque reficiat. Et hac ratione in vehementibus morbis, vbi maxima est plenitudo, non satis est Medico vnicam fecisse sanguinis detractionem: quia cùm natura decuplum breui refecerit id, quod morbum repullurare, fouereque valeat, debet nouam facere euacuationem, eam bis, ter, & quater, & pluries, & quot opus fuerit repetendo; quod mihi non rarò contigit hoc anno, dum pluribus Pleuripneumoniâ laborantibus, tribus, & etiam quatuor vicibus ad libram pro vice sanguinem exhauriri: quinimo cuidam Pleuripneumonico exquisitè plethorico nedū quatuor libras duodecim dierum spatio quaternis vicibus extraxi, verùm etiam ab illinc paucis diebus ipsimet in eundem morbum recidenti alias tres libras partitis vicib⁹ detraxi, & à morbo grauissimo eum liberaui. Sed hîc obiter, vt appareat quàm solers sit natura in reficiendo sanguine, & quàm tuto nos possimus numerosas facere euacuationes, succurrit memorabilis casus, quē vt rem potius portentosam, quàm naturalē à Io: matth. de Grad. par. 2. pract. cap. 5. relatum refert Marcellus Donatus in 4. lib. Hist. Med. cap. 3. his verbis. Vidi casum vnum mirabilem hîc Papiæ in vna Moniali obseruantiæ D. Augustini, qui adeo mirabilis est casus, vt vix audeam eum enarrare propter quasi impossibilitatem communis credulitatis; sed quia ego solus non vidi, imò pars maior Collegij Papiæ sæpius vidit, breuibus narrabo Historiam. Durauit ista mulier tribus annis, & adhuc viuit, quę semper cùm summebat cibū, etsi delicatissimum cuiuscunque ordinis cibi, infra octauam vnius horæ cum maxima anxietate stomachi euomebat cibum cum modica portione humorum aquosorum, & totum, ita quod maior multo erat quantitas eius, quod

Naturæ insita intempe-rātia ex Hippocrate.

Mira Naturę ꝓuidētia.

Cur in uehemētib⁹ morbis, ac ī plethora non satis sit vnica sanguinis detractio.

Septiteratæ sanguinis detractionis historia.

Casus memorabilis et portentosus Muliecule cuiusdam Monialis Papiensis

euomebat ſemper, quàm quod ſumebatur, poſtea ſtabat anxiata cum dolore clamoſo, & æſtuoſo circa ſtomachum, ita vt eſſet expediens eam impetuosè ſe mouere, quaſi vt furioſa, vel phrenetica eſſet, & aliquotiens ſyncopizabat iacens vt mortua per mediam horam, & v[illegible]ra, neque aliundè diuerſiones factę iuuabant ſu[illegible]ficienter, tandem poſt quatuor, vel quinque horas [illegible]ra alleuiabatur; ſed ordinata ſibi phlebotomia, & [illegible]acta ſex vntiarũ ſanguinis de cõmuni dextri lateris detractione, alleuiabatur quo ad hæc accidentia, ita ſcilicet quòd quantumcunque vomitus fieret ſemper poſt cibum, vt dictũ eſt, accidentia tamen de diſtorſionibus ſtomachi, & reliqua minuebantur, & quo ad intenſionem eorum, & quo ad tempus durationis; vnde fuit expediens, quòd ſingula hebdomada phlebotomaretur, & non ſufficiebat hplebotomia duarum, vel trium vntiarum ad iuuamentum inducendum; immo expediebat extrahi, vt dictum eſt, vſque ad ſex vel ſeptem vntias; poſtea in tantum inualuit ęgritudo, quòd fuit expediens iuditio infirmæ, & cuiuſdam Medici conſentientis (licet ego non ſenſerim) vt bis in hebdomada phlebotomaretur, & ita continuauit per ſex, vel octo menſes, ſemper tantam quantitatem ſanguinis extrahendo pro vice, & continuò euomendo, aliter videbatur ſtare in continuis accidentibus poſt cibũ, de quibus dictum eſt: tandem quod amplius mihi narrauit D. Prioriſſa præſente infirmâ, & ita Barbitonſor ſacramento mihi fidem fecit, quòd etiam per duos menſes continuos phlebotomauit eam tribus diebus in hebdomada, & alternatis ſingulis diebus ſemper extrahendo ad quãtitatem ſanguinis ſeptem, vel octo vnciarum pro ſingula vice, & quod amplius eſt, vixit decem ſepem diebus abſq; omni cibo, & potu, præterquàm ſumendo modicum vini vernacini ſingula die, poſtea ſtetit per futuros decem dies vſque ad vigeſimum ſeptimum ſimpliciter ſine cibo aliquo, verum eſt, quòd nunc, vt dixit, Barbitonſor phlebotomatur de octo diebus in octo diebus, & tardando procedit: verùm hoc videtur de mirabilibus naturæ, & de extraneationibus, quæ contingunt naturâ, de

qui-

quibus dixit Auer. 7. collect. cap. de cur. cancr. quòd sicuti in natura fiunt monstra, ita & in medicina monstruositates apparent. Sed mirabilissimum mihi videtur, quod ista D. Monialis semper visa fuerit eiusdem bonæ habitudinis, & læta, & iucunda, cum tamen nihil de cibo retineret saltem sensibile, & timuissem dici mendacem, neque historiam narassem, nisi interuenisset authoritas, & presentia multorum præstantissimorum Doctorum, qui hunc casum frequentissimè viderunt, & ex iuuamento huius phlebotomiæ in casu non possũ arguere, nisi causam vomitus pro parte, & nocumentorum pro maxima parte habuisse dependentiam ab euaporatione facta à toto ad os stomachi propter commotionem cõtingentem in massa humorali ex nocumento primum concitato stomacho ex vomitu. Hactenus Gradensis.

Causa uomitus et nauseę ac mirifiicæ inædię illius Monialis:

Verùm causam eiusmodi vomitus productiua non videtur in vaporem à massa humorali ad hos ventriculi elleuatum referri, quoniam ita ex tam frequenti phlebotomia, turbato humore, non modo sedatus fuisset vomitus, sed potius magis, ac magis adauctus. Quare ipsius causam potius reijciendam esse arbitrarer in summam vasorum plenitudinem, & in causæ finalis nutritionis absentiam, quia cum in illo corpore dēso, atque humoribus crassis, viscidisque referto, exiguus esset calor innatus, exigua etiam fiebat substantiæ depreditio; propter quod vnum quodq; exiguum cibi, vel potus sufficiens erat pro substentando ipso calore: & ob id mirum non erat, si sumpto plusquam illi opus esset cibo, stomachus renuebat, eo ꝙ ob nutrimenti indigentiæ carentiam nulla fiebat in nouissimis vasis suctio, vel attractio, & ita cum nullus in venis daretur nuttrimenti locus, nullaque petitio, sed potius satietas, hinc fiebat, quòd ventriculus ingestibilia potius renuebat, quàm appetebat, ac assumebat. Ad quod magis credendũ ego adducor, quòd cùm ipsi mulierculę ob desidem vitam minima fieret substantiæ deperditio, sic minimâ quoque illi opus erat ipsius substantiæ reparatione.

In Pleuripneumonia plusquàm in cæteris alijs morbis liberaliorem fieri oportere sanguinis detractionem ostenditur.

CAPVT X.

Cur in Pleuripneumonia præ ceteris ĩsignior conueniat sãguinis detractio

HIs ergo sic se habentibus, statuendum est in Pleuripneumonia, plusquam in cæteris alijs morbis, tàm in quantitate continua, quàm discreta vberiorem esse faciendam sanguinis euacuationem: quoniam hæc cùm sit insignium partium inflammatio, sibi comitem habet & dolorem, & febrem sæpè ardentem, & à maxima sanguinis plenitudine vt plurimum oriri consueuit: propter quod nullus est morbus magnus, in quo Medici præcæteris liberaliori manu debeant sanguinem ducere, quàm pleuritis, ac peripneumonia, vt monet Hippocreates in 6. acut. text. 10. & 4. eiusdem text. 19. & 21. nec non etiam libro 1. 2. & 3. de morbis vt quoq; Galenus præcipit lib. de sanguinis missione cap. 7. 10, 13. & contra Erasistratum cap. 6. & multis alijs locis: sicuti etiam ijs plerique alij Principes Medicinæ consentiunt. Quandoquidem scimus Hippocratem ipsum in his vt sanguinem à parte inflammata, ac dolente reuelleret, mandasse eum vsque ad eius mutationem, & etiam quandoque si oportuerit, vsque ad animi defectum exhauriri: & ita ipsius, & Galeni, & omnium Antiquorum vibque extant copiosissimæ faciendæ in his morbis sanguinis euacuationis mandata, & luculenta exempla.

Cur Hippostenes Larisseus sanguinis euacuatione ad quatuor libras facta non euaserit.

At si Hippostheues ille Larisseus apud Hippocratẽ in 5. epid. falsâ peripneumoniâ laborans (quam Pleuripneumonicam affectionem fuisse credendum est) ex sanguinis ad quatuor libras è naribus effluxione non euaserit, id non copiosæ euacuationi referendum, quia cùm hic esset Athleta, potius manca, & insufficiens, quàm magna, & immodica fuit talis euacuatio, sed quoniam nimis tarda, ac intempestiuè contigit: tum quia cùm adhuc crudus esset humor, nihil expuendo, in sexta die facta sit talis effluxio, non nisi symptomatica, & exitialis esse potuit.

Vnde Io. Heurnius lib. 12. de meth. med. instit. med. inquit. magnum affectum, magnam postulare euacuationem: interest enim non tàm qualem detrahas, quàm qua copiâ. Tractaui, inquit, ægrum, qui ex pleuritide vtriusque lateris acerbè laborabat: extraxi vnâ vice illi plusquam quatuor libras sanguinis, & euasit Dei benefitio.

Heurnius in Pleuritico quam sanguinis quantitatem extraxerit.

Tanta est igitur in hoc morbo sanguinis plenitudo, vt nisi effatu digna fiat sanguinis euacuatio, vix vllus euadere possit. Vnde fateor me hoc anno 1633 in pluribus Pleuripneumonicis, vt eos à morte vindicarem, oportuisse plus solito vberiorem facere sanguinis detractionem.

In Pleuripneumonia anni 1633. plus solito facta ab Autore sanguinis detractio.

Hinc monebat Ioubertus cap. de pulmonia, in hoc morbo præcęteris copiosiorem faciendam esse sanguinis detractionem, his verbis. Porrò, ait, in nullo alio morbo tantã sanguinis missionẽ requiri prudenter annotat Rondeletius altero cap. de peripneumonia, quia magnus est affectus, & cordi vicinus, ad quod æstuans multus confluit sanguis alioqui in vena caua (ad dextrũ illius sinum amplissima) velut restagnans. Adde pulmonem ipsum natura plurimo sanguine turgere, vt cerebrum quoque: vnde fit vt ab ijs partibus hęmorrhagię etiam immodicę sint tollerabiliores.

Iouberti consilium.

Quare nec ætas, nec tempus, nec alia ad hæc requisita me à copiosa in his euacuatione potuerunt dehortari: nam plures senes, ac pueros hoc morbo grauissimè laborantes copiosâ sanguinis detractione curaui. Hinc experientiâ didici non minus sępè pueris, ac senibus insignem esse sanguineam plenitudinem, quàm ipsismet iuuenibus; vt ex memoratu dignis cùm arte, tum naturâ factis euacuationibus constat: Nam ego recordor ex Nigro clarissimo Medico Patauino meo de pulsuum cognitione magistro, audiuisse de quodam septuagenario, cui anno 1587. triginta sanguinis librę ꝑ nares effluxerunt, ex quo cùm ille conualuisset, decem annis adhuc incolumis superuixit. Quod etiam commemoratum legitur apud Dodoneum in eius praxi libro secundo cap. 27. Quam miram sanguinis quantitatem anno Domini 1626. ex ore Perillstr. D. Petri Monaldini Rauennatensis mei

Puerorũ & senum curatio facta ab Autore cũ sãguinis missione.

Historia septuagenarij phlebotomati.

D. Petri Monaldini insignis hæmorrhagia.

Histor. mei cariſſimi Socri, dum annum ageret ſexageſimum tertium, ob ſummam plenitudinem illi grauiſſimus morbus inſtaret, citra vllam virium iacturam excretam fuiſſe tum ab eodem, tum ab alijs fide dignis mihi relatum eſt, qui poſtmodũ ſubſequenti anno cum eandem plenitudinẽ abundè reſumpſiſſet, in febrem incidit peracutam cum pulmonum inflammatione, & ſuffocante catarrho; at quia ratus nihil ſanguinis illi ſuperfuiſſe, haud paſſus eſt ſibi venam aperiri; vnde viribus mole ſanguinis obrutis, vitam cum morte commutauit.

Senis Foroliuienſis effatu digna ſãguinis effluxio.

Præterea hoc anno Foroliuij noui ſenem quendam ſeptuagennarium hoc pleuripneumonico morbo grauiter laborantem, cui cùm per ſectam venam libra ſanguinis fuiſſet detracta, ſequenti noctæ per eandem venam tàm magnâ quantitate ſanguis erupit, vt natura prioris effuſionis deffectum multo longiori copia compenſando, ægrum abſque virium iactura mirificè à morbo ſubleuauerit. Et hoc idem per id tẽpus contigit Bartholomeo nepoti meo vndecimum annum agenti, qui cùm peripneumoniâ, & morbillis ſimul afficeretur, vltra libram ſanguinis ex ſecta vena detractam, factâ per eandem venam in noctu ad tres circiter libras ſpontina effluxione, ꝓpaucis diebus integris ſanè viribus conualuit. Quod idem Petro cuidam Caprario octenni puero pleuritide laboranti, & alijs eiuſdem ferè ætatis pueris contigiſſe narrat Valleriola lib. 5. obſer. 4.

Bartholomei Baronij Autoris nepoti caſus.

Petri Caprarij, & aliorũ puerorũ inſignis phlebotomatio.

Cæterum Alexander Maſſaria lib. 7. eiuſdem pract. cap. 29. refert ſe Vicentię viſitaſſe nobilem Puellam vndecim annorũ, cui ſanguis è naribus ad libras duodecim circiter effluxit. Aduerſum hoc licet Trincauellius de ratione cur. par. hum. corp. aff. lib. 2. cap. 20. improbare videatur quoſdam Medicos Venetos, ac Patauinos, qui tenellis infantibus venam aperuerint; vtpotè id præter rationem efficere viderentur; vnde ſæpius ex eo malum euentum dicat eſſe ſubſecutum, etſi quid boni euenerit, id potius fortunæ, quàm rationi referendum: id tamen nihil probat, cùm ipſa ratione, & experientia compertum ſit in plurimis infantibus, & pueris, qui morbo ali-

Vicẽtinæ puellæ hæmorrhagia.

Trincauelli improbatio contra Venetos Medicos de phlebotomandis pueris.

quo sunt affecti, & plurimo sanguine abundant, saluberrimam esse phlebotomiam, & ad virium, morbi, ac plenitudinis proportionẽ sanguinis detractionem. Quoniam in pueris, licet ratione partium solidarum animalis facultas sit debilis, ob sanguinis tamen, & spirituum vbertatem, vires cùm naturales, tum vitales sunt validæ: & quamuis ob substantię teneritatem spiritus sint facilis resolutionis; ratione tamẽ roboris facultatis naturalis sunt facilè reparabiles: Imò ob hanc rationem natura in ijs tam sollicita est in augenda, & perficienda corporis mole, tamq; opulẽtam in eis iugiter affectat nutritionem, vt copiosum ijs struat alimentũ, ita vt sæpè ob eorum ædacitatem, & naturæ luxuriem mirum immodum sanguine vasa repleantur: propter quod non mirum, si postea haud raro grauissimis morbis corripiantur, & eorum calor innatus humorum abundantiâ mox obrutus, necessariò strãguletur.

Pueris quæ facultates sint robustæ.

Puerorũ natura cur tam luxuriosè sãguinem in ijs accumulet. Et cur grauissimis morbis curripiãtur.

Eapropter ego pręsertim in pueris professus sanguinem ꝑ sectam venam extrahere, paucissimos fuisse contestor, qui ab hoc tanto remedio non fuerint à grauissimis morbis vindicati. At si qui fuerint Medici, qui Venetijs, & Patauij, vel alio loco in pueris infausto euentu phlebotomiã exercuerint, hoc minimè tali præsidio referrendum, quotiescunque tamen recta ratione id fuerit administratum; sed sæuitiæ morborum, qui non semper Arti cedunt nostræ. Aut in aliquod Medicorum lapsum, id potius est reijciendum, vt potissimum hoc vnum est, quòd omnes ferè in pueris per venam in cubito siue gladiolo, siue hirudinibus resseratam, aut saltem per cucurbitulas scarificatas non audent vltra vnam, vel alteram, vel tertiam sanguinis vntiam exhaurire: at hoc non est sanguinẽ mittere, sed potius eum mouère, ac turbare, naturamque ad aliquod peius malum prorritare: vnde non mirum est, si postea puer nullum ex hoc sentiens emolumentum, sed potius irreparabile damnum, sępè mori cogatur: vnde postea parentibus, & ipsi vulgo facillima præbetur occasio, vt eam pueri perditionem non in aliud, quàm in ipsam sanguinis detra-

Pueri ab Autore curati.

Pueri Veneti qua causa perierint.

Medicorũ cõmunis error in curandis pueris.

Nota

ctio-

ctionem referant. Ex quibus ergo statuitur in pueris, & senib⁹ sæpè non minus, quàm in iuuenibus copiosum sanguinem abundare, & proinde eos quoque cum opus fuerit liberales ferre posse sanguinis detractiones.

An in sanguine ita vires continentur, vt hæ ex illius detractione detrahantur, & auctione augeantur, vt plerique existimarunt?

CAPVT XI.

Vires & vitã in sanguine consistere qui crediderint.

SAnguinem in humano corpore eousquē magnifaciunt, vt in eo nedum vires, sed etiam vitam ipsam consistere multi ex Veteribus, & Recentibus arbitrentur: & hac fortasse de causa sanguis vocatus est vitæ thesaurus. Nam vt ab Hippocrate proditum est primo de nat. hum. quidam sui temporis Medici opinabantur hominem esse sanguinem, eo quòd iugulatis hominibus ipsam manantem ex corpore conspicati, eum hominis animum esse existimarent: & propterea non est mirum, si quidam fuerint homines, teste Auicenna fen. 1. lib. 1. doc. 4. cap. 1. qui arbitrabantur corporis virtutem sanguinis sequi multitudinem, & ipsius debilitatem sequi eius paucitatem, inter quos vnum extitisse Erasistratum prodit Gal. in libello de plenitudine cap. 6. qui credebat vires ex sanguinis incremento augeri, & decremēto minui: quod tamen & Hippocrates, & Auicenna, & Galenus prorsum negant; propterea quòd vno tantum humore constare non potest homo, sed pluribus, neque ad corporis robur, teste Iacobo Foroliuiensi in Auicennę textum pręcitatum, oportet attendere quantitatem sanguinis absolutè, sed quantitatem cum proportione ad corporis vasa, & calorem debentem regulare sanguinem; quoniam ad sanguinis augmentum haud necessariò virium robur adaugeri docet Gal. 6. de plenitudine; sed sæpè contingit, vt vasa ob sanguinis immodicam quantitatem disrumpantur, aut in spiritus vasa sanguinem ipsum transfundant, & sic obruto spiritu, vires opprimantur: immo, vt ipse inquit 6. de ve-

Qui crediderint vires sequi sãguinis quantitatē.

Cur hoc verũ non sit ex Hip. Gal. & Auicen.

de venæ sect. dum sanguinis crudi infesta sit degrauans plenitudo, non semper facienda est sanguinis detractio; fieri enim potest, vt crudus per corpus collectus sit succus. In quo aduertẽdum esse, ait, quantum valeat, robustaque sit virtus, & quantũ humor ipse sit refrigeratus, aut (secundum aliam interpretationem) quantum humoris ipsius sit genitum: nam exsoluta ex huiusmodi affectibus virtus, adhibitâ sanguinis missione, in extremum malum solet recidere: vnde scopos duos esse inquit potissimos sanguinis mittendi, hoc est plenitudinis sanguinis quantitas, & qualitas; nec non virium robur. Quapropter ad virium robur præstat quidem non quantus sanguis, sed qualis, & qua proportione se habeat ad vasa, & ad caloris innati dispositionem: quandoquidem ille, qui in corde est calor, vt inquit Gal. 5. de sangu. miss. & 8. de decret. Hipp. & Plat. cap. 4. interdum se ipso minor efficitur aut propter sanguinis copiam, aut propter ingentem inopiam, aut propter qualitatem frigidam. Porro non ne pluribus locis constat apud Galenum, & cæteros Medicinæ Parentes ex sanguinis plenitudine pernitiosas lassitudines suboriri? Et sanguinis multitudinem præcipuam esse morborum causam, vt ipse Gal. docet 16. de vs. part. c. 10.? Non ne ex sanguine plurimo, & spiritu calido pleno capite desipientias fieri docet Hipp. 7. aph. 7.? Vnde sanguineum hominem haud rarò hæbetem esse, & popinonem scribit Scaliger in Card. Exerc. 274. Nec obstat quòd Gal. dicat in 4. de vict. rat. sanguinis copiam significare virium firmitatem, vt apparet in Athletis, quorum studium est tantum vberi alimemento sanguinem, & sanguinis molem ad augendo robustiores fieri. Quoniam licet ad sanguinis incrementum succrescant spiritus, & eo decrescente deficiant; hoc quadam proportionatâ mensuratione accipiendum est: nam sanguis cùm vasorum capacitati, & caloris naturæ debeat esse proportionatus, si quantitate, & qualitate plus iusto excesserit, non modò non augentur, sed potius minuuntur vires: & ob id præcipit Hipp. vt eiusmodi habitus bonitas statim exsoluatur, cùm metus sit ne vasa disrumpantur, aut calor natiuus obruatur, cùm enim in eodem habitu subsistere, neque vltra progredi possit, fere re-

Potissimi sãguinis mittẽdi scopi duo.

Ad virium robur qualiter se habere debeat sanguis.

Sãguinis plenitudo quorum affectuum sit causa.

Obiectio Galeni.

Responsio.

Cur bonus habitus statim exsoluendus.

 rère-

rè retro quasi ruina quadam reuoluitur, vt dicebat Celsus lib. 2. cap. 2.

In quo vires consistant.

Ex quibs igitur liquet vires neutiquam in sanguinis quantitate fundari; quoniam licet in calido, humidoque naturali situentur vires, & vita, ita vt hæ ad illorum augumentum, & decrementum augeantur, & minuantur: cum tamen vires in ipsius calidi, humidique mediocritate consistant, ad horum mediocritatem non opus est necessariò sanguinis abundantiā sed eius mediocritate, & proportione: sanguinem enim multum habere, & non habere non esse causam longioris, aut breuioris vitę dicebat Albertus Magn. de mort. & vit. tr. 2. c. 5.

In quo sanguine fundētur.

Quare si vllus est in corpore sanguis, quo aucto augentur vires, nullius quippe alius esse potest, quam sanguis arteriosus: hic enim cum proximum sit spirituum pabulum, ad huius incrementum adaugentur spiritus, atque vires, dummodo scilicet ad eam non deuenerit molem, qua immodicè repletis arterijs, suffocētur spiritus; quia cū sanguis arteriarum, & spiritus sint materia, ī qua habitat calor naturalis, teste Gal 2. aph. 1. & 3. eorūdē 2. si plus iusto exuberarent, calor ipse natiuus, impeditā eius transpiratione, obrueretur. Quocirca cōcludendū est ad virium firmitudinē requiri moderatā sanguinis tū venalis, tum arterialis copiā, quę sicuti proxima est caloris innati materia, ita hic viriū est fundamentū. Ex sanguinis enim ἀέρωσιν, hoc est aera substantia vitalem spiritum generari prodit Gal. 11. meth. c. 3. At vires cùm multipliciter accipiantur, hoc est vel penes optimam salubritatem; vel penes perfectam principum facultatum actionem: vel penes omnium corporis membrorum robur & firmitatem: vel penes ætatis longitudinem, haud in vno tantum subiecto sunt collocandæ: Si enim 1. 2. & 4. modo considerentur vires, certè non nisi in calidi natiui secundum quantitatem, & qualitatē mediocritate, vel proportione firmantur: quod idem est ac si diceremus in totius, & partium corporis optimo temperamēto, & perfecto calore. Natiuus enim calor est virtutum substantia, in qua consistit corporis virtus, & robur teste Gale-

Ad virium firmitudinē quid requiratur.

Natiuus calor quid.

no 2. ad Glauc. cap. 2. aut saltem primum, & necessarium virium instrumentum, vt ibidem, sicuti partium temperametũ, est virium essentia, 5. de loc. aff. cap. 7. & 1. de præsag. ex puls. cap. 4. Si autem tertio modo accipiantur vires, hoc est iuxta totius & partium soliditatem, & firmitudinem, consistit in partium carnosarum, ac solidarum substantia: vnde dicebat Gal. in 12. meth. cap. 5. in spiritibus, & solida partium substantia vires consistere. Hinc Alexander Aphrodisien. lib. 1. quęst. cap. 9. asserebat virium robur pendere ex bona corporis habitudine.

Temperamẽtum partiũ in quo fundatur.

Ex quibus ergo statuitur virium tenorem non in sanguine, sed in optimo perfectoq; totius corporis temperamento, & calore, nec non in quadrata totius, & partium habitudine, & soliditate: quod videtur Argẽterius paucis insinuare in 1. aphor. 16. dum inquit virium essentiam in temperamento, & corporis structura positam esse. Qui de hac re plura optat intelligere, consulat Iacobum de Partibus in primam primi Auicenn. doct. 4. cap. 1. & Io: Costæum in eundem.

Virium tenor in quibus consistat.

Interim concludimus vires, si non in sanguine sitę sunt, sed in spirituosa, & solida corporis substantia, ad sanguinis incrementum, ac decrementum non augeri, nec minui: & propterea pro certo habendum est ex sanguinis detractione, nisi sit immoderata, aut nullam, aut exiguam fieri posse virium deiectionem.

Conclusio.

Virium deiectio cur nulla aut exigua fit ex sanguinis detractione.

Quòd si quis instando dicat, si vires in spiritib⁹ constant; spiritus autem vna cũ sanguinis euacuatione euacuantur, impossibile est vires simul cum sanguine non exhauriri. Respõdendum est in sanguine spiritus quidem inesse, sed tam exiguos, atque rudes, vt ijs sanè exhaustis, nihilo detrahantur vires, nisi fortè per accidens, hoc est quatenus ad effatu dignã sanguinis, & spiritus euacuationem, confertã, ac insigniter factã sanguinis, & spiritus contractione, fiat quoque spiritus influentis simul subita, ac totalis ad centrum receptio, vnde necessum sit lypothimiam, aut syncopem suboriri, ex quatum non leuis fiat virium labefactatio: factã igitur aliqua

Instantia.

Spiritus quales in sanguine reperiantur.

ſpirituum ſanguinis diſſipatione, pro certo habendum eſt leuiſſimam fieri virium deiectionem; quoniam cùm partium viuentium ſint ſpiritus, non videtur in ſanguine, quem partem minimè viuentẽ eſſe nemo infitiatur, reſidere: tum quia ſanguini nec vlla virtus per ſe ineſt nutritiua, nec vlla vis alia naturalis: vnde ſi quis illi ſpiritus ineſt naturalis, is, vt dixi, tam puſillus eſt atque rudis, vt Galenus ipſe videatur ſpiritum naturalem aut prorſus negare, aut ſaltem dubitare num is reperiatur, cùm dicat in 12. meth. cap. 5. Quòd ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus eſt, vtique is quoque in hepate, & venis continebitur: ſed hunc ſpiritum, quem influentem vocat, non quidem in ſanguine ait reſidere, ſed forſitan in hepate, atque venis. At re vera nullam facultatem, ſeù ſpiritum influentem naturalem vult in hepate, aut in alia parte reperiri, ſed ſingulis membris inſitum eſſe ſpiritum naturalem, quo ſingulæ quæque partes ſibi inſitam habent naturalem facultatem alterandi, coquendi, retinendi, nutriendi, & alia munera naturalia obeundi: vt Galenus primo de loc. aff. capitulo vltimo videtur innuere, cùm plurimum differe inquiat naturalia ab animalibus inſtrumentis: ſiquidem naturalibus inſitam actionis vim eſſe dicit: animalibus verò inſtrumentis à principio, veluti lumen à ſole influere: nam ſi vllus eſſet ſpiritus influens naturalis, is certe non aliunde deriuaret, niſi ab ea parte, è qua tanquam à proprio fonte deriuat ſanguis, hoc eſt ab hepate: atqui nuſquam apparet Galenum verè ſpiritum naturalem influentem hepati velut proprio fonti tribuere; quoniam cùm vis queque propè ſuum fontem ſit ſemper vehementior, ac viuidior, ſequeretur ſanguinem, qui propior eſt hepati, eſſe magis ſpirituoſum; at hoc non videtur verum, cùm ipſe Galenus dicat in 6. de decret. Hippocratis, & Plat. capitulo 8. ſanguinem iecuris non eſſe ſpirituoſum: quare alterum duorum ſequeretur, aut ſcilicet ſanguinem, qui longior eſſet ab hepate, minus eſſe ſpirituoſum, aut hepar non eſſe ſpirituum naturalium fontem: primum enim eſt falſum, quia ſanguis eo ſpiritu magis eſt refertus, quo longius diſtat ab hepate: quod quidem non ſieret, ſi ſpiritus naturalis fons eſſet hepar: Verùm enim ſic u-

Sãguini quis ſpiritus naturalis inſit.

Spiritus naturalis vel influens in qua parte reperiatur.

Spiritus naturalis unde deriuet.

Quis ſanguis ſit ſpiritu ſior.

Spiritus in viuentibus partibus ... [illegible]

Inſita ea naturalia hab. inſita ... [illegible]

ti vitalis ſpiritus vberius viget in corde, & prope cor; quàm in vaſis cordi diſtantioribus; & ſicuti ſpiritu animali cerebrum cæteris partibus opulentius ſcatet; ita hepar, ſi ſpirituum naturalium eſſet officina, aut ſcaturigo, vtique cæteris partibus eſſet ſpiritibus naturalibus refertum; at hoc totum è conuerſo ſe ſe habet, vt ipſe fatetur in prædicto loco de placit. Quare ſtatuendum eſt hepar non eſſe ſpiritus naturalis ſcaturiginem; tametſi illi, ſicuti venis, & cæteris partibus inſita ſit facultas naturalis. Enimuerò ſanguis ex hepate fæculentus emergens, vlterioreſq; venas permeando, elaboratior euadit, ac eò tenuior, & perfectior redditur, quò tenuiores ſubierit venas: hinc per tertiam, vltimamque coctionem à calido partium connato in tam puram, & peregrinam naturam commutatur, vt ſanguineæ naturæ, limites iam prætergreſſus, innominatæ cuiuſdam ſubſtantiæ naturam aſſiſcat, ex qua iam è venis elapsâ, illi tres Auicennę humores Ros, Gluten & Cambiũ emergunt, quibus tanq̃ proximo nutrimẽto, quę iã deperdita erat viuifica partiũ ſubſtãtia, reficitur.

Facultas naturalis ubi insita sit.

Substantia innominata quæ sit, & unde fiat.

Tres Auicennę humores.

Quare videas quàm longè diſtet ſanguinis conditio ab vltima illa ſpiritali ſubſtantia, qua vires recreantur: immo non ex ſanguine vero immediatè regignitur illud puriſſimum nectar, quod eſt proximum virium fulcimentum; ſed ex ſpirituoſa arteriarũ ſubſtantia, quæ hoc modo elaboratur, dum tenuior ſcilicet, & perfectior sãguinis portio nõ ſolũ ex dextro cordis ſpecu ſepti eius tranſuerſi occulta foramina permeando, fit puriſſimus ſiniſtri eiuſdem ventriculi habitator: verùm etiam ex ipſo dextro ſinu in venam arterioſã, quę in pulmonẽ inſeritur, perductus, in arteriã venoſã per ἀναστομῶσιν tranſcolatur, & ſic ſubſtantia fit ſpirituoſa, quę quidẽ ſicuti arteriarum ductu in vniuerſum corpus influit, ac innatum calorem fouet, & ſuſcitat: ita ex puriori ſanguinis portione, vt dixi, cùm ipſe ſpiritus influens, tum calor inſitus pabulum ſuſcipit, & incrementum: vnde clarè conſpicitur noſtri corporis vires non in ſanguine immediatè fundari, ſed in illa aerea, & ſpirituoſa ſubſtantia, quæ proximius ex ſanguine arterioſo, diſtantius autem ex puriori ſanguinis portione exprimitur: & propterea concludendũ eſt ex ſanguinis detractione (niſi ſit maximo)

Calidum humidumque primigeniũ ex qua ſubſtãtia generetur et foueatur.

Cur ex sãguinis detractione nihilo fiat virium diminutio.

nihil

nihil ferè virium fieri detractionem: nã tanta nequit fieri sãguinis euacuatio, qua in venis ea non relinquatur portio, quę abundè sufficiat tum regignundis spiritibus, tum reparandæ partium dissipatæ substătiæ.

Nota

An Natura hominis nunc plurimum decrementi passa sit, ab eo quod erat prioribus seculis.

CAPVT XII.

NOn solum puerilis, senilisq; ætas prohibet copiosam sãguinis euacuationem; verùm etiam nostri seculi humanæ naturæ vis, quæ ab omnibus ferè tam ab eo robore, quo prioribus seculis erat, defecisse nunc creditur, vt eas largas amplius ferre euacuationes nequire existimetur.

Communis opinionis falsitas demonstratur.

Hęc enim cõmunis opinio quãta sit falax, & futilis facilè est ex antiquorũ monumentis deprehendere. Nam si præsentis Æui vniuersim homines cum antiquioribus conferantur, ijs, qui in Historijs apprime sunt versati, & bonarum litterarum peritissimis compertissimũ planè erit naturam humanam secũdum ætatem, corporis staturam, ac virium robur à Galeni, Hippocratisque temporibus ad nostram vsque tempestatem nihil propemodum decrementi fuisse perpessam: at si quid defecerit, huiusmodi decrementum tàm exiguum est, vt nullam habeat proportionem cum eo, quod in sanguinis detractionis quantitate, à nostratibus Medicis factum est, decremento.

Nota

Sanguinis quantitas penes Antiquos & Recentes

Etenim Antiquorũ quantitas, vt in paulò superioribus constat, in maximis morbis cum virium constantia, erat quinq; & sex librarum: Recentiorum autem non nisi sex, septẽ, octo vel decem vntiarum, vel librę ad summum.

Nota

Dauid quo tempore claruit.

Atqui tempore Dauidis, qui secundum Eusebium annis 630. claruit ante Hippocratem, ætas nostra, vt ipse testatur in psalmo 89. erat annorum septuaginta, in potentatibus autem octoginta; sicuti etiam à Varrone in lib. de re rust. & ab Ægyptijs talem fuisse existimabatur. Hippocrates autem,

qui

qui 580. annis fuit ante Galenum, tempestate, erat annorũ similiter septuaginta, octogintaque, & quandoque etiam nonaginta. Qnemadmodum quoque Galeni temporibus, imperantibus scilicet Traiano, Antoninoque Pio, eodem annorum numero viuebant homines, vt conspicuò apparet apud Historicos de Illustrium Virorum vita, ac ætate.

Hippocrates & Gal. quo tempore floruerut.

Vnde Vir ipse Pergamenus in lib. de sangu. miss. cap. 13. septuagennario, vt postremæ ætatis homini, dum illi esset insignis sanguinis plenitudo, & virium constantia, vt quandoque non nullis inesse consueuit, iubet paulo minus quàm in florenti corpore sanguinem exhauriri. Ex quo igitur apparet, quòd per illud tempus frequentior ætas vltima erat septuagennaria. Nostro autem Æuo, quod ab eo Galeni distat annis circiter 1570. hominum ætas nihilo minor videtur, cùm plurimi sexagesimum, non pauci septuagesimum, non nulli octogesimum annum attingant.

Cui septuagẽnario conueniat venæ sectio.

Quę temporis distantia sit inter Galeni tẽpestatẽ et nostrã.

Nec solum penes ætatem vix vlla facta est naturæ humanę diminutio, verùm nec secundum corporis proceritatem, & robur, cùm veterum mathematicorum mẽsurę tàm vetustioribus, quàm præsentibus hominum corporibus æquè adaptẽtur: sicuti tàm illis, quàm nostris temporibus & robustissimi, & infirmissimi homines reperiuntur. Et tandem nulla est penè harum, & illarum hominum naturarum discrepantia, vt clarissimè liquet ex veterũ Historicorum monumẽtis, & vt de hac re fusius, & luculentius alio loco disseruimus. Interim si plura de hac re testimonia desideres, consule Secũdũ Lãcellotum in suis Hodiernis discursib⁹ laudatissimum, & Gabriellem Naudęum Parisinum spectatæ eruditionis Virũ in quæst. 3.

Naturã hominis nec ratione ætatis, nec staturę, nec roboris imminutam esse demonstratur.

Quod in Pleuripneumonia etiam cum praua humorum qualitate liceat copiosam facere euacuationem.

CAPVT XIII.

STante igitur quòd exiguum hucusque factum sit humanæ naturæ decrementum, concludendum est absurdum esse,

atque

Cur exigua sāguinis missio in vehementib⁹ morbis pniciosa.

atque pernitiosum in magnis ac vehementibus morbis, qualis est præcæteris Pleuripneumonia, exiguam fieri sanguinis euacuationem; sed necessarium esse Antiquorum monitu, & exemplo in effatu digna quantitate eum mittere; quoniam in maximis inflammationibus, vbi ad reuulsionem faciendam insigni opus est euacuatione, vt passim Hipp. & Gal. docent, quæ nam reuulsio fieri potest misso semel ad vntias sex, septem, vel octo, vel paulò plus sanguine?

In morborū malignitate num sanguis educēdus sit

At si Medicus, vbi suspicans cum hoc morbo simul aliquam inesse malignitatem, aut pestiferam qualitatem ob virium tum præsentium, tum futurarum lapsus timorem, & ob sanguinis corruptionem, aut nullam, aut non nisi modicam in hoc casu faciendam esse dixerit sanguinis detractionem, legat quęsò apud Hippocratem libros epidemicos, in quibus planè videbit quàm salutaris semper fuerit copiosa in his morbis euacuatio sanguinis: vbique intelliget eos omnes, quibus effatu digna facta sit è naribus, aut alio loco sanguinis effluxio, ab exitialibus huiusmodi morbis vt plurimum euasisse: quibus autem modicum quid destillauerit, eos omnes mortem excepisse. Nam ipse sapientissimus Senex primo epid. sec. 2. statu 3. in illa Thasi pestilenti constitutione ait, qui benè, & largiter sanguinem è naribus profudissent, ij, vel ex eo maximè seruati viderentur; neque vllum, cui modò sanguis benè profluxisset, hoc in statu mortuum videri licuit. Philiscus siquidem, & Epaminon, ac Silenus, quòd ijs quarto die, & quinto de naribus parum stillauerit, mortem obierunt. Cæterum Apollonius in suis reliquijs de scarificatione apud Galenum cap. 20. in vehementibus, & exitialibus morbis copiosam sanguinis euacuationem insinuans, scribit se in Asiatica quadam pestilentia cū sibi ægrotanti è crure scarificato sanguinem ad duas libras extraxisset, à morbo euasisse: & ob id eos omnes, qui plurimum sanguinis hauriebant, inquit, fuisse prę-seruatos. Et ego nedum in febribus malignis cum peticularū efflorescentia, dum annis 1621 & 22. in regionibus nostris populariter grassabantur, in omnibus cum fęlici successu copiosam exercui phlebotomiam; verùm etiam hoc anno 1633 vt ægros

Apollonius in Peste quā sāguinis qātitatem hauriri suadeat.

ab huiusmodi Pleuripneumonicis morbis vindicarē, mihi opus fuit in omnibus ferè vbertam facere sanguinis detractionem.

Id quoque ratio suadet; quia certum est, quod vbi maior adest sanguinis plenitudo, ibi fortius inhibetur calidi transpiratio, ac validior fit putredo: & propterea dicebat Apollonius cap. 19 de scarificatione, oportere tum viscera, tum quæ in toto corpore sunt vasa intemperatè non repleri, neque distendi, sed potius in terminatâ quadam relaxatione esse, vt naturalis spiritus expeditè permeare possit: vnde suadebat Galenus in primo de diff. feb. cap. 4. ad præseruandum à pestilenti febre, totum corpus superfluitatibus expiari, & transpirabile reddi. Vnde non est mirandum si tēpore pestis quicunq; morbi populariter grassantur, vt plurimum sint anginæ, laterum dolores, pulmonis inflammationes, pustulæ, variolæ, morbilli, parotides, & id genus alij, qui ex insigni sanguinis plenitudine generantur: ex quo nec mirum etiam si sæpè in ijs videatur sanguis è naribus, aut aliumde, vel symptomaticè, vel criticè foras erumpere.

Malignitas febris in quo consistat. Apollonij animaduersio de vetanda corporis plenitudine, & densitate.

Morbi, qui tēpore pestis graßantur.

Quare non est vt quis miretur, si nostrates Medici in huiusmodi morbis copiosæ ac sæpius repetitæ euacuationis loco, nō nisi semel, & ad vntias sex, vel octo sanguinē detrahentes, ægros miserè interficiant: quo fit postea, vt penes vulgum, imò penes Medicorum non nullos ægrorum casu in ipsam phlebotomiam reiecto, tantum præsidij genus infametur, quemadmodum infausto Medicorum dedecore, & funesto nostræ Ciuitatis, immo totius Flaminiæ euentu contigit anno 1622. quo tempore, vt paulò superius dixi, vulgantibus dictis peticularibus febribus, sectio venæ propter exiguam sanguinis quantitatem, & importunum illius vsum, tanto timore odioq; fuit apud omnes, vt prorsus exoleuerit. Hoc idem contigisse constat Medicis Erasistrateis Romæ degentibus, quos acerrimè carpit Gal. quòd eadem de causa omnino prætermiserint venæ sectionem: vnde lib. de ven. sect. aduers. Erasistr. cap. 2. in Erasistratum, ac eius sectatores acriter inuehendo, proclamabat iniquum esse tantum Medicinæ præsidium ommittere: quonim vbi maximè opus est, à sanguinis missione abstinere, esse inquit perinde ac hominem

Medicorū nostri æui lætalißimus error.

Causa qua anno 1622. phlebotomia per totā Flaminiā exoleuerit.

Venæ sectio ab Erasistrateis ablegata

Nota

iugulare: minima autem ſanguinis detractio, vt ſupra dicebamus, parum differt à totali ſanguinis miſſionis abſtinentia.

In Pleuripneumonia quando cum humorũ prauitate prohibeatur venæ ſectio.

Ex his ergo liquet, quòd vbi cum Pleuripneumonia ſubeſt praua qualitas, dummodo nihil prohibeat, non debemus abſtinere à copioſa ſanguinis detractione. Id verò quod potiſſimè prohibet, eſt, quando iam progreſsâ vlterius febre, atq; putredine, ad eam corruptionem perductus eſt ſanguis, vt his non amplius naturæ gratiam, ac priſtinam bonitatem recipere valeat, quo caſu à ſanguinis miſſione penitus abſtinendum.

Quæ copioſã ſanguinis detractionem non ꝓhibent.

Non igitur ætas, neque noſtri ſæculi naturarum imbecillitas, neque morborum malignitas, aut ſæuities prohibet copioſã, vt morbus poſcit, nihilue prohibeat, ſanguinis detractionem.

Quando in Pleuripneumonia adminiſtranda ſit venæ ſectio.

CAPVT XIV.

Tẽpus ſecandæ venæ ex quibus petitur.

QVo tempore autem facienda ſit in hoc morbo ſanguinis detractio, ex indicantium, coindicantium, & prohibentium natura petendum eſt. Primo enim ratione materię: quoniam ſi hæc, nempè ſanguis, quantitate peccet, ita vt ſuâ immodicâ copiâ aliquod vehemens, aut vehementius malum minetur, tunc nihilo differendũ, ſed ſtatim circa morbi principium facienda eſt ſanguinis detractio: nam omnis procraſtinatio mala, potiſſimum verò in Medicina, in qua dilatio vitę periculum adfert, vt docet Hipp. in epiſt. ad Crateuam. Si autem qualitate ſit vitioſâ, hoc dupliciter illi poteſt contingere, aut ſcilicet quando adeſt cacochymia, vel humorum corruptio, & praua qualitas, quo caſu vel nihil ſanguinis detrahendum, ſi exquiſita ſit cacochymia, vel, ſi locus ſit venæ ſectioni, hoc primis diebus exequendum, nec priuſquam pharmaco ſuppurgante primæ viæ ſint ſuperfluitatibus expiatæ: maximè enim aberrare, dicebat Cardanus de malo med. vſ. cap. 17. illos Medicos, qui primis diebus in malignis, & exitialibus quibuſdam febribus, vbi nimirum adeſt cacochymia

Procraſtinatio in Medicina potiſſimum mala.

Medicorũ error in miſſione ſanguinis ex Cardano.

& hu-

& humorum corruptorum in primis vijs redundantia, antequam purgent huiusmodi humores, aut sanguinem mittant, vno elysteri confidentes, aut si pharmacũ aliquod exhibeant, illud non est purgans, quale docet Hippocr. 4. aphor. 10. & 2. aphor. 29. sed leniens, & nihil ferè educens: & propterea nulli mirum est, si ex his plurimi perduntur, iniectâ in sanguinis missione causâ. Aut quãdo cum sanguinis vitio adsit humorum insignis cruditas, siue in venis, siue in priorib' vijs: quocunq; enim loco insederit, semper est differenda venæ sectio: quoniam hæc adhiberi non potest priusquam vel intra venas facta sit aliqua coctio, vel ex primis vijs ipsius crudescentis materiæ expurgatio, vt nos monet Gal. 9. meth. cap. 5. & 11. eiusdem cap. 14. nec non de sangu. miss. cap. 9. licet quãdoq; tanta esse possit morbi vehementia, vt cogat Medicum etiam primis diebus præponere venæ sectionem; quoniam, vt ipse Gal. docet in 13. ipsius lib. de sangu. miss. tanta esse non potest humorum cruditas, quæ omnino prohibeat aliquam in principio fieri sanguinis detractionem: tum etiam quia experimento didici venæ sectionem non parum humorum crudorum coctionem adiuuasse.

Quando, & quamobrem differenda est venę sectio.

Morbus autem pro ut est quid pręter naturale, nisi quid insigniter obstet, semper citam sui curationem exoptat, & hæc eò celerius maturanda est per venę sectionem, quò magis morbus erit vehemens: aut si ab initio quidem leuis sit, vt sæpè id contingere solet, sed mox grauissimus futurus prægnoscatur, non sunt primi dies absque sanguinis missione prætereundi. Tria enim præcipuè sunt, quæ hanc subitam prohibent euacuationem, nempè materiæ cruditas, motus, & symptomata vires prosternentia.

Quando non prætermittenda sit phlebotomia.

Festinã sanguinis vacuationem tria prohibent.

Tanti enim est impedimenti eorum, quæ in primis vijs resident, succorum crudescentium quantitas, vt ni, priusquam scindatur vena, aueruncentur, aut concoquantur, periculum sit teste Galeno 9. meth. cap. 5. ne ipsi intra venas proripiantur, & in ijs pernitiosæ progignantur obstructiones: illud tamen præcautione dignum est, vt si Medicus cognouerit vel

Succorum in primis vijs residentium cruditas quãti sit impedimenti.

 in san-

Quo casu sã-

guinis missio in cruditate nõ differẽda.

in sanguine aliquod insigne vitium inesse, quod cunctatione maximum minetur malum, vel cum viribus firmis aliquem vehementissimum morbum vrgere, aut iminere, tunc spretâ eorum succorum cruditate, consilio Galeni in 13. de sangu. miss. & Cels. lib. 2. cap. 10. nihilo debet venæ sectionem retardare; q etiam videtur innuere Auicen. cap. de phlebotomia.

Duo materię morbificæ motus in sãguinis missione pręcauẽdi.

Motus autem ipsius materiæ morbificę debet pręcaueri, quoniam hic cum dupliciter fiat: vnus est quãdo ipsa materia de vno in alium locum commota, facit febrium accessionem; cauendũ est ne in ipso febris impetu sanguis hauriatur, quoniam, vt ibid. Cels. inquit, esset hominem iugulare.

Alter motus est quando per crisim natura alicui moliendæ humoris expulsioni parata est, tunc enim misso sanguine, natura, quominus humorem expellat, & morbum expugnet, aliquorsum distraheretur, & quo minus crisim aggrediatur, impediretur: quare nos inuasionis horam, tempusque crisis effugientes, debemus in febris remissione, aut saltem hora quietiori hoc pręsidium adhibere. Verùm hoc, vt monet Herodotus apud Oribasium 7. collect. cap. 8. obseruari non debet quando aliquod grauissimum symptoma tunc temporis accedit, vel fore accessurum timetur, quale esset suffocatio, conuulsio, acerbissimusque dolor, quo casu fas est & in qualibet cruditate, & in febrium inuasione, in crisisque tempore venas secare; quoniam priusquã materia esset concocta, febrisque declinasset, aut crisis tempus prærerijsset, certè prius à vi morbi æger esset interfectus.

Phlebotomia quo cõmodiori tempore debeat administrari

Symptomata quãdo retardent sanguinis missionem.

Symptomata quoque, si eorum acerbitate minus vires deijcere videantur, tandiù differenda est venæ sectio, donec ipsa fuerint mitigata, dumodo tamen ab ea causa producantur, quæ nisi venæ sectione auferatur, minimè possint mitigari.

Subitam sanguinis detractionem coindicantia.

Quo casu nõ vltra quartã diẽ differen-

Vires simpliciter validę cum morbo quidem vehementissimo coindicant primis diebus faciendam sanguinis detractionem; cum mitiori autem morbo, differendam, nisi paulò post vehementissimum futurum timeamus, tunc enim minimè esset differenda. Quod eo magis satagendum, quando his accedat malignæ qualitatis suspitio: quo casu omnes ferè melioris

notæ

notæ Viri clarissimi monent in febribus, morbisque malignis non vltra quartam diem venæ sectionem protrahendam, antequam scilicet facta sit sanguinis corruptela, ac insignis virium iactura: immo tempore pestis, dum videlicet ob venenosiorem qualitatem, & excellentiorem putredinem, citius sanguis naturæ gratiam amittit, ac vires subito collabuntur, nihilo differenda est sanguinis detractio, vt ex Hippocrate constat primo aphor. 19. & 4. acut. 73. Propter quod Dodonęus suo obseruationum libro dicebat in illa epidemica peripneumonia, quæ anno 1557. & 1565. grassabantur, quicunque non prima, aut altera, aut tertia saltem die missus fuerat sanguis, eos omnes perijsse: quod etiam ratificatur à Petro Foresto de Peste Delphensi libro sexto obs. 14. Vnde Sennertus statuit in hoc casu non vltra vigesimam quartam horam prorrogandam esse venæ sectionem: quo tempore elapso, eam non amplius conuenire.

da sit sanguinis missio.

Quãdo nihilo differenda sit phlebotomia.

Quando autem Medicus vltra quartam diem accesserit, nec vllam malignitatis notam depræhenderit, viribusque tunc firmis se habentibus, audacter poterit sanguinem ducere eâ quantitate, quam vires, plenitudo, morbusque videbitur postulare: ita enim ego vel Galeni consilio in 20. & 21. de sangu. miss. sæpissimè quacunque die, & hora ad ægrum accesserim, fælici euentu sanguinem duxi.

Quando qualibet die, & hora conueniat sanguinem mittere

Vires autem per se ac simpliciter debiles cum morbo vehementissimo indicant prima die secandam esse venam; per accidens autem, hoc est pro vt ab aliquo graui symptomate deijciuntur, indicant phlebotomiæ dilationem; quod tamen non esset faciendum, dummodo ipsum symptoma posset à venæ sectione sedari.

Prima die sãguinis missionem indicantia.

Phlebotomiæ dilationem per accidens indicãtia.

Vbi autem morbi vehementia eadem die multum sanguinis detrahendum indicet, vires autem inualidæ hoc prohibeant, tunc partienda est talis euacuatio, quæ si fieri non possit vna ex primis diebus, pluribus subsequentibus facienda donec ex voto cõpleta sit euacuatio.

Quo casu partienda est venæ sectio.

Quę autẽ diei hora secandę venę cõmodior eligenda sit, nulla alia

Phlebotomiæ commodior hora.

alia assignari debet, quàm illa, in qua morbi vrget vehementia: quoniam vbi aliqua vehemens adsit inflammatio, vel dolor, vel imminens suffocatio, vel casus ex alto, vel grauissima percussio, aut vulnus, quacunque diei, vel noctis hora citra vllam dilationem facienda est sanguinis missio: sicuti hoc præceptum est à Galeno 20. & 21. de ven. sec. per sangu. miss. Qua ratione ibidem illos Medicos mirũ immodum increpat, q vt in 3. etiã epid. com. 3. constat, non nisi primis diebus, nec vltra quartam diem, nec nisi transacta quinta, vel sexta diei hora, nec nisi febre declinata audebant sanguinem detrahere, cùm dicat omni die, & hora posse audacter detrahi; quoniam non numero dierum, sed vno virium robori incumbendum esse docet ipse Gal. in 9. meth. cap. 5. quocunque enim die, idem dicebat 20. de sang. miss. mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiam si vel vigesimus is ab initio extiterit: immo Auic. lib. 1. fen. 4. cap. 20. ait post quadragesimum etiam diem, si opus erit, secandam esse venam.

Medici in quo casu à Galeno criminetur.

Phlebotomiæ commodior hora.

In quibus autem dantur induciæ, commodior hora censetur matutina, vna scilicet, vel altera hora post somnum, vel ante cibum: quemadmodum etiam quandoq; vespertina.

Qua die phlebotomandũ vbi nulla adest vrgentia, & febris est interpolata.

In quibus autem tanta non adest morbi vehementia, sed alternis diebus, aut statis quibusdã horis fit exacerbatio, vel inuasio, tunc debemus quietiorem eligere horam, ita vt, si fieri possit, quatuor, aut quinque horas ante febris accessionem, aut alterius morbi inuasionem sanguinem detrahamus.

Nec tempus nec Planetarum aspectus prohibent venæ sectionẽ.

Nec quando in temporibus extremè calidis, vel frigidis, siue in Lunæ cum Sole, siue cum alijs Planetis, & præsertim improsperis coniunctione, vel oppositione, vel alio quouis aspectu vrget morbi vehementia, debet Medicus in melius tempus differre curationem: sed semper in quocunque tempore, & qualibet hora adsit secãdæ venæ vrgentissima occasio, hanc statim debet administrare.

In vehementibus & malignis mor-

His igitur sic se habentibus, statuendum est, quòd quando, tàm in Pleuripneumonia, quàm in morbis pestilentibus,

bus; & malignis febribus, & morbis humorum corruptela, aut insignis cruditas non appareat, neque vires omnino sint debiles, aut morbo iam defatigatæ, consulo Medicis, vt quacunque die, & hora ad ægrum accesserint, facto prius decenti terum examine, statim suadente Galeno 5. meth. c. 15. absq; vllo timore, atque dubio iubeat venam secari, præmisso videlicet ex vsu clystere, aut, si adsit cacochimia, vel in primis vijs humorum congestio, præexibeant aliquod pharmacum leniens, & simul minorans; deinde eam faciant sanguinis eductionem, quam morbus, & causa indicant, & vires ætasq; permittunt.

bis absq; humorum corruptione, qd faciendum.

An cucurbitularum vsus in Pleuripneumonia conueniat? Vbi quæritur num cucurbitula scarificata sit phlebotomiæ vicaria?

CAPVT XV.

SI autem aliqua interpellet causa, quæ venæ sectionem prohibeat, vel quomodocunque impediat, veluti virium infirmitas, aut habitus mollis, & tenellus, qualis est puerorum, vel quarundam muliercularum albidiorum; aut humorum cruditas, aut ægrotantis pusilanimitas, vel renitentia; tunc quęritur an loco phlebotomiæ possint cucurbitulæ scarificatę substitui; ita vt in hoc morbo idem pręstare valeant, quòd venæ sectio.

In quibus casibus conueniat cucurbitularũ vsus.

Qui cucurbitulas venæ sectioni substituendas esse tuentur, hisce rationibus fulciuntur. Nam dicunt cucurbitulas scarificatas partibus externis, & à principalibus membris longius applicitas sensim, ac citra vllam spirituum iacturam, viriũq; deiectionem, sanguinem euacuare.

Rationes eorum, qui cucurbitulas substituunt venæ sectioni.

Prima ratio.

Cæterum in malignis, & exitialibus morbis, & præsertim in febribus, vbi nimirum succorum adest corruptela, atque venenositas, & maximè quando ipsi humores praui ad cutim propelluntur à natura: vbi scilicet efflorescere incipiunt peticulæ,

Secũda ratio.

aulæ, aut pustulæ, aut morbilli, aut variolæ, carbunculi, bubones, parotides, & id genus alia. In quibus casibus dicunt nullũ aliud præstantius remedium inueniri, quàm cucurbitulas: per has enim dicunt humores tenues, curruptos, & venenosos, ac halitus prauos ab intimis, & præcipuis partibus ad cutim extrahi, & citra virium iacturam commodissimè exhauriri.

Tertia ratio.

Præterea dicunt cucurbitulis incisis eam posse ad libitum fieri sanguinis detractionem, quę fit per venæ sectionem, vt docet Apollonius: tum per ipsas materiæ morbosæ, febrisq; eductionem fieri testatur Aurelianus 3. acut. cap. 4. & ob id cucurbitulam nedum vacuatorium, sed & strenuum reuulsorium esse, fatetur Gal. Itemque obstructionibus dirimendis appositum esse remedium scribit Plin. & ad totum multitudine leuãdum perhibet Celsus. Hæc autem cùm propria sint venæ sectionis munera, huic merito debet cucurbitula subrogari.

Cucurbitula in quib⁹ morbis conueniẽtior sit phlebotomia.

Quare concludi potest, quòd in hac epidemica, malignaque Pleuripneumonia, in qua plurimi peticulis, variolis, & morbillis afficiebantur, præceteris conuenientior esset cucurbitularum scarificatarum vsus.

Apollonij decretum.

His fauet procerum Medicorum authoritas. Nam Apollonius Hippocratis Discipulus apud Oribas. 7 collect. cap. 19. iubet loco sectionis venę, vt minor fieret spirituũ effusio, ab ignobilioribus partibus per scarificationes sanguinis fieri detractionem. Hunc imitatus est Gal. in libello de hirudinibus, & in 2. aphor. 17. scribens tibiarum scarificationem proximam esse venæ sectioni: quod etiam videtur confirmare in 4. de tuen. valet. cap. 4. & 13. meth. cap. 5. vbi iubet in corpore plethorico, aut vitiosis humoribus referto sanguinem duci siue per sectam venã, siue per crurum, aut malleolorum scarificationem. Quibus cõsentiunt & Aetius tetr. 3. ser. 3. c. 21. & Aretęus lib. 2. acut. cur. cap. 3. & Aurelian. lib. 3. acut. cap. 4. qui in inflammationibus, & febribus ad morbosam materiã euacuandam; vbi scilicet venæ sectionem facultas nequeat sustinere, tuto cucurbitulas esse administrãdas consulunt: quas etiam commendat Trallianus lib. 6. cap. primo dum scilicet multa non adsit plenitudo. Auicen.

Galeni, Aetij, Aurel. & Traliani loca malleolorum, vel crurum scarificationem venæ sectioni equisfacientia.

quoque tantum cucurbitulis fidere videtur, vt illis nedum ad reuellendum, & quasdam extimas partes euacuandum vtitur; sed ad totum etiam exonerandum: ita vt ipsas principalium venarũ sectioni æquipolere non vereatur. Cuius doctrinam sectantur Rasis, Aly Abbas, Albucasis, & alij Araborum. Præter Græcos, & Arabes non nulli quoque ex Latinis huic sententiæ subscribuntur, vt Celsus lib. 2. cap. 11. & Plin. 2. hist. lib. 32. c. 10. Quam Antiquorum doctrinam omnes ferè recentiores insectãtur, qui ex Auicen. præsertim sententia cucurbitulam scarificatam vocant phlebotomiæ vicariam.

Cucurbitulæ ab Auicenna quibus vsibus commendantur.

Opposita tamen sententia vt verior, ac tutior cùm rationib⁹, tũ auctoritatibus comprobatur. Rationes sunt, sanguinis missio per venę sectionem, ex Græcorum, & Araborum sententia, est vniuersalis euacuatio, quę multitudinem leuat, & quę omnes humores indifferenter euacuat. At cucurbitula scarificata non est, testibus Gal. & Auic. remedium vacuatiuum vniuersale, sed particulare: & subtiliorem tantumodo sanguinem, serosumque humorem exhaurit: crassum autem in suis grandioribus vasis relinquit. Non est ergo cucurbitula phlebotomiæ vicaria.

Rationes quibus demonstratur cucurbitulam nõ posse phlebotomiæ substitui.

Prima ratio.

Accedit, quòd ex venæ sectione sedantur dolores, inhibentur inflammationes, extinguuntur febres, auferutur obstructiones: cucurbitulâ verò nihil horum efficitur. Cæterum per sanguinis missionem fit tractio ab extimis ad interiora, vt Gal. docet 4. de tuen. val. cap. 10. per cucurbitulam è contra ab intimis ad exteriora: at his exteriora refrigerantur, testibus Galeno, Oribasio, & Auicen. venæ sectio autem interna refrigerat, causam calorificam adimendo: exteriora verò in suo naturali statu conseruat. Non idem ergo præstant cucurbitulæ, ac venæ sectio.

Secunda.

Præterea cùm natura in bonis operibus sit immitanda, vt docet Arist. 4. meth. Hipp. imitatus in 6. epid. com. 2. text. 44. Si Medicus ad leuandam corporis plenitudinem, loco venæ sectionis cucurbitulas adhiberet, contra naturæ mores, ac instituta, immo frustra operaretur. Nunquam enim visum est naturam per habitum corporis sanguinem euacuare; sæpè autem compertum est per nares, hemorrhoidas, atque vterum euacu-

Tertia.

asse. At si Medicus non semper ductu naturæ per easdem venas possit sanguinẽ extrahere, tum propter earundem venarum secandarum difficultatem; tum propter morbi naturã, qui ab eiusmodi venis purgationem non exposcit; earum loco venas cubiti, vel poplitis, aut malleoli insigniores aperit, vt quæ ex fonte morbosiorem sanguinem haustũ effundant.

Quarta. Rursus cucurbitularum intentio est materiam in interioribus lædentem foras educere: atqui cum sanguis in febribus efferuescat in præcordijs, planè impossibilè est tunc sanguinẽ posse per cucurbitulas ad exteriores partes extrahi; quoniam cùm fortior sit ipsius caloris febrilis interni, quàm cucurbitularum attractio, omnino harum frustraretur operatio, quia cedentem oportet reuellere statim, renitenti cedere, vt docet Hipp. 6. epid.

Quinta. Porrò si cucurbitula tam aptum esset adimendæ plenitudinis instrumentum, & tam benigna, laudabilisque phlebotomiæ vicaria, non solum Hipp. Gal. & Auic. sed cæteri omnes Antiquiores vt plurimum hæmophobi existentes tantũ præsidij genus pro venæ sectione millies vsurpassent. Atqui nemo horum quem viderim, hoc tali vsui proposuisse constat. Ergo, &c.

Autoritates. Autoritates sunt huiusmodi. Nam Hipp. in lib. de Med. de loc. in hom. text. 34. de vlcer. & 5. aph. 50 & in alijs locis, in quibus de cucurbitulis verba facit, nunquam illis vtitur ad plenitudinem tollendam, sed tantum ad reuellendum, euocandum, foras extrahendum, cohibendum. Et Gal. multis in locis, vt præsertim 13. meth. cap. 19. lib. de hirud. cùm plura cucurbitulis assignet munera, nempè foras euocãdi, dolores sedandi, inflationes discutiendi, fluxiones inhibendi, & id genus alia præstandi, nunquam in cunctis eius operibus visus est dixisse cucurbitulas ad vniuersi corporis plenitudinẽ eximendam, aut minuendam esse adhibendas: imò potius in plethorica syndrome, vbi humorum æquè redundantiũ purgatione opus est, non modò cucurbitularum, siue scarificatarum, siue non scarificatarum vsum prohibet, sed tanquam

Cucurbitularum munera ex Hippocrate, & Galeno.

inu-

inutilem, ac pernitiosam magnopere damnat, vt ex eius monumentis facilè cuique conspicuum fiet.

Cæterum ipse Gal. 11. meth. cap. 15. & 6. epid. com. 3. text. 30. eos Medicos reprehendens, qui in principio febrium, toto corpore adhuc repleto, prætermissa sanguinis missione, nedum inunctionibus, cataplasmatis, fotibusque vtebantur; sed ipsismet cucurbitulis, vtpotè quæ cùm fortius illis attrahant, totius corporis superuacua in nobiles partes protrahendo, infinitos propemodum perdunt. Pręterea idem in libello de hirudinibus cap. 3. & 11. meth. c. 17. & 18. purgatis quidem corporibus vtiles esse cucurbitulas inquit, repletis verò prætermittendas. Quod idem obseruandum esse ait in cerebri, aut membranarum eius, aut aliarum partium phlegmonis principio: at sedata iam fluxione, corporeque euacuato ad materiam è parte affecta extrahendam, eas adhibendum. Quòd idem docere videtur in 13. meth. cap. 19, vbi inflammata parte non in principio, nec nisi toto perpurgato vtendū est cucurbitula: dum autem generatur inflammatio, non ipsis partibus laborare incipientibus, sed proximis reuulsionis gratia admouendæ sunt. Paulò autē infra, sicut libello de sangu. miss. cap. 19. in oculorum fluxionibus, aut capitis grauitatibus, & doloribus ex plenitudine ortis cucurbitula occipiti affixa efficax remedium habetur, dūmodo tamen, vt dixi, totū corpus fuerit euacuatum: secus autem dum sanguine repletū est corpus, in quacunque parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipsum implebis.

Hanc Galeni doctrinam in totum sectati sunt Paulus Ægineta lib. 6. cap. 41. Oribas. lib. primo Synops. cap. 13. & 25. & 7. collect. cap. 15. & 9. eiusdem cap. 21. Aetius tetr. prima ser. 3. cap. 20. vbi ex Antilli sententia hæc habet. Illud porro nosce expedit, quòd non solum localis venæ sectio detrimento est antequam vniuersum corpus euacuetur per affectas partes sanguinē detrahens, sed etiam cucurbitula. Et venæ quidem sectio minus est periculosa: pro ratione enim ellationis materiæ, etiam sanguinis excretionem facit; Cucurbitu-

Aetij de cucurbitularū vsu pulchra animaduersio.

la verò tum impetu affixionis violenter materiam attrahens, tū multum locum occupans, & tamen neque vasis sensibilem fissuram faciens, attrahit quidem memorabilem materiam, non euacuat autem pro ratione attractę. Et præcordijs quidem intempestiuè affixa, pręsertim quidem in continentibus febribus, aut semitertianis, & maximè si etiam mens ægri fuerit turbata, & sensus sit obtusus, strangulatus, & mortem eadem die inducit. Celsus item lib. 2. cap. 11. vsum cucurbitulæ præcipuum esse, inquit, vbi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est. Et quamuis paulò inferius dicat in acutis quibusdam morbis ad leuandum corpus, sanguinemque ex vena educendum vires non permittant: hoc tamen subiungit; sicuti id præsidium nullius periculi; ita leuius esse, nec posse vehementi malo, nisi æquè vehementis auxilium succurrere. Ad quem vsum omnes penè seniores Attici, vt Hipp. Athenæus, Ælianus, Aretæus, Varro, Trallianus, Herodotus, & alij cucurbitulis vtebantur, quas non in morborum initijs, nec in plenis corporibus, sed dum totum superfluitatibus expiatum esset, neque amplius in partem phlegmone obsessam influat, ad particulamq; euacuandam, & materiā foras extrahendum, adhibendas esse consentiunt. Quibus etiam adstipulantur Arabes quidam, vt Rasis, Albucasis par. 2. cap. 98. & alij, quos breuitatis causa prætereo.

Celsi cautum de cucurbitulis.

Nota

In quibus casibus Veteres cucurbitulis vtebātur.

Quare vniuersa Græcorum Academia cùm nouerit cucurbitulam esse pręsidium, quod parti non toto prospiciat, nec nisi pręcessâ venę sectione toto possit administrari, haud passa est eam phlebotomiæ vicariam substituere, imò eandem in cataplasmatum, fomētorum, frictionum, deuinctionum, synapismorum, vesicantium, & similium numero reponendam esse statuerunt.

Græcorū Academia in quo pręsidiorum genere reponebat cucurbitulas.

Arabum autem schola, cuius Princeps est Auicennas, tametsi eam quarundam principalium venarum sectioni substituendam esse crediderit, non tamen hanc absolutè in qualibet corporis plenitudine eximenda, & in quouis corpore, habitu, & natura eam posse adhiberi docet; sed tantum in leuibus plethorijs, & vbi parua sit plenitudo; & ad cutem magis, quàm totum corpus eua-

Araborum schola in quibus casib⁹ vtebantur vētosis.

euacuandum; & vbi sanguis non crassus, sed subtilis, & in habitibus mollibus, albis, pinguibus, effœminatisq; idoneum esse remedium fatetur.

Cur Auicennistæ arbitrãtur cucurbitulas eße phlebotomiæ vicarias.

Verùm causa propterquam plurimi existimant cucurbitulam esse venæ sectionis vicariam, est quòd arbitrantur cucurbitulas scarificatas vnum & idem esse, ac antiquorũ scarificationes, quas Gal. docet eadem munera præstare, quæ venæ sectionem, & tamen plurimum inter sed differunt, vt ratione, autoritate, experientiaq; constat. Nam cucurbitula violentâ quadã attractione, vacui scilicet ratione sanguinem non multũ euacuat: antiquorum autem scarificatio sponte, ac nullo artis connatu copiosum sanguinẽ exhaurit. Tum quia apud veteres tãtum cruribus, & circa malleolos, & pręsertim vbi venę magis erant conspicuę scarificationes infligebantur: tũ etiam quia incisiones & frequẽtiores, & profundiores fiebant: atq; virgulis quibusdam partes scarificatæ plurimũ percutiebantur, & calente aqua fouebãtur: nostris autem temporibus hæc omnia multo secus efficiuntur.

Scarificationes Antiquorum vbi, & quomodo vsurpabãtur.

His accedit Galeni confirmatio in pluribus locis, & præsertim in 4. de tuend. val. cap. 4. & 11. de sangu. miss. & de scarific. ex Antillo, tum 13. meth. cap. 5. & alibi, qui sæpè loco sectionis venæ consueuit scarificationibus vti. Vbicunque autem cucurbitularum vsum proponit, eas nunquam ad plenitudinem eximendam adhibet, & non nisi toto corpore perpurgato eas in vsum deduci iubet. Huiusce rei veritas ex hoc facilè depręhendi potest quòd ipsi antiquiores Græci & cucurbitulis, & scarificationibus suum peculiare tractatum seorsim præscripserunt. Præter fidem quam abundè præstant Io: Iacobus Mannus, Prosper Alpinus, & alij clarissimi Viri, qui ex professo de Antiquorum scarificatione scripserunt.

An venarũ tenuitas, & distãtia atq; sensim facta euacuatio minus vires infringat. Pars affirmatiua.

Num autem venarum tenuitas, & distantia, atque sensim facta sanguinis euacuatio in causa sint, vt vires minus deijciantur, res quippe tum rationi consentanea, tum ab omnibus recepta planè videtur: Nam venarum angustiâ efficitur, ne sanguis affatim, & subitò effundatur, sed sensim, & guttatim, vnde natura minus læsionem patitur: longinquitate etiam id boni

præ-

præstari dicunt, quòd eò copiosior fiat spirituum dissipatio, quò fonti spirituum propius exhauritur: sic eò minor, quò lõgius. Attamen non his rationibus à cucurbitulis credo minus vires deijci, quàm à venæ sectione: quoniam certum est per scarificationes nõ modo venas, sed æquè etiam arterias capillares aperiri: & consequenter non minus spirituosam, quàm sanguineã substantiam exhauriri: tum quia non sanguis crassus, ac impurus educitur, quemadmodum ex venarum incisione, sed tenuior, purior, & elaboratior: nec harum substantiarum euacuationem spontaneo naturæ ductu fieri, vt ex secta vena, sed violenta cucurbitularum attractione; propter quas causas rationi consonum esset ex cucurbitulis scarificatis maiorem fieri virium iacturam, quàm ex venæ sectione.

Pars negatiua.

Verùm rectius fortasse dicerẽt huiusmodi cucurbitulas minus vires deijcere, eò quòd trahentes à circuniacentibus partibus exterioribus, non à toto, neque à maioribus sanguinis, ac spirituum vasis, & fontibus euacuant, & proinde minorẽ fieri substantiæ iacturam: quę autem fit per venam sectam inanitio, cùm trahat à circonferentia ad centrum, efficit, vt ad exaustum fontem spiritus influentes relictis exterioribus, cõfluant ad interiora vasa; vnde fit, vt omnes particulæ exteriores spiritibus destitutæ, elanguescant: enimuerò in spiritibus, in carnosâ, solidâque substantiâ vires, teste ipso Gal. in 11. meth. cap. 1. continentur. Aut dicendum, quòd per sectam venam exahausto sanguinis fonte, fit tractio sanguinis ab extimis ad interiora, ad quem motum consequente spiritu influente sæpè subsequitur syncope, aut lypothimia, ex qua non parum vitiantur vires, quod quidem fieri nequit à cucurbitulis, quæ diuersum efficiunt motum, hoc est à centro ad circunferentiam.

Rectior Aduersariorum ratio.

Vires in quibus contineatur.

Cur ex sãguinis missione per venam sectam sæpe fit syncope, ex cucurbitulis autem nequaquam.

Ad hæc respondeo, quòd vires possunt deprauari vel in præsenti, vt ex sanguinis missione per venæ sectionem mediante spirituum reconcentratione; vel in posterum, vt per cucurbitulas exhausto sanguine puriori, spirituosâque substantiâ; crasso autem & vitioso sanguine in grandioribus venis reli-

Vires dupliciter deprauantur.

relicto: atqui illa, quæ fit ex venæ sectione virium deiectio, facilè, ac breui temporis spatio reparatur; quando scilicet minorato sanguine, nedum ipse purior euadit, sed calor liberius perspirat, & causâ morbificâ, quæ vires deijciebat, ablatâ, reuiuiscunt vires, atque spiritus multò perfectiores ad pristinas partes exteriores reuertendo, eas suo pristino vigori restituunt. In cucurbitulis autē scarificatis è contra: & licet tunc temporis ob contrarium sanguinis, & spirituum motum, hoc est ab intimis ad extima, nulla sequatur lypothimia; tamen non multò post, exhausta vtiliori substantia, relictaque in interioribus causa morbifica vires labefactante, non mirum est, si sæpius multa subsequantur incommoda; nam ex inanitis subtilioribus venis, loco purioris substātię succedit crassior, & impurior, ex qua non modò non tolluntur obstructiones, sed auctiores, contumatioresque fiunt, ex quibus putredines, & febres, vel inflammationes succrescunt.

Venæ sectionis cōmoda.

Cucurbitularum incommoda.

His ita se habentibus, primæ opinionis argumenta facilè demoliuntur. Nam prima, & secunda ratio, cum nihil aliud probent, nisi quòd ratione venarum distantiæ, & tenuitatis minor fiat spirituum dissipatio, & materiæ ichorosæ euacuatio, nihil videtur contra alteram sententiam, & ipsammet veritatē concludere; non enim probatur cucurbitulas esse phlebotomiæ substituatas. Tertia ratio vera esset, si cucurbitulę eandem vim haberent, ac Antiquorum scarificationes.

Argumētorum satisfactio.

Auctoritatibus autem ita satisfatiendum est. Nam Auicenna, vt diximus, cucurbitulas non absolutè ait esse phlebotomię vicarias; sed quarundam venarum sectioni æquiualentes: & non ombibus corporibus, ætatibus, habitibus esse inquit idoneas, sed tantumodo mollibus, albidis, pueris, & mulieribus, & sanguinem tenuiorem habentibus. Quæcunque autem à Græcis afferebantur, nihil officere videntur, cū nihil aliud concludant, nisi quòd scarificationes antiquæ eandem vim habent, quam habet venæ sectio, non autem cucurbitularum vsus, quod & nos gratis admisimus. Aretæi placito respondetur eum loco sectionis venæ cucurbitulis vsum esse,

Opinionis Auicennę de cucurbitulis interp̄tatio.

Græcor autoritatibus respondetur.

esse, nõ quòd ipse credat has phlebotomię esse ęquiualentes, sed quia curans syncopem ex hepatis inflãmatione, coactus est illas adhibere, vt ipsam syncopem præcaueret, sciens ex sanguinis missione, quæ trahit à circunferentia ad centrum, facilè syncopem generari. Aureliani, & Tralliani sententia nihil nobis aduersatur, cùm velint cucurbitulas non nisi in aliqua parte euacuanda, aut in leui plenitudine, & iam toto per venæ sectionem purgato corpore, conuenire. Ad Celsum verò dicendum est eum cucurbitulas pro scarificationibus sumpsisse, quoniam optimè nouerat cucurbitulam, sicut leue præsidium est, sic leuibus morbis tantum conuenire. Plinium tandem rectè dixisse concedimus, si particulis euacuandis aut paruę plenitudini aferendę solum adaptari cucurbitulas velit: ita enim & reuulsioni, & euacuationi accommodum est remedium cucurbitula: si secus autem intelligat, de illo dicerem, quod de Celso protulit Quintilianus, vt parum scilicet illi credamus, cùm minimè esset Medicus, sed bonus Grammaticus.

Cucurbitula cur nequeat dici venæ sectionis vicaria.

Statuendum est igitur cucurbitulam, cùm non nisi in aliquib⁹ leuibus casibus, & in nonnullis corporibus, & in particulis exterioribus vacuandis cõueniat, nequaquam dici posse venæ sectionis esse vicariam.

Cur in Pleuripneumonia non conueniat.

Cùm igitur hisce tot rationibus, & principum Auctorum monumentis constet cucurbitulas non posse venæ sectionis vices obire, concludendum est eas in Pleuripneumonia, in qua vnicâ vice plurimum sanguinis hauriendum est, non esse vsurpandas; sed tantum in pueris, & in ijs, qui tenellum habent corporis habitum, sanguinemque subtilem: & in his non nisi cogente necessitate; quoniam multo satius esset, si fieri possit, sanguinem ex sectis cubitorum venis exhaurire.

An hirudines loco sectionis venæ cõueniãt in Pleuripneumonia.

CAPVT XVI.

Hirudinũ vsus qualis apud Neotericos.

TAm Hirudinum vsus inualuit apud Neotericos, vt eas pro venæ sectione tuto consueuerint adhibere, existimantes p

eas

eas & copiosum, & crassum sanguinem non solum à partibus, sed à toto corpore euacuari: quod rationibus, auctoritatibusque & experientia demonstrant. Nam dicunt eas dente vel osculo velut scalpello venas tàm subtiles, quàm crassas aperire; ita vt non solum suctione, sed vuulneris apertione ex se sanguinem effundi, & eò magis exitu laxiore facto vulnere, fluxionem adaugeri: etsi non ex se aperiantur, insessu, & suffomigio, aut spongijs aqua calente madefactis, faciliorem exitum parant: quo fit vt tãta sæpè sanguinis copia effundatur, vt difficilè quandoque fuerit sanguinis impetum cohibere, & ipsa vlcuscula obturare: quod videtur testari Gal. in libello de sangu. miss. cap. 19. vbi dicebat, aliquando ad tantam euacuationis immoderantiam peruenisse, compertum esse, vt hominem vel protinus ad interitum, vel in hydropisim, vel in cachexiam perduxerint: & eas à profundis partibus sanguinem exhaurire docet Auicen. lib. 1. fen. 4. cap. 22. Imò Gal ipse in 4. de tuend. val. c. 4. & 6. epid. com. 5. text. 25. hemorrhoidum purgationem ad totius corporis plenitudinẽ eximendam idoneam esse perhibet: quas etiam 9. meth. cap. 5. excusare inquit à venæ sectione; & proinde cùm sanguinem crassum, & melancholicum expurgent, à plurimis morbis ex atra bile ortum ducentibus vindicare scribit Hipp. & Gal. 6. aph. 11. quinimo in 6. epid. com. 3. text. 37. & in com. 6. text. vlt. eos, qui mariscis afficiuntur, neque morbo laterali, neque peripneumonia, neque alijs pluribus morbis tentari, docet Hipp. & Gal. hoc idem confirmante Auicenna lib. 3. fen. 17. c. 3.

Rationes probantes hirudines pro venæ sectione vsurpari.

Hæmorrhoides quę sanguinem effũdant.

A quib⁹ morbis vindicẽt.

E contra verò cùm hyrudinibus nec dentes, neque aculeum, aut gladiolum inesse compertum sit, quibus venam scindere, aut quomodouis reserare valeant, nisi osculũ quoddam lambdiforme, quo labellis acutis vlcusculũ formæ huius Λ lambdæ extimę cuti infigit, non videtur quà ratione tam certa, ac patula fiat venæ reseratio, quà nobis certam sanguinis quantitatem ad libitum possimus polliceri: nã eiusmodi morsus angustia nõ nisi tenuiorem, & paucum sanguinem admittere potest: etenim si Barbitonsores in cucurbitularũ scarificatione latioribus, ac profundioribus incisuris carni crebrius inflictis adiectâ cucurbitulæ vi-

Hirudines q omodo venas apiant.

olentâ suctione, non nisi paucum, & tenuissimum sanguinem extrahunt: imò si plerisque sæpè contingat, vt ex secta vena ob vulneris angustiam aut nihil, aut minimum sanguinis effundatur, aut post aliquam exiguam portionem effluxam fiat suppressio, quãto minor ex ea, quę ab hirudinibus fit apertione, fiet sanguinis euacuatio, si nec tam alta, nec tam frequens fiat reseratio, neque tam vehemens protractio?

Ex hæmorrhoidibus & cutaneis venis qualis et quantus sanguis exhauriatur.

Præterea venæ, quæ in podicem desinunt, sicuti in cæteras cutaneas partes, sunt tenuissimæ, & capillares: & proinde nõ nisi paucissimum, & subtilissimũ sanguinem per illas effluere certum est. Imò cùm arteriæ quoque non minus ac venæ in ipsa parte sedali, sicut cutanea aperiantur, necessum est tàm arteriosam, quàm venosam substantiam effundi, & subinde non paruam fieri virium deperditionem: quod ex eo depræhendi potest, quòd videmus eos, quibus spontè per ipsas sedales venas aut copiosa, aut frequens fit euacuatio, vt plurimum omnes imbecillimi euadunt, & pallidi, fædique habitus, & sæpè in cachexiam, ac hydropem incidunt, vt ex Gal. iam diximus. Quare cùm Medicus ex ijs venis nequeat ad libitum quod optat, & quod morbus exposcit, exhaurire, sed sæpè potius innocuum, quàm vitiosum, & modò paucissimũ, modò plus quàm deceat effundatur, non debet illis fidere, neque pro venæ sectione eas adhibere: & propterea concludebat Gal. in 4. aph. 25. & 6. epid. com. 5. text. 25. non esse assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi; tum quia periculum est ne modò immodica succedat effluxio, modò nimis parca, vel nulla: tum quia sæpè contingit, vt innocuus sanguis pro nocuo, clarus pro nigro euacuetur.

Cur ij, quib⁹ immodica fit per hæmorrhoidas euacuatio, imbecilles pallidi prauiq; habitus euadunt.

Cõtrouersiæ decisio.

Pro hac differentia componenda dicendum est aliud esse loqui de hyrudinibus, & aliud de hæmorrhoidalibus venis: si de illis sit sermo, certum est hirudinibus paruam vim esse ad hauriendum sanguinem, cùm exiguam cuti scissuram faciant, & modicum sanguinem exsugant, & non nisi parua, & elaboriosa subsequatur euacuatio: & hac ratione Gal. aut potius Oribasius in libello de hirudinibus cap. 1. & 7. collect. cap. 21

ex Antilli sententia dicebat hirudines solummodo eum sanguinem extrahere, qui carni adiunctus est, non qui in imo corpore continetur, ac earum vsum pro cucurbitulis esse consueuere. Nec obstat, quòd aliqui dicant Oribasium loqui de hirudinibus non toto, sed parti cuipiam particulari euacuandæ adhibendis; secus autem se rem habere dicunt in venis sedalibus, è quibus perinde ac ex superflui sanguinis receptaculis, aut cloacis credunt vniuersi corporis plenitudinem exhauriri. Quoniam cùm non minus exiles venæ sint in podice, quàm in cæteris cutaneis partibus, exceptis tamen ijs, quibus consueta sit per illam partem expurgatio, nulla apparet ratio, propter quam hirudines ipsi podici affixæ inde maiorē sanguinis crassioris copiam educere queant, quàm ex alijs particulis: & propterea dum Plinius lib. 32. cap. 10. dicebat diuersum ad extrahendum sanguinem hirudinum vsum esse: quippe eādem rationem earum, quæ est cucurbitularum medicinaliū ad corpora leuanda sanguine, spiramentaque laxāda, iudicari; p corporibus leuandis, intelligit particulas peculiares euacuandas: nam ignotum haud erat Antiquis hirudines esse remedium locale, non autem totale.

Hirudines cui vsui sint apud Gal. ex Antillo.

Hier. ab Aq. pend. de op. Chirurg. cap de hirudin.

Cur venæ hęmurrhoidales crassiorē, & copiosum sanguinem nō educunt.

Plinij sentētia declaratur.

Si autem de hæmorrhoidib⁹ loquamur, hæ quidem aūt cōsuetæ sunt purgationi, aut nequaquam: ab illis quippe verū est effatu dignam sanguinis quantitatem sæpius euacuari, & sanguinem crassum, ac melancholicum expurgari: & proinde eas ad totius corporis plenitudinem eximendam idoneas esse asserendum est.

Qualis sanguis ab hirudinib⁹ ex venis sedalibus educatur.

Quæ autem nullam sapiunt euacuationem, cùm nullam habeant ad purgandum sanguinem aptitudinem, frustra illis admouentur hirudines: quoniam vbi nec ratione ipsarū venarum, nec sanguinis euacuandi vlla insit ad effluxionem inclinatio, si quis tentauerit hirudinibus ex ijs sanguinem exhaurire, non nisi ægrè, & coactè ipsum, & in modica quantitate euacuabit. Quare si hirudines, ac hæmorrhoides absolutè cōsiderentur, nullam vim habent posse quamlibet facere sanguinis euacuationem: si autem particulariter sumantur, hoc

Quibus conueniat, & qbus non hirudinum vsus.

Quando Medicus ex hi-

rudinum vsu sibi aliquam euacuationē poterit polliceri.

hoc est prout ipsæ venę iam frequēti purgationi sunt assuefactę, tunc Medicus poterit hirudinum vsu aliquam polliceri euacuationem: tametsi hanc certâ quadam mensura sibi nequiuerit cōpromittere: quoniam nisi contigerit in illo potissimo instanti hirudines applicare, quo natura iam iam expurgationem aggressura erat, aut quo summa plenitudine sit pergrauata, aut mala qualitate ad expulsionem iam lacessita, vix vllam destinatam quantitatem potuerit assequi. Si verò tunc temporis hirudinibus vtatur, quo dicta adsit dispositio, periculum est ne pro moderata quantitate præfinita, in præcipitem, & fatuam euacuationem incurrat, ex qua cum ea subsequantur mala, quæ significantur à Galeno.

Quando hirudinibus non fidendum.

Hirudinum instabilitas, & fallatia.

Concludendum est ergo hirudinum vsum tam instabilem incertamque esse materiam, vt ex centum earum applicationibus vix vnam ex voto sibi successuram possit Medicus expectare: & ob id hirudinis vsum vt fallax medicinę pręsidium à venę sectionis certissimi quippè remedij dignitate procul ablegandum esse statuimus. Et propterea quæcunque dotes ab auctoribus tribuntur hæmorrhoidibus, his sanè purgare solitis, non autem insolitis, neq; hirudinum vsibus concedendæ: & proinde hoc remedium in Pleuripneumonia, quæ subitam, & effatu dignam euacuationem exposcit, locum non habere asserendum est.

In quibus hirudinum dotes exercēdæ

An Vesicantia in hoc morbo conueniant.

CAPVT XVII.

In quib⁹ casibus conueniat Vesicantium vsus.

SVperest vt modò perquiramus num in hoc pleuripneumonico affectu cum praua humorum qualitate, & vbi maximè capitis grauitas, aut dolor, aut sopor, aut vigiliæ, aut mentis alienatio infestat, conueniat Vesicantium vsus.

Vesicātium facultates.

Ab omnibus ferè Medicis existimatur à Vesicantium affixione mediante eorum caustica, vel vrenti qualitate in cute phlogosim, vesicas, & dolorem excitari, quibus, aut quadam familiaritate substantiæ à partibus intimis, & præsertim à corde, & à capite

pite fieri humoris ichorosi, prauique,& venenosi in ipsam cutim attractionem. Hinc optimo iure ab omnibus ferè hoc remediũ inter valida reuulsoria recensetur.

Quàm saluta re sit in malignis, ac pestilentibus morbis prauũ humorem in cutaneas partes expurgari.

Cùm enim eiusmodi praui humores in corpore redundantes turgeant, & huc illuc agitentur, si à natura (vt fieri solet) à principibus membris in cutem omnium partium imbecillimam, ac ignobilissimam transmittantur; vtique æger à pestilentibus febribus, & ab exitialissimis morbis vindicatur: secus autem materia ipsa cùm retrocedendo, nobilissimas partes impetiuerit, vix fieri potest, quin interitus subsequatur. Quod apud Thucididẽ, & Hippocratem antiquissimos Viros luculentis exemplis apparet: dum in illa truculentissima Athenarum peste eos duntaxat seruatos esse produnt, quibus in extremas corporis partes, vt pedes, manus, crura, & caput virulentia decubuerat. Hinc Gal. lib. de cib. bon. malique succi cap. 1. scribit plurimos fuisse seruatos, quibus in cutem per sudores, aut erysipelata, aut vlcera, phlegmones, herpetes, impetigines, pustulas, psoras, & lepras eruptiones factæ sunt. Idem ratificat in 5 meth. cap. 12. Id quoque confirmatur exemplo Horophontis, qui vt extat in 1. epid. com. 3. ægrot. 3. materiâ noxiâ in inguinas, & tibias decũbente, liberatus est. Silenus autem, atque Crito ibidem ægr. 1. & 9. eò quòd virulenta materies ijs in interiores partes refluxerit, periere. Sed hoc clarius quotidie cernimus in spontinis naturæ expulsionibus materiæ morbificæ, & prauæ in cutem erumpentis, vt in scabie, sudoribus, pustulis, erysipelatibus peticulis, & inguinum, axillarum, gutturisque tumoribus, ex quorum efflorescentia fit morborum exsolutio: ex recessu verò non nisi funestos euentus subsecutos esse constat. Nam erysipelas ab interioribus ad exteriora ferri, bonum: è contra autem, malum 6. aph. 25. Quod de quibuscunque alijs etiam, quæ ex profundis, & principalibus partibus transferuntur in cutem, intelligendum, inquit Gal. in com. sicut in 37. eiusdem lib. aph. docet Hipp. de Angina.

In Pleuripneumonia vesicantium vsus maximè conueniens.

Cùm igitur in Pleuripneumonia ab humorum influxu pulmones, & costales membranæ insigniter inflammentur, nullo repellente

lente oportet nos materiã intrò repercutere; ita enim dictarum partiũ phlegmone magis augeretur: sed imitatione naturæ omni conatu debemus eam foras in cutem extrahere: quod quidem cõmodissimè pręstari potest ijs, quę in extima cute sua acerrima caliditate phlogosim, aut vesicas, aut excoriationem excitando, maximam attrahendi vim possident: hæc autem præceteris sunt sinapismi, psilothri, & quæ vulgo dicuntur vesicantia. Ab horũ enim vsu nec Medicos quoque antiquiores abhorruisse constat, cùm ad extrahendam ab internis partibus ad extrnas materiam noxiam, huiusmodi percalidis, acerrimisque remedijs vsos fuisse constet apud omnes ferè antiquiores Medicinæ Patres.

Argumunta vesicantium vsum improbantia.

Verùm contra hæc nonnulli insurgentes, maximopere damnant in febribus vesicantium vsum his rationibus initentes. Vesicantia, inquiunt, quatenus calidissima, & acerrima, venarum, & arteriarum osculis admota, sanguinem, & spiritum impensè calidum reddunt: vnde corde per cõmunicantiam incalfacto, magis intenditur febris: quatenus verò deleteriã qualitate sunt prędita, potius cordi venenum cõmunicandi, quàm ab eo exhauriendi vim habent; cùm rationi consonum sit feruorem, ac venenum, quod in febre pestilenti, aut maligna in cordialibus adytis vehementius vigere existimatur, potius externum venenum trahat, quàm ab eo trahatur. Præterea dicunt, dolore, quo ęgri continuò ab his conflictantur, sequi vigilias, à quibus non parum labefactantur vires, ac proinde coctiones perturbari: tũ etiam ob eorum intempestiuam, & violentam attractionem naturam à proprijs motibus diuertiri, ac inęstimabili damno criticas expulsiones impediri. Et tandem aiunt cantharidum veneno renes, & vesicam vlcerari, & sæpè vrinæ difficultatem subsequi: vnde ex tot insignibus incommodis, quæ ex horum vsu consequuntur, non vesicantia, sed vexantia potius sint nuncupãda: & propterea hoc præsidij genus vt naturæ molestum, & pernitiosum à salutifero Medicinę consortio procul explodendum.

Argumẽtorum satisfactio.

Ad hæc responsio sit, quòd medicamenta illa calida, & acria venarum arteriarumque ductu interiora æquè concalfaciant, quod manifestè repugnat rationi, & Hippocratis & Galeni autoritati: nam

nam id perpetuum est in natura, vt ratione antiperistica quantò calidiora fiunt corporis exteriora, tantò refrigescant interiora, & è conuersò, quod ipse Hipp. innuit in primo aph. 15. Hyeme, scribens, & Vere ventres fieri calidissimos: natura enim caloris est ad se calorem rapere, & frigus expellere. Hinc Gal. in 2 de diff. feb. circa finem duplicem assignans fluxionis modum, vnum scilicet, qui fit à valida ad debilem particulam transmissio: alterum per attractionem; inquit calorem ad se quidem trahere, & suscipere fluxionem: vnde si thapsiâ particulam exteriorem illinias, videbis eam continuò fieri calidiorem, & in molem non paruam extolli. Et ob id ne mireris, si ipse Gal. in 5. meth. cap. 13. in salso catarrho capiti medicamenta huiusmodi calidissima, & acria applicuerit. Cùm igitur ea, quæ ex alto vehementius attrahunt, sint teste Gal. in 5. simpl. cap. 17. calida, acriaque, & tenuium partium, qualia sunt propolis, thapsia, sagapenum, castorium, stercus columbinus, & similia; non est verendum vesicantia, vt impensè calida, & acria, & vt deleteria ex profundis partibus materiam extrahere, absque quòd illis eandem caliditatem, & virulentiam impartiant; quia non est necesse illuc medicamentum perduci; sed satis est in extimam partem mediâ caloris & doloris ope, fieri ratione vacui, & solutionis continui succorum consecutionem. Et propterea tantum abest, vt huius medicamenti vis calida, & venenosa, dum cutim inflammauerit, & in vesicam sustulerit, interiora petat, & coafficiat, vt potius, qui intro latent, humores, ad se tum caliditate, & familiaritate prolliciat, teste Gal. in 5. simpl. cap. 17. quod enim calidius est venenum, aliud potentius attrahit, vt idem ibidem docet. Atq; hæc medicamenta multò calidiora sunt, & acria, quàm materia, quæ in imò præcordiorum latitat: secus enim ab hac exædecentur venæ, & arteriæ, sicuti ex cantharidibus vesica.

Qualia sint, quæ ex inimis partibus extrahunt.

Neque ab his vt mordentibus, & dolorificis inducuntur vigiliæ; quoniam præter hoc, quòd non eorũ naturâ dolorifica sunt, sed talia fiunt ministrorum incuriâ: nihil certi haberi potest vtrũ vigiliæ ex morbi, an ex medicamenti molestiâ fiant: quoniam cùm eo tempore vt plurimum applicentur vesicantia, quo sym-

Quod à vesicantibus minimè inducantur Vigiliæ.

ptomatum viget vehementia, non exteriori veſicantium caliditati, aut mordacitati id referendum, ſed acrium, & venenoſorum ſuccorum cerebrum, & cor impetentium infeſtationi.

Quomodo à Veſicantib⁹ potius inducitur ſõnus.

Cùm igitur veſicantium ope educatur humor, qui cerebrũ calfaciebat, & vellicabat, non modò non inducantur vigiliȩ, ſed potius introducitur ſomnus, non minus, quàm ex frictionibus, ligaturis, & calidis balneis ſolet conciliari. Et propterea non eſt dicendum vires labefactari. Neque ob id aſſerendum coctiones perturbari, ſed potius non parum iuuari, ablatâ per hæc causâ, quæ & ſomnum prohibebat, & vires conuitiabat. Tum quia cùm coctio ſit humorum crudeſcentium, non autem eorum, qui omnino corrupti ſunt, aut venenati, quorum nulla admittitur coctio, vt in febre peſtilenti, & maligna, in quibus vt plurimum ſolent veſicantia vſurpari, ab his nequit coctio perturbari.

A veſicantiũ vſu cur neq̃at coctio perturbari, & virium fieri diminutio.

Quando importunus eſſe nequeat Veſicantium vſus.

Vbi verò materia ſiue ob copiam, ſiue ob prauam qualitatem ſit turgens, ita vt huc illuc furens indifferenter agitetur: tunc importunus dici non debet veſicantium vſus, vtpotè qui poſſit naturæ motus diſtorquere, aut perperã impedire; quoniam ſi mole turgeat, quid remedij opportunius excogitari poteſt, quàm Galeni conſilio in 2. aph. 29. humoris prægrauantis eductione naturam ſubleuare, & ad coctionem, expulſionemque promouere? Si verò qualitate corruptâ, atque prauâ naturam laceſcat, non ne rationi congruentius erit eò vitioſum ichorem ducere, quò naturali conſuetudine affectat, hoc eſt ad cutem, in quam velut ad cloacam natura conſueuit prauorum ſuccorum illuuiem deijcere? Porrò iam cuique planum eſt non poſſe naturam à proprijs motibus reuocari, niſi aliquâ confertâ, ac effatu dignâ euacuatione. At illa, quȩ fit à veſicantibus purgatio, tam exigua eſt, & ſenſim facta, vt nihilò poſſit naturam diuertere.

Quod à veſicantibus rarò fiat veſicȩ vlceratio, ac vrinæ ſuppreſſio, & quomodo ijs prouidendum.

Ad id verò, quod aiunt ab his veſicam vlcerari, & vrinam ſupprimi, reſpondetur hæc rariſſimè, & quando præſertim vberior quàm par ſit cantharidum quantitas adhibetur, contingere ſolent. At huiuſmodi incommoda poſſunt facilè prȩcaue-

caueri, si vel cantharidum loco vsurpentur alia, quæ nullam habeant vim deleteriam, & vlcerantem; vel renes, & vesica vsu cassiæ fistolaris, aut seri, aut emulsionibus refrigerantibus, & humectantibus præmuniantur. Non est igitur, vt quispiam in exitialibus febribus, & morbis, in quibus humores praui, & acerrimi nobilissimas partes lacessunt, pro his foras excludendis vesicantium vsum damnent, & abhorreant: cùm Antiquiores quoque, & Neotericorum non pauci, isthæc passim vsurpauerint; vt videre est apud Galenum 6. de tuend. val cap. 8. lib. 8. de com.m.sec. loc.c.4. 3.de offic. med.c.32. 5. simpl. med. cap. 17.& 18.& 1 de humor. Aetium tetr. 3 ser. 1. c. 1. Paulum l. 2 c. 36. & lib. 3. de melanchol. Oribasium 8 collect. c. 19. Aurelianũ l. 1. chron c.4.& 5. Aretęũ de cur. acut. l. 1. c. 2. & 1. diut. cur. c. 2 & l. 2. c. 4. Ruffus, & Possidonius de melanchol. Auicen. prima 3. trac. c. 21. Ita apud Nicolaũ Florent. Iacobum de Part. super 1. 4. in cur. feb. pest. Philippum Ingrassiam, Alexand. Massariam, Hieron. Mercurialem, & apud plures alios recentiores.

Autores qui ad excludendam ab altis partibus materiam prauam hisce phœnigmis vsi fuerunt.

Hæc quippe similia sunt ijs, quę communiter à clarissimis Viris de vesicantibus perhibentur. Verùm enim verò quædam de horum vsu non nulla mihi sunt animaduertenda. Primum enim consulo Medicis, ne tantum vesicantibus fideant, vt arbitrentur ab his tot miracula præstari, quæ à plerisq; sciolis, aut leuib⁹ facilè creduntur, & falsè cõmiscuntur, quòd scilicet morbosam, & prauã materiã ab intimis corporis partib⁹ exhauriant, & vapores, ac infestos humores à capite, & ab alijs partibus auerruncent: somnum concilient, sitimq; restinguant, & alia multa perficiant.

Autoris animaduersiones de recto vesicantium vsu.

Dum igitur circa febris initiũ humor putridus in secretioribus venis conclusus manet, ibique dum adhuc in sua cruditate, & crassitie altis radicibus figitur, quę nam vehementior vis attractoria cuti hęret, quę ipsam materiam illinc extrahere possit, & in cutem prorripere? Num illæ quatuor superficiariæ artuum plagulæ? Nequaquam: quia cùm hæ careant dolore, & calore, leuissimæ sunt attractionis: tunc enim fieri potest aliqua tractio, dum fixa adhuc manet vesicantium pasta: & tamen tunc temporis quoque exigua fit protractio.

Leuis est vesicantiũ vis attractoria.

Qualis humor à vesicãtibus educitur.

Humor enim, qui à vesicantibus educitur, non est qui in maioribus venis, ac arterijs, vel in corde, aut prope illud, vel in capite residet, & putrescit (talis enim esset maximè copiosus, crassus, putridus, atque sordidus) sed est, qui in ipsius mẽbri capillaribus venis, & arterijs, & in ipsa carnosa substantia reperitur, quiue ipsimet parti nutriendæ erat destinatus roris formam referens: hic enim particulæ cuipiam secundum eius continuitatem solutæ pro reparanda eius solutione à natura prouidè delegatur. Qui item roridus ichor postquam ex capillaribus vasis, aut spatijs inanibus egressus, in vlceratam superficiem effusus est; caloris ope sub vesicantibus concrescit in saninem, quam perperam Medici credunt esse morbi virulentam materiam.

Cur vesicantia humorẽ à tota substantia non educant.

Neque à tota substantia possunt vesicantia conclusum illũ humorem trahere; quoniam hæc motio fit non ratione familiaritatis substantię, cùm omnis humor indifferenter attrahatur, sed vrente calore cuticulæ structuram inflammante, & corrumpente, & à cute eam segregante: ad cuius solutam continuitatem, vt dixi, circuniacentium partium ichorosa substãtia illius medelæ gratia transmittitur à natura.

Cur vesicantia vapores, & fuligines à corde, et à cerebro non trabant.

Si igitur materia morbosa trahi non possit, tanto minus trahentur vapores, & fuligines, quæ ex ea subleuantur, quia cùm motus eorum sit more leuium ad superiora, mouerentur ad inferiora, veluti grauia, quod naturæ repugnat. Non igitur ab his conciliabitur somnus, minimè ablatâ, quæ vigilias inducebat occasione.

Cur à vesicãtibus non auferatur sitis.

Nec consequenter etiam horum vsu auferetur sitis, vt parum scitè aliqui arbitrantur: namque vapores calidi, & sicci, qui os ventriculi afficiunt, non modò à vesicãtibus eximi, sed potius produci possunt. Tum quia quod à vesicantibus educitur, non est quid siccum, & calidum, sed quid aquosum humidum scilicet, & frigidum.

In morbi vigore non cõuenit vesicãtium vsus.

Dum autem instat morbi vigor, quo tempore cruda adhuc est materia, & natura circa morbũ in summo versatur labore, nullo reuulsorio remedio debet distrahi, & perturbari, tametsi

etsi parua sit, vt dixi, vesicantium attractio, & diuexatio.

Horum itaque rectus vsus sit, vt antequàm applicentur, si fieri potest, totum sit à superuacuis humoribus expiatum. Deinde, quo ad tempus, si eadem die, qua morbus inchoat, aut si febris pestilens futura prænoscatur, antequam accidat, applicentur vesicantia.

Rectus vesicantiũ vsus.

Tempus vsui vesicantium oportunus.

Quod ad locum, reuulsionis gratia, cruribus, coxis, & brachijs applicanda: & præsertim ijs partibus, ad quas natura consueuerat superfluitates deponere. Pro deriuatione verò, si opus fuerit, cùm cerebrum afficiatur, ceruici vtrinque versus aures affigenda: sicuti etiam humeris, & lacertis, & supra scapulas. Pro materia à corde, pulmone, & alijs thoracis partibus deriuatione exanthlanda, sub axillis potissimũ admouenda; tametsi pectori quoque ipso, vt fecit Galen. 5. meth. cap. 13. in illo Iuuene hæmoptico: aut sub scapulis in dorso, possint adaptari. Pro hepatis, aut lienis, aut alterius visceris affectu, haud quippe commodiori loco possunt applicari, quàm inguinibus, ad quæ natura sæpè consueuit ipsarum partium excrementa delegare. Illud tamen animaduertendum vellem, quòd si particula, cui affigenda sunt vesicantia, sit aliquo morbo laborans, ita vt præcognoscatur huius remedij adhibitione, & morbosi humoris confluxu insigniter fore oblædendam; satius erit ab huius vsu abstinere. Si verò id periculi non impendeat, ipsum tutò vsurpãdum: quinimo si in ipsa parte tunc nullus morbus sit præsens, sed vesicantis admotione proximè reuersurus timeatur, dummodo, vt dictum est, alicuius grauissimi mali periculum absit, præstantius erit partem illam hoc præsidio irritare, quemadmodum hoc fieri consuluisse legimus Galenum in 11. meth. c. 20.

Locus vbi affigenda sunt vesicantia.

Animaduersio.

Hoc vnum tandem monitum volo, vt pro recto vesicantiũ vsu ægrotantium naturarum, ætatum, & habituum habeatur ratio, vt videlicet in naturis calidioribus, & siccioribus acriora declinẽtur. Sic in habitu mollioribus, & tenellis, mitiora, & minori quantitate vsurpanda; & ijs breuiori tempore carni immorentur.

Admonitio.

Vesicatium vsus in Pleuripneumonia quādo maximè cōueniat

His ergo sic se habētibus dico vesicantia optimo iure in Pleuripneumonia conuenire, & maximè quādo prauę qualitatis subest suspicio, & dictorum symptomatum ingruentia: his tamen adhibitis cautionibus, & modis, quos paulò supra docebamus. Et hæc sunt quæ de vesicantibus breuiora, clarioraque scribere mihi succurrerunt. Si quis de horum facultate, & recto vtendi modo plura, & exactiora optet intelligere, consulat Herculem Saxoniam in lib. de Plœnigmis, nec non Michaelem Gauassetium in suo de his libello, Hollerium, Octauianum Roboretum, Alexandrum Massariam, & alios.

Pharmaceutica. An in Pleuripneumonia ad materiam cùm in toto, tum in thorace contentam expurgandum conueniat medicamentum purgans?

CAPVT XVIII.

Medicamenta purgantia quē habeant vsū in Pleuripneumonia

Materiam intra thoracem contentam non solum ijs, quæ p̄ sputum repurgant, quæ ανακαθαρτικα nuncupantur; verū etiam ijs, quæ per aluum educunt, non nulli Medicorum volunt expurgari: quapropter non mirandum, si pharmaca purgantia in huiusmodi pleuripneumonicis morbis à Medicis soleant vsurpari, non modò vt à primis vijs, ac à toto corpore superfluitates expurgentur, verùm etiam vt ab interioribus thoracis, & pulmonū cauitatib⁹ materia tàm cruda, quàm parulenta exanthletur. Verùm quoniam quæstiones, quæ circa hanc materiam passim ab Auctoribus excitantur, non parū suspectam, & dubiam rem reddere mihi videntur; ob id duo maximè mihi se se offerunt expēdenda. Vnum est, An in pleuritide, & peripneumonia ad aluum, & totum excrementis expiandum conueniant medicamēta purgantia. Alterum, An materia purulenta, aut alterius naturæ intra thoracem contenta possit per aluum, vel per vesicam, vel per aliam infimam partem expurgari.

Duo expendenda.

Huius quæstionis origo.

Primum quod attinet. Hęc dubitatio nedum ex ijs, quę Hip. docet in 2. acut. text. 11. suscitatur, verùm etiam ex eò, quod

ipse

ipsemet vbicunque de pleuritide loquitur, & de illa rationem instituit, nullum aliud medicamentum purgans proponit, nisi ptisanam, aut mel, aut lac, aut aliqua leuia detergentia, & aluum placidè subducentia: tum quia in acutis morbis rarò & in principijs medicinis purgantibus vtendum esse docet in 1. aph. prēterquàm in illa, in qua dolor ad hypochondria vergit, in qua iubet elleborum nigrum, aut peplium exhiberi. Causa autem, propter quam Hipp. & alij eiusce tempestatis Medici in pleuritide ad claiculam ascēdente abhorrebant à medicamento purgante, videtur insinuari à Sorano apud Aurel. l. 2. acut. c. 19. vbi ait Purgātia medicamenta, acrimoniç causa, stomachum tumentem, atq; hypezocota membranā acuunt in tumorē: & impetuosā vētris effusionem prouocātia, magnificam passionis ingerunt vehementiā.

Cur in pleuritide ascendēte nō exhibetur catharticum.

Cęterum non nulli dicunt dolores, qui sunt supra pręcordia, quicunque egent purgatione, medicari oportere per superiora: quicunque autem infra subsistunt, per inferiora, docēte Hipp. in 4. aph. 18. nam vt Gal. in com. secundum humorum infestantium propensiones, oportet etiam facere euacuationes: atqui in pleuritide, ac peripneumonia humores confluunt ad thoracis contētas partes. Tum quia natura per sputum in his morbis materię infestantis expulsioni satagens, à cathartici exhibitione diuerteretur, aut saltem ab hoc salutifero opere prohiberetur: vnde in introduct. dicebat, in his morbis cauēda esse ventris profluuia: & est illud, quod Hypp. ipse dicebat in 3. de morbis, si iam expuat biliosa, medicamentū purgans non dederis: huc spectat illud 6. aph. 16. A pleuritide, aut peripneumonia occupato, alui profluuium accedens malum.

Purgationē per inferiora damnantes.

Quamuis ergo rationibus, & locis dictis videatur Hipp. in nullo pleuritidum genere catharticum vsurpare; si tamē exactius res perpendatur, planum fiet, & ipsum, & alios antiquiores Medicos haud abhorruisse ab aliquo purgantium vsu: quandoquidē ipsemet sapientissimus Senex in lib. de aere aqu. & loc. text. 6 inq t, fieri minime posse, vt pleuritides, ac pneumonię, & id gēus alij morbi acuti vigeant, vbi aluus fluida exiftit: vnde in coac. n. 386. In dolorib? pleuriticorū cōmodum esse inquit aluū molliri, sputa colo-

Autoritates eorum qui in hoc morbo cathartica probant.

colorari, strepitus in pectore nõ fieri, vrinã benè pcedere. His autẽ cõtraria molesta esse. Et ob id in 3. de morb. in pleuritide dorsali hæc habet. Si æger biliosus sit naturâ, & nõ purgatus correptus fuerit à morbo, priusquam saliuã biliosam expuat, etiam medicamẽto bilem probe purgato. Hinc Diocles apud Aurelianum lib. 2. acut. cap. 20. pleuriticos purgari iubet catharticis medicamentis, quod obseruans Praxagoras apud eundem ibidem cap. 21. dicebat: quibus redundantia sit humorum in venis, exceptis senibus, & in sanitate debilibus, elleboro nigro purgandos esse. Præterea ipsi duo veterum Medicorum præclarissimi penes eundẽ Authorem in 2. acut. c. 29 acribus clysteribus, & purgantibus ventrem commouendum existimant in peripneumonia. His persuasus Ægineta in 3. lib. cap. 29. non veretur in his pectoralibus morbis persuadere purgationem continuam, ac validissimis medicamentis petitam. Et Aetius in peripneumonia, cùm morbus ad salutem permutetur, aut sanguinem ex naribus abundanter subsequi, aut alui exturbationem multis exeuntibus biliosis, & spumosis humoribus fieri scribit tetr. 2. ser. 4. cap. 66. Hinc Auicen. lib. 3. fen 10. tract. 1. cap. 40. Si materia sit copiosa, necessariam inquit esse purgationem cum solutiuo factam, hoc est cum polipodio, cucumere asinino, & pulpa colocynthidis: imò paululò infra, cùm fortis sit ægritudo, & difficilis res fiat, pro vomitu subdit elleborum album esse valde iuuatiuum, & in ægritudinibus pectoris esse securum, & absque timore exhibendum.

Decretum. Verùm ad illud diffidentiæ culmen huiusmodi controuersiam deuenisse comperio, vt iam tempus sit eam componendi. Ergo dicendum est, quamuis in acutis morbis raró, ac in principijs medicinis purgantibus vti liceat ex Hipp. decreto in primo aphor. 24. attamen si tunc temporis materia, vel ob eius prauitatem, vel copiam naturæ molesta turgeat, ad expulsionemque properet, hoc casu præstat Medicum purgans exhibere.

Prima distinctio. Quare non nullis distinctionibus tota hæc disputatio dirimi po-

mi potest. Aut enim morbus est in principio, aut in augmento, aut in statu, aut declinatione. Si circa principium, aut ægri corpus plethoricum est, aut cacochimum. Si cacochimia adsit, & morbus incipiat tunc opus erit pharmacum purgans exhiberi: quia quo tempore inflammatio, & febris iam incrementum non leue sumpserint, & ratione doloris, & caloris humores ad partem laborantem precipiti propensione feruntur, tunc importunum est medicamentis purgantibus, quæ impensè sunt calida & acria, vti. Hinc dicebat Hipp. in 3. de morbis, aluum in primis quatuor, & quinque diebus subducendum esse, & hoc paulò amplius, quo & febres obtusiores sint, & dolores leuiores: quod etiam ratificari videt ab Authore libri 4. de vict. rat. acut. text. 64. his verbis. Hos si quidem ab initio medicamẽtis purgare volueris, id ante quartum diem faciendum, si venter murmurauerit, aluique egestiones biliosæ fuerint, scamonio exhibito, moderatè purgãdum. Dum autem corpus sit plethoricum, esto morbus sit in principio, non aliâ hîc opus est euacuatione, quàm confertâ, & copiosâ sanguinis detractione, cæteris præsentibus indicãtibus, & permittentibus: quando autem in ipso ægritudinis vestibulo humor à natura sãguinis alienus exuberet, aut quouis alio modò naturæ molestus sit, non differenda est huius expurgatio: & propterea Trallianus lib. 5. cap. 1. videtur illos Medicos incusare, qui negant posse medicamentum purgans in pleuritide vsurpari; propterea quòd vehemẽtissimus morbus minime opus habet medicamento purgante, sed necessariam esse arbitrabãtur sanguinis detractionẽ, vtpotè quę multo tutius sit, & inculpatum remedium. Hoc enim perpetuò verum est, & salutare. At vbi, inquit Trallianus, humorum à sanguinis natura degenerantium copia subsit, non verendũ est, inquit medicamentum purgans exhibere. Tametsi hoc verum sit etiam, & perpetuum ex Hippocrate 2. acut. text. 11. quòd in omni pleuritide, ac peripneumonia siue adsit plethora, siue cacochimia, præter medicamentum purgans, necessaria est venę sectio; quia quęlibet horum morborum inflam-

matio

matio ortum ducit à ſanguinis ſiue biliosi, ſiue pituitoſi, ſiue alterius naturæ fluxione.

Diſtinctio altera.

Altera ſit diſtinctio. Aut Medicus curans intendit humorem iam in pulmone, aut in alia thoracis cauitate collectum excludere, aut eum, qui adhuc fluit, & qui in proxima, aut longinqua parte reſidet, à qua tãquam à fluxionis fonte deriuat, expurgare. Si hoc velit, prius quærat num peccans humor in primis ſit vijs, num in aliqua peculiari parte demandante, vt in capite, vel in hepate, vel in vtero: num autem in toto corpore. Si in primo loco, opus Medici erit inchoante morbo, quopiam leui cathartico primas vias ſuperfluitatibus expiare. Si in ſecũdo loco, Artis eſt capiti euacuando proſpicere: ita in hepate, vel in vtero ijs medicamentis vtendum, quæ per aluum, aut veſicam, aut per vias vteri, aut ex hæmorrhoidibus euacuant. Si autem in vniuerſo corpore, hoc eſt præſertim in omnibus venis redundet humor diuerſus à ſanguine. opus erit ab initio, ſi nihil inſigniter obſtet, tentare validis purgantibus eum extirpare. Dixi ab initio, antequam ſcilicet perfringãtur vires, & efferus humor in partem principem ruat, & priuſquam febrilis calor, viſcerumque feruor intendatur: nam validis purgantibus vires fatiſcunt, humores efferantur, & febris, inflammationiſque calor impenſius efferueſcit. Ideo ſi quid purgandum ſit, non vltra primam, aut alteram diem id differendum eſſe monet Galenus in 1. aphor. com. 24. Addidi, ſi nihil inſigniter obſtet, hoc eſt, teſte ibidem Galeno, ſi qui purgandi ſunt, multa cruditate non laborent, nec tenaces, & craſſos cibos aſſumpſerint, neq; ijs hypochondria diſtenta, inflammataque ſint aut ſupra modum calida igneaq; exiſtant; & viarum additus minime ſint obſtructionibus impediti: ſed omnia ijs oppoſito modo ſe ſe habeant; & hoc ſibi vult illud Hippocraticum in 2. aphor. 9. cùm quis corpora purgare voluerit, ea ad fluxum benè parata facere oportet.

Nota

Humore in pulmonibus, aut thoracis partibus de-

Si autem humor iam in pulmonem, aut latus fluxerit, ac inibi firmatus ſit; huc certè nõ niſi validiſſimis, ac ſæpius exhibitis purgantibus quis poterit extrahere: hinc non mirãdum ſi Paulus dixerit in hoc caſu opus eſſe purgatione continua, & validiſſimis

medi-

medicamentis petita; quoniam ex tam intimis partibus, & ab aluo remotissimis, non nisi vehementibus catharticis potest exhauriri: cuius rei rationem reddens Andernacus in eius loci expositione, hæc scribit. Valentia, ait, ibi commemorat purgantia, purgationemq; fortissimam, ea scilicet ratione, quòd multas numero partes pertransire oporteat antequam ad pulmonẽ perueniat, nempe os, gulam, stomachum, ventriculum, tenuia intestina, venas meseraicas in sima parte iecinoris, item eas, quæ in gibbo habentur, hinc venã cauam, postremo pulmonem. Et hanc esse rationẽ duco, cur Auic. in asthmate pro extrahenda ex his profundis cauitatibus materia, vtitur validis purgantibus, vt elaterio, colocynthide, elleboro & similibus: quia, vt Costæus in dictum Auic. locum scribit, humorem in pulmone redundantem educi non posse, nisi validissimis purgantibus, aut longo post tempore; quia viarum distantiã medicamenti vis ferè in totum eneruatur. Igitur difficilimũ duco, ne dicã impossibile posse materiam pulmonibus, aut thoraci stabilitã catharticis exanthlari: vnde rationi consonum est Auic. expurgantia illic præscripsisse, non vt materia è pulmonibus educatur, sed quæ in toto corpore abundat, imminuatur, aut quæ adhuc fluit, vel fluxura est, reuellatur; At si ipse Princeps tantum materiæ intra thoracem existẽtis educendæ gratia proposuisset illa vehementia purgantia, haud tentandam esse huiusmodi purgationem moneret Gentilis in eundem Auicennæ textũ, nisi tribus conditionibus, primò, vt materia sit purgationi disposita, hoc est sine crassitie, & lentore, aut visciditate, cùm per angustissimos meatus sit perfluxura: secundariò vt materia existens in pulmone sit non pauca, sed copiosa, quoniam modica per sputum duntaxat potest expurgari: tertiò ne purgantia dentur in asthmatis paroxysmo. Atqui si tam difficile est, & periculosum in asthmate sub initio purgantibus validis vti, quantò difficilius, & periculosius erit eorum vsus in pleuritide, ac peripneumonia, tum propter insignes harum partium inflãmationes, tum ob febris vehementiam, tum etiam ob mineræ profunditatem, cùm in his humor sit in pulmonis parenchymate, aut in lateris angustioribus locis: in asthmate verò intra

cũbente, quo purgante opus est.

Quam difficilè sit ex pulmonibus, & thorace materiam iam firmatã exanthlari.

Quando difficilior, & periculosior purgatio.

leues arterias, aut quandoque in bronchijs pulmonum? Nec solum in principio difficilima planè est, & periculosa purgatio, quando videlicet integræ sunt vires, humor non adhuc in partes fluxerit, neque vlla ex mora crassitiem, & visciditatem adeptus fuerit: sed multo difficilior, & periculosior esset in vigore morbi, dum scilicet vires sunt iam morbo confractę, & symptomata ad summum incrementi perducta sunt: valdè periculosum inquam est in statu morbi purgantia, & præsertim valida vsurpari, quoniam si aluus medicamento nimium concitetur, periculum est, ne importunâ naturæ expultricis diuersione factâ, fiat materiæ ad infernas partes retrocessus, & ita quæ à natura rectè per sputum educebatur, expui desinat, ac nobilissimos cordis adytus ingrediatur, ex quo postea sæua sequantur accidentia, & subinde etiam mors subrepat importuna. Et hoc est illud, quod animaduertit Hipp. in 3. de morbis in curatione peripneumonię sub his verbis. Nam si multus humor infra secedat, à quinta die, mortem inducit. Infra enim humore secedente, supernę partes resicantur, & sputi purgatio sursum non prodit. Oportet igitur & infernam aluũ neque valdè suppressam esse, vt ne febres sint acutę, neque valdè egere, quo saliua sursum educi possit, & æger viribus valeat. Et hac ratione fortasse in hisce morbis superueniens alui profluuium est pernitiosum, vt præter dictum 16. aphor. sec. 6. prodit Hippoc. etiam in 1. de morbis. Hinc Mesues in sua pract. sum. 2. cap. 7. in pleuritide improbat purgantia valida.

Prima Conclusio.

His ergo sic se habentibus, sit prima conclusio. Vbi adest exquisita plethora, ibi nullo tempore conuenit medicamentũ purgans nisi saltem pro alui emollitione aliquod placidum leniens circa principium: sed hîc primo & per se conuenit statim venę sectio.

Secunda.

In exquisita cacochymia primò ac per se conuenit tum sub initio, tum in fine catharticum leue, quoniã cùm in hac ægri vires sint imbecilles, neutiquam validum ferre possent: tum quia periculum esset ne ad imodicam, ac infrenabilem eua-

quationem prorritaretur natura, ex qua vires procul dubio affatim deijcerentur: tametsi hîc quoq; non inconueniat secundariò, & accidentaria quadam ratione sanguinis missio per venæ sectionem.

Tertia. In plethora, & cacochymia spurijs, vbi præsertim primæ viæ superfluitatibus scatent, in initio probantur leuia medicamenta soluentia, in illa quidem leniuscula, in hac verò validiuscula, cum hoc tamen, vt in dicta plethora iniecto clystere, præcedat venæ sectio: in ipsa verò cacochymia ante venæ sectionem exhibeatur catharticum leue.

Quarta. Cùm ex toto corpore non parum superfluitatibus affluente humores confluant in pulmones, & in alias thoracis partes internas, tunc inchoante morbo, satius est validum purgans exhibere, non dimissâ tamen venæ sectione, quo scilicet vtroque remedio nedum qui iam fluxerit humor è pectore deducatur, verum etiam qui fluit, retrahatur, & qui fluxurus est, minuatur.

Quinta. Cùm autem circa morbi statum materia etiam non crassa, neque viscida iam totum pulmonem, aut aliam thoracis partem obsederit, inutile planè, atque importunum est catharticum exibere, & eo quoq; maius adhuc discrimen inibit, quãto validius fuerit. Quare per id temporis dimisso omni purgante, anacathartica tantum, hoc est quę per sputum educunt, sunt vsurpanda.

Sexta. Dum materia crassa, viscidaque, & copiosa in pulmone resederit, aut in alia pectoris parte fixa decubuerit, impossibile plane est eam posse medicinis purgantib^9 etiam validissimis exanthlare. Sed totum negotium linctibus, & bechicis tenuãtibus, incidentibus, detergentibus, discutientibus, & per sputum educentibus est absoluendum. Cùm autem ipsa exiguæ sit molis, facile est, vt vel solo dictorum anacatharticorum breui vsu, aut solo naturæ connatu euacuetur.

Septima. At si ob materiæ crassitiem, & contumaciam, vt in empyemate solet euenire, aut ob facultatis, vel instrumentorum imbecillitatem, aut viarum impedimentum nequeat ipsa materia

bechicis expectorari, tunc tentandum est diureticis eam per vrinam expurgare. Quod Dodonęus videtur insinuare in eius practicæ lib. 2.cap.30.dum inquit. In empyemate sanguinis missionem potius nocumentum, quàm iuuamentum afferre, neque medicamentum purgans conuenire, sed diureticis leuibus vtendum, vt Gal. testatur lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 13.

Responsio ad argumenta primæ partis

Ad ea igitur, quæ in prima huius quæstionis parte sunt producta, respondendum: & primo ad Hippocratis adductam curationis consuetudinem, dicimus in insignibus pectoris inflammationibus, quales sunt pleuritis, & peripneumonia, in quibus sanguinis præsertim vitium inest, ipse diuinus Senex consueuit nullam ferè purgantium pharmacorum rationem habere, sed totũ curationis momentum in vna venarum sectione fundat; primas videlicet vias quibusdam leuibus soluentibus expurgare contẽtus: vehementia verò cathartica ijs rationibus vsurpare non audebat, quæ allatæ sunt à Sorano. At si in pleuritide ad hypochondria vergente exhibet illeborum nigrum, & peplium, hoc facere non verebatur; tum quia nullum periculum incurrebatur, quorum meminit ipse Soranus, cùm inflammatio esset in partibus naturalibus, non autem vitalibus; tum quia in hac pleuritide plus solet aliorum humorum, quàm sanguinis subesse vitium: nam sæpè bilis in pleuritide, pituita verò in peripneumonia solet redundare, ratione illius vtebatur veratro nigro, ratione huius peplio.

Ad illud 4. sect. aphor. 18. respondetur perpetuum non esse in omnibus morbis supra septum transuersum existentibus per superiora purgari, non autem per inferiora, quoniam sæpè accidit, vt nedum thoracis dolorum gratia, sed capitis quoque, oculorum, gulæ vtiliter per inferiora fiat purgatio, cùm à natura, tum etiam ab arte: quod quidem planè extat apud Hipp. in 4. aphor 28. & 60. & 6. aphor. 17. de surditate, & lippitudine: quas passiones inquit solui à superueniẽte alui fluore: sicuti è cõtra colicos, renumque dolores vomitu sedari apud ipsum cõstat pluribus locis. Tum quia licet in pleuritide, ac pneumonia rectâ viâ fiat purgatio per sputum, tamen non inconuenit sæpè aliquo

leui

seui medicamento aluum subducere, ne scilicet ex primis vijs in pulmones, ac in thoracis dolentes partes materia surripiatur: tũ quod ex illa leni ventris subductione nequaquam potest superna sputionis purgatio supprimi: sicuti fieret si insigniter aluus concitaretur, & propterea rectè docet Hipp. in 3. de morbis, & in 6. aphor. 16. in pleuriticis, & peripneumonijs, in quibus per sputũ materia infestans expurgatur, superuenientem validam alui purgationem, esse malam: bona esset quidem, si à natura spontè, & non coactè fieret, hoc est criticè, & cum præcedenti cùm naturæ, tum humoris optima dispositione, non autem symptomaticè, nec vlla subsequente tollerantia, & conferẽtia, sed labore, & virium deiectione: tunc enim esset perniciosa, & funesta.

Item in principio pleuritidis, aut pneumoniẹ effluxio ventris, vt plurimum vtilis esse consueuit; in medio autem, & in fine est inutilis, & damnosa, nisi iam facta sit per sputum morbi solutio.

Ad oppositæ partis argumenta, Responsio.

Vt autem altera pars priori concilietur, operę pretium erit ijs, quæ in oppositum allata sunt, satisfieri. Et primo ad Hippocratis locum de aere aqu. & loc. respondemus, quod ibi summus Medicorum Princeps de alui fluore loquitur, vt est remedium pleuritidis, peripneumoniæ, & causodis pręseruatiuum, non autem curatiuum, cùm sæpè fluxus alui ijs morbis magno sit incommodo, vt superius visum est.

Ad id verò, quod in coace 386. habetur, respondendum in pleuriticis doloribus saluberimum quidem esse ventrem modicè emolliri, non autem immodicè fluere, aut resiccari. In 3. de morbis sapienter dictum est biliosum naturâ, priusquam sputum biliosum spuere incipiat, medicamento cholagogo probè purgandum, cùm iam in 2. & tertia conclusione dictum sit in cacochymia exquisita, & notha in principio morbi medicamentum purgans conuenire: & sic de his loquentes Diocles, & Praxagoras instituunt purgationẽ etiam elleboro nigro, aut clysteribus acribus moliendam. Paulus Æginetà cùm intendat materiã iam in pectore collectã inde foras excludere, consulit vtẽdũ esse purgantibus validis, & continuò adhibendis. At Aetius repurgato iam per sputum pectore, ac morbo fere sedato, salube-

liberimam esse, aut effatu dignam narium hæmorrhagiam; aut insignem materiæ biliosæ, ac spumosæ per aluum expurgationem. Quod autem Auicen. validissimis vti suadeat purgantibus, non est extra rationem, vbi nimirum materia copiosa, & crassa tum in thorace collecta, tum in toto corpore redundans non nisi validis catharticis possit educi, prout in 4. & 6. conclusione statutũ est. Et hæc pro præsenti quęstione.

An materia purulenta, seu sanguinea, seu alterius naturæ in pulmone, aut in alijs thoracis cauitatibus contenta possit per aluum, aut per vrinam, aut per alias inferiores vias expurgari.

CAPVT XIX.

MEdici ferè omnes arbitrantur materiæ purulentæ, aut sanguineę in pulmonum, aut thoracis cauitatibus, aut in lateribus contentæ non aliam quippe conspicuam, & commodiorem viam patescere, per quam excludatur, nisi illam, quam natura per tussim, & sputum sibi comparat, hoc est per bronchios, & asperas arterias: hoc enim (vt ipsi sentiunt) frequentiori, tutiorique itinere vtitur natura ad omnem materiam noxiam ex thoracis conclauibus p̄ anacatharsim explodendam: tametsi ego in superioribus luculenter ostenderim nullam prorsus viam illi conspicuam, & peruiam apparere.

Via pectoris expurgationĩ cõmodior.

Lib. 2. c. 25.

Verùm enim verò dicunt, si propter materiæ crassitiem, & contumaciam, aut propter facultatis expultricis languorem, aut instrumentorum, aut viarum occlusionem natura nequeat eam per tussim excutere, & per sputum deijcere, alias, etsi longiores, & insolitas vias sibi struit, quas irrationabiles vocat Aurelianus in lib. 5. chron. cap. 8. Per has enim quatuor modis solet ex Hippocratis, Aureliani, & aliorum sententia à natura coactè pus expurgari, hoc est per vrinã, aluũ, vterũ, & per abscessum. Per vrinam, licet raro contingat, hoc tamen

Vię expurgationi pectoris insolitæ.

Purgatio p̄ vrinam.

men

men experientiâ, & grauissimorum Virorum auctoritate cõprobatur. Nam in 1.epid.sec.2.text.7. scribit Hipp. plerisq; vrinarum profusiones non sine dolore, biliosas, aqueas, purulentas, abradentes, stranguriosas contigisse, quæ tamen non ex proprio renum vitio eueniebant, sed quòd istis alia in aliorum vicem succederent. In eadem quoque sectione confirmat multis empijcis, & purulentis desperatam esse salutis spem, nisi ijs repentè facta esset in stranguriam commutatio.

Hanc puris, aut sanguinis ex thoracis partibus in renes, & vesicam metastasis, & per vrinam expurgatio, licet à Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. & ab Auicenn. Ægineta, Aetio, Rasi, Mesue, & multis alijs tum antiquis, tum recentibus admittatur, & quotidianâ experientiâ confirmetur, vt in posterum apparebit, non nulli sunt tamen, qui id posse fieri negant. Namq; materia purulenta, aut sanguinea, aut alterius naturæ morbosa siue in pulmone, siue in cauitatibus thoracis, siue in lateribus stabuletur, vt excludatur, nullam habet quæ appareat viam, qua possit per inferiora purgari, vt partim in superioribus demonstrauimus, partim in posterum planius apparebit: quoniam si sit in pulmone, aut in eius porosa substantia, aut in asperis, vel leuibus arterijs debet residere, inter quas vias mutua non datur materiæ transpositio, nisi fortè difficilis, ex spongiosa nimirum pulmonis substantia in venam arteriosã, è qua in dextrum cordis ventriculum ferri non conceditur, vt putabat Erasistratus, propter valuulas ingressui clausas, nihilue ex cordis dextro sinu in venam cauam egredi posses, ob tricuspides valuulas intus pariter clausas. Et tamen quotidiana experientia compertum est pulmonis, & thoracis vomicam sæpè per vrinam esse expurgatam. Quod Diocles memorans apud Herodotum, scribit pectoris suppurationes simul cum vrinis excerni. Gal. itidem præter luculentum magni Hippocratis testimonium in 1. & 3. epid. expressè asserit se vidisse pulmonis vomicam per vrinam, thoracis autem per intestina, & per aluum expurgatam esse. Id quoque à non nullis recentioribus non semel obseruatum legimus. Nam

Rationes, q̃bus probatur purulentam pectoris materiam p vrinam expurgari nõ posse.

Autoritates & exempla, quib⁹ probatur materiã à pectore per vrinam expurgari.

Prosper Alpinus lib. 8. Medic. Method. cap. 8. refert se Iuuenem quandam pleuriticã Bassani vidisse in Domo Hermetis Forcaturæ celeberimi Iuris Conf. Patririjque Patauini, quæ omnem humorem pleuritim facientem, sputis planè suppressis, per vrinam excreuit, & sic tali euacuatione ob exitiali phlegmone libera euasit. Marcellus Donatus hist. mirab lib. 3 cap 9. tradit pleuritides quasdam per vrinas aliquando integrè iudicatas, & solutas, sicuti hoc in Olitore quodam eum obseruasse dicit, cui sanguis multus serosus in septima per vrinæ vias effluens, illum à sæua pleuritide, quæ iam miserum hominem in Orci fauces traxerat, liberauit. Id ferè idem refert Sennertus lib. 2. par. 2. cap. 16. quæst. 5. vbi ab Amico quodam scriptis accepisse quendam in sinistro latere thoracis supra costas nothas gladio fuisse vulneratum, qui licet nec dolore, nec tussi conflictaretur nihilq; sanguinis per sputum reijceret, vt inde colligi potuerit, tantum externos thoracis musculos fuisse vulneratos: tamen accidit, vt sequenti nocte illi superueniente meiendi difficultate, post quatriduum copiosum sanguinẽ emingeret partim grumosum, partim floridum, quæ sanguinis mictio ad duas septimanas perdurauit, donec æger conualuit. Beniuenius de abdit. cap. 43. Oritur sæpè, inquit, in lateribus morbus, qui pleuriticos à Græcis nominatur. Huic tussis, ac febris accedit, & excreatur cum pituita sanguis, graue profectò, ac intollerabile malum. Hac cùm affligeretur Antonius quidam, & morbus iam ad maturationem peruenisset, euacuato per vrinam pure, quod rarò contingere solet, penitus sanatus est æger. In cuius capitis annotatione hęc subiungit Dodonæus. Nouimus verò & nos, inquit, rusticum tantum in pectore puris habentem, vt capite cum pectore deorsum reclinante, ex ore illi efflueret, qui purulentâ redditâ vrinâ, sanitatem mox consecutus fuit. Hoc idem confirmatur casu, qui ex Alexandri Benedicti lib. 3. cap. 9. anat. relatu contigit Helio Basso Cymbriaci eius filio, cui pleuritide laboranti in maxima morbi desperatione, cruentũ pus p̃ vrinę meatus profluxit, & ægrum protinus liberauit: quod quidem per aluum eodem euentu se quandoque eiectum vidisse testatur. Hoc idẽ

refer-

referre videtur Hieron. Fabrit. lib. 2. chiru. cap. 22. de quodam suo amico in thorace vulnerato, cui facta cyathi cruoris pleni per vrinam excretione, protinus à dolore, febre, & omnibus symptomatis leuatus est æger. Amatus Lusitanus cent. 3. cur. 68. describit historiam Mercatoris cuiusdam Ariminensis pleuritide laborantis, qui sanatus est sanie per vrinam excreta.

Expurgatio per aluum.

Ita etiam quandoque per secessum, sed rarissimè, & non sine magno ęgrotãtis discrimine purulẽta pectoris illuuies expurgatur, vt extat per illud Hippocraticum in coac. Empyicis à pulmone pus duci per aluum, lethale. Id experimento probat ipse Lusitanus in cent. 6. cur. 32. vbi describit historiam cuiusdam militis hæmoptoici, hoc est qui sanguinem per sputum reijciebat, qui postea à natura ad intestina deriuatus, per secessum expurgatus fuit, & ęger sanitati redactus est. Idem cent. 7. cur. 42. refert casum duorum pleuriticorum, quibus materia, quæ per sputum reijcienda, erat ad aluum deriuata, per secessum deiecta est. Similem casum contigisse refert Valleriola lib. 1. obs. 4. Arduino ab Stagno Patritio Arelatensi, qui pleuritide incocta, & sine sputo laborans, post grauissima symptomata in 14. superueniente copioso alui fluore, & multos dies perdurante, præter omnium spem seruatus est.

Sed huiusmodi tandem naturæ expulsiones multo antea planè extant apud Aretęũ, qui lib. 2. acut. cap. 1. hæc scriptis tradidit. Quidam vtiq; sunt, ait, quib⁹ magna vis puris in pulmone procreatur, aut ex pleuritide fit permutatio, si maius bonum suboritur: quod si ad intestina, aut vesicã ex lateris morbo sanies deriuata sit, tunc quidẽ continuò pulmonis vomicâ liberantur; sed diuturnum vlcus, quod demum sanescit, in latere patiuntur. Et rursus lib. 1. diut. cap. 9. hęc habet. Porro si ad inferiora pus transire velit, partes quidem superiores, vbi erat abscessus, acutus dolor occupat, aluus verò humida est, primum aquosa cum pituitosis deijciens, deinde cruenta quædam circunfluentia, rursusque carnosa, cùm iam effractus abscessus est. Hęc itidem paucis verbis explicat Aetius tetr. 2. ser. 4. cap. 66. dum inquit. Aliquando autem inflammatione in pus commutatâ, per ventrem, aut

vrinam pus excernitur, statimq; ab omni molestia liberatur.

Quòd autem vomica ex thorace quandoque per vterum expurgetur, ipse Aretæus testatur in lib. primo chron. cap. 9. & Forestus obseruat. 35. l. 16. sicuti per abscessum quandoq; etiam finiri docet Hipp. in 2. progn. text. 67. inquiens. Abscessus si in cruribus erumpit, in vehementi, & periculosa pulmonia omnis est vtilis. Et in prrohet. Quibus inquit, ex peripneumonia sub auribus, vel infernis partibus nascũtur abscessus, ibique suppurantur, hi defunguntur morbo. Et multa alia apud celeberimos Viros leguntur exempla, quibus omnes Medici in eam conueniunt sententiam, vt cogantur fateri materiam siue sanguineam, siue purulentam ex thoracicis penetralibus erutam per vias vrinarias, & aluinas non nunquã expurgari.

Autorũ dissensio circa vias, quibus pectoris illuuies expurgatur.

At quæ nam hæ sint viæ, non adhuc constat, nec benè cõsentiunt Medicinæ Doctores. Nam Erasistratus ex pulmone per venam arteriosam pus in sinistrum cordis sinum ferri putabat, & ab eo in dextrum, & in venam cauam perduci, ac inde per emulgentes ad renes, & per vreteras ad vesicam. Aurelianus in 5. chron. cap. 8. scribit aliquos esse (quorum vnus creditur Diocles) q; arbitrãtur irrationali via materiã purulẽtã ferri per arteriã maiorem per stomachum, per ventrem, per vesicam, & per vterum excludi, cùm nullæ dentur viæ naturales, quæ ab his partibus materiam collectam ad supradicta loca deuehant. Alij quoque in ijs vascula quædam anatomicâ obseruatione se reperisse demõstrant, quę ad hęc penetrant loca. Alij autem dicunt vias esse latentes, quas λογοθεώρητας appellant, per quas limpidâ, vel purulentâ quadam exudatione feruntur. Quidam etiam in singula loca, ex alijs factam puris susceptionem, quam μετάληψιν vocauerunt, signis explicare conati sunt, quam quidem non necessariam, sed frequentem esse probauerunt. Gal. autem vt Erasistrati opinionem de huiusmodi via reffellat, hæc in 5. de loc. aff. cap. 4. scribit. Leuem arteriam, inquit, pulmonis quantum puris ex rupta vomica suscepit, id ad sinistrum cordis sinum deferre statuit,

quod

quod inde in magnam ipsius arteriam incidens, per renes trãſeat ad veſicã. Hanc viam videtur approbare Langius epiſt. 40 tom. 2. hiſtoriã cuiuſdam Proceris Palatinatus apoſtemate in membrana coſtas ſuccingente laborãtis, cui per vrinam facta eſt expurgatio.

Aduerſus hanc Galeni ſententiam, licet ab alijs inſecutã, non nulli inſurgunt, qui quaſi partes Eraſiſtrateas inſectando (putabat enim Eraſiſtratus in arterijs ſolum ſpiritum contineri) negant per arterias, ac per ſiniſtrum cordis ventriculum, qui ſunt vitalis auræ, ac puriſſimi vitæ nectaris tantum ductus, & conceptacula, poſſe cœnoſam, & prauam puris illuuiem pertranſire: quod quidẽ impoſſibile dicunt fieri poſſe abſque ſyncope, cordiſque palpitatione, vel tremore, & multis alijs grauib⁹ ſymptomatis. Inter eos vnus eſt Andreas Matthiolus in epiſt. 1. lib. 1. qui poſtquam pluribus contenderit neutiquam fieri poſſe puris per dictos ſpiritales ductus tranſitionem, aſſerit à vena ſine pari, quæ azygos vocatur, propè diaphragma porrigi ductũ quendam rectâ per ſpinam ad emulgentes: cuius venæ diuaricationis inuentorem gloriabundum Fallopium facit Laurentius: ſicuti etiam Franciſcus Michinus de Sancto Archangelo, qui in 5. obſer. anat. ſe hanc venam cum emulgente connexam in binis cadaueribus à Fallopio diſſectis obſeruaſſe ſcribit anno 1554 cuius venæ coniunctionis obſeruator quoque fuit Bartholomeus Euſtachius de rerum ſtruct. cap. 16. 39. & 41. tametſi hanc primò innotuiſſe Nicolao Nouocomenſi velut proprio illius inuentori, teſtetur Hieron. Fabric. lib. 2. cap. 22 eius chirur. Quorum Virorum obſeruationi videtur fauere Peræus in lib. 3. cap. 13. qui eiuſdem venæ ductus luculentius explicans, hęc inquit. Hic in primis notandum venam azygos poſtquã nutrierit interualla coſtarum inferiorum, reliqua ſui parte ſub diaphragma deſcendere, ac in latere ſiniſtro emulgenti venæ coniungi. Ex quo patet qui criticus abſceſſus materiæ pleuriticæ excretione contingere poſſit per vrinas.

Galeni ſententia aduerſãtes.

Verùm multis ſcitiſſimis Viris perdurum videtur hanc pu-

Rationes eorum qui negant p oscula veue azygos fieri puris transpositionem.

rulentę materię translationem fieri posse per angustissima surculorum venæ solitariæ oscula, tum scilicet ea, quæ abscedit in latere, tum quæ decumbit in thoracis cauitate: ex qua nec venarum oscula pus exsugere, nec in eam diffundere possunt, ità vt nec per diapedesin, nec per anastomosin ex tenuissimis venis possit materiæ tàm crassę fieri transpositio: quoniam si materia sit in cauitate thoracis, nullibi apparent ipsius venæ sine pari oscula, quæ possint eam exsugere; nisi forte dicant in membrana costas succingente dehijscere, quod tamen est merè falsum, cùm in eam ob eius densitatem, & leuitatem non desinant venarum orificia, vt cuique obseruatori liquere potest. Si autem pus resideat in latere, hoc necessum est in musculorum, aut ipsius costalis membranæ intercapedinem extrauenatum existere, contestante Galeno in 6. aphor. 20. tametsi magnum profectò miraculum esse dicat Aræteus lib. 1. diut. cap. 9. vt in exilem, tenuemque membranam nihil crassitudinis habentem tanta puris copia effundatur. Ex ijs ergo spatijs haud possibile est idem à venæ azygos capillaribus surculis excipi; cùm rationi consentaneum non sit, vt à quibus venis semel deiecta est materia sanguinea, & benigna, ab ijsdem in purulentam, & prauam degenerata rursus admittatur. Tum quia sicuti sanguis in intercostalium musculorum spatijs contentus nequit ab arteriæ magnę finibus exsugi propter iugem spirituum impulsionem, qua statim retropelleretur, docente Galeno in 5. de loc. aff. cap. 3. Ità ferè hoc dici posset de venæ azygos, aut cauæ extremis orificijs, à quibus ratione spirituum impulsionis non quidem excipi, sed potius effundi debet sanguis, iuxtà naturalem motum, quem is habere consueuit cùm in partium nutritione, tum in superflui sanguinis, aut alterius noxij humoris expulsione. Porrò cùm ipsa purulenta materies ob insignem eius copiam musculorum, aut costalis membranæ intercapedines latè distendat, necessum est venarum, & arteriarum capillarium orificia mirum in modum coangustari, & occludi, vt sæpè contingere consueuit cùm in insigni plethora, tum in immodica vesicæ plenitudine, in quibus solet venarum, & arteriarum oscula, & ipsius vesicæ orifici-

fici-

ficium, ob immodicam distensionem mirè obturari; propter quod impossibile est ipsam crassam materiam angustissima eorum vasorum oscula subintrare.

Cùm igitur pus in quacunque lateris, aut membranæ costarum parte collectum, nullum venæ cauæ, & arteriæ maioris, aut venæ azygos surculum ingredi possit, nulla quippe superest via, per quam possit ad renes, & ad intestina perduci, ac per vrinam, aut per aluum, aut per aliam inferiorem partem expurgari: vnde frustra repertus est à recentioribus anatomicis ramulus ille venæ solitariæ ex sinistro huius ramo oriundus, ad emulgentem rectâ progrediens; quemadmodum etiam frustra datur ex intercostalibus arterijs in arteriam magnam deriuatio: atque irriti prorsus erunt cùm phrenicus venæ cauæ ductus, tum ille à Bauhino inuentus arteriæ venosæ ramus, ob rationes iam allatas. Præterea si ex multorum sententia tam manifestæ reperirentur viæ, per quas possit pus commodè per vrinam, per aluum, & per alias partes expurgari, cur non omnes empyici, omnesque vbique suppurati per huiusmodi vias non euacuantur, & à morbo protinus liberantur, sed è contra potius omnes ferè ob puris retentionem suffocantur, & pereunt?

Nullæ sunt viæ, quæ à pectore pus per vrinam expurgent.

Vias autem, quæ à pulmonibus profectæ ducunt ad renes, ad vterum, & ad aluum, volunt esse non modo arteriæ venosæ ramum, à quo ad sinistrum vsque cordis ventriculi principium perducto ramulum quendam ad emulgentes, & ad renes peruenire docet Bauhinus in libro secundo theat. anat. cap. 26. verum etiam venam pulmonariam dictam, quæ à venæ cauæ trunco iuxta venarum diaphragmaticarum exortum egressa, inseri dicunt aliquibus in pulmonem. Cuius quidem venæ primum obseruatorem fuisse Nicolaum Sanmichelium Nouocomensem, tradit Ioann: Costæus in annot. in Auicen. libro tertio Fen. 10. tractatu quarto. Ab his namque venis volunt euasis finibus cordis, pus è pulmonibus ferri in renes, & vesicam, atque etiam in vterum, ac in intestina. Præter has illę quoque dantur vię, quas descripsit Gal. in 6. de loc. aff. cap. 4.

Per quas vias aliqui excogitarunt à pulmone per vrinam, & aluum, vterumque expurgari.

Hæ

Hæ namque ſunt vena arterioſa, & arteria venoſa, illa quidẽ ex dextro cordis ſinu, hæc ex ſiniſtro exorta, in vniuerſum pulmonem numeroſâ ſurculorum ſobole diſſeminantur, è q; bus quicquid ſanguinis, aut alterius humoris in ijs reſidet, facilè poteſt in ipſos cordis ventriculos, & ex his in venam cauam, & arteriam magnam deferri, indeque non ſolum in emulgentes, verum etiam in ea vaſa, quæ ducunt ad vterum, & hæmorrhoidas, nec non in venam portam, & in venas iecuris, & mſeenterij & tandem in inteſtina perduci.

Puris extra vaſa in pulmone exiſtẽtis purgationi non datur via.

Verùm ſi in quauis parte pulmonis extra dicta vaſa pus abſceſſerit, hoc minimè poſſe duco eadem vaſa ſubingredi, & in ſinus cordis deferri, ac ideò per dictas venas, & arterias, atq; partes expurgari, niſi fortè perrarò, & magno quodam naturæ conatu.

Concluſio.

In quacunque igitur pectoris parte materia purulenta extra vaſa decumbat, nullam habet viam conſpicuam, per quã poſſit ad dictas partes expurgari.

Neque refugiendum eſt ad abditas, & incognitas vias, vt aliqui perperam faciunt, quoniam licet ex Hippocrate de alim. vnus ſit in toto corpore confluxus, & conſenſus, vnaq; conſpiratio; ita vt ſecundum aliquam tenuiſſimam, ac ſpiritalem ſubſtantiam (præter venas, & arterias) vndique corpus ſit peruium, ac tranſpirabile, vt ſura dicebamus; non tamen materiæ craſſę, & viſcidæ, qualis eſt purulenta, ſic liber additus datur, vt quoquouerſus perfluere valeat; ſi hoc enim concederetur, omnes purulenti facilè expurgarentur, & ab exitialibus morbis vindicarentur, quod tamen non apparet.

Cur thoracis vomica neq; at per abſceſſum in aliq̃ partem inferiorẽ expurgari.

Neque tandem purulenta collectio in qualibet thoracis cauitate facta, poteſt per abſceſſum in aliquam inferiorem partem expurgari, quia cùm hæc methaſtaſis fieri nequeat, niſi mediantibus venis, aut arterijs, iam decretaum eſt ipſi materiæ purulentæ ob eius craſſitiem, & ob vaſorum anguſtiam, ac longitudinem, & ob partium, per quas tranſitus fieret, nobilitatem, omnino prohiberi ingreſſum, & progreſſum. At dato quòd intra dictas venas, & arterias admittatur, & in

maio-

maiora vasa traijciatur, iam dictum est ob tricuspides valuulas ipsi omnino ingressum prohiberi, ne temerè nobilissimos cordis adytus peruadat.

Tum quia planum est materiam, quæ de vna in aliam partem traijcitur, necessum est pro eius fluxione duntaxat vti venarum, aut arteriarum ductu: atqui id quod in partem aliquã abscedit, ne quidem sub puris, sed sanguinis, aut alterius humoris forma per ipsos ductus permeat: nullus enim abscessus actu purulentâ fluxione succrescit, sed humorali, quę postmodum vi caloris adaucti, in pus vertitur.

Quę materia sit pfluxibilis.

Restat igitur, vt concludamus materiæ purulentæ, aut alterius naturæ, siue in pulmone, siue in thoracis cauitate, siue in latere extra venas decumbenti, nullam conspicuam viam patere, per quam excludi, & per vrinam, aut per secessum, aut per aliam partem inferiorem expurgari possit.

Conclusio.

Neque huic asserto quidquam derogant quorundam grauissimorum Virorum rationes, & exempla obseruationibus petita. Nam Iulius Alexandrinus pro Galeni defensione coarguens Matthioli sententiam, scribit longè referre, si quid in corpore nostro naturaliter fiat, & præter naturaliter; si à facultate quadam, & si ab affectu; cum partis robore, aut imbecillitate; an cùm expellitur noxium, an cùm recipitur. Propter quod licet in syncope, cordis tremore, aere pestilenti attracto cor valde afficiatur: attamen si validâ præditum sit facultate expultrice, haud difficile est illi noxam procul arcere. Ita cùm in aliqua pectoris parte ruptus fuerit abscessus, hoc velut quid noxiũ, & pernitiosum natura indignè ferens, properè, valideque insurgit ad illud expellendum.

Quorundam rationes in contrarium allatæ.

Hæc quidem vera sunt, sed nihil nostræ sententiæ præiudicantia, quandoquidem licet humor in cauitate thoracis, aut in alio prædictarum partium loco collectus, ibi præternaturaliter decumbat, illucque receptus, & à valida facultate ob affectum depulsus, & depellendus: tamen cùm nullæ pateant viæ, per quas depellatur, frustra hîc validæ desiderantur vires, quas etsi in empyemate non rarò firmas obseruauerim,

Rationũ demolitio.

nun-

nunquam tamen vidi ægrum conualuisse.

Iulij Alexã-drini Fallax obseruatio.

Et quamuis ipse Iul. Alexandrinus viderit in Zacharia Caiano pleuritidem per vrinam bis repurgatam, oculis tamen non vidit, si materia fuerit purulenta, & in qua parte extra vasa decubuerit, tametsi mente conceperit ipsam intra membranam costas succingentem resedisse, & longissimè ab ipsius vrinæ vijs abfuisse.

Hipp. locus expenditur.

Nec valet subiungere huiusmodi vias diligenter rimanti conspicuas futuras, cùm eas sagaciter natura in his sibi comparet, iuxta illud Hippocratis in 6. epid. sec. 5. text. 1. ἀνεουρίσκει ἡ φύσις αὐτῇ τὰς ἐφόδους οὐκ ἐκ διανοίης .i. Inuenit natura etiam sine ratione sibi ipsi vias: quoniam hoc de materia illa intelligendum est, quę non extra vasa iam collecta est, & in pus conuersa, sed quæ in venis reperitur, & etiamnum sanguinis, aut pituitæ, aut alterius similis humoris formam retineat. Quando autem materia sit tenuis, & ichorosa, licet in aliqua pectoris cauitate concludatur, non impossibile duco eam posse à facultate robusta illis secretis naturæ ductibus ab Hipp. recensitis per sudorem, aut per aliquã transpositioné, aut per insesibilem resolutionem expurgari. Nec obstat, quòd ad comprobandam naturæ in mirificis expulsionibus moliendis solertiam, afferantur ab Ambrosio Paræo lib. 16. cap. 49. exempla quorundam hominum, quibus dum ex vno brachij vulnere saniosa materia abundè effluebat, synceræ reddebantur fæces, & vrinæ: dum autem vulnus exsiccabatur, plurimum eiusdem purulentæ saniei cum fæcibus & vrinis excernebatur. Nam ex hac reciproca puris purgatione, haud certum desumitur argumentum materiam purulentam, aut saniosam, quæ exsiccato vulnere, cernebatur in fæcibus, & vrina, eandem esse quæ iam extrauenata emanabat ex vulnere; sed quidem esse illam, quę ex venis in vulnus confluxura, confluxerat ad vrinæ, fæcumque vias. Materia enim purulentã, aut saniosã impossibile est, annuente Aureliano in lib. 5. chron cap. 8. citra maxima cordis pathemata & insignes noxas à vulnere ad vesicam, & aluum pertransire.

Quę materia per insensibiles vias fluit

Ambrosij Parei obseruatio infirmatur.

Autoris sententia.

Sed ego in hanc sententiam deuenio, vt credam illam purulentam,

lentam, & saniosam materiam, quæ in vrinis, aut fæcibus cernitur expurgari, nō semper ex aliquo interno vlcere, aut abscessu prodire (licet hoc quandoque contingere posse non diffitear) sed sępius ex venis, & ex sanguinis impuritate & sorditie. Nam facile est, vt corporibus calidis, & humidis, quibus ob immodicam, & frequentem ciborum, & potuum meraciorum ingluuiem, & otiosam, desidemque vitam, tanta humorum fiat in venis coaceruatio, vt cruda, crassaque sanguinis portio ab impensa viscerum, ac totius corporis caliditate putredinem contrahat, & in puris, & saniei naturam degeneret, quæ mox ob eius acredinem, & prauitatem à natura per vrinas, & aluum expurgetur.

Materia, quę residet in vrina pus referens, vnde effluat.

Quod enim saniosa, purulentaq; illuuies vt plurimum ex venoso genere profluat, videtur ab Hippoc. insinuari in 2. de nat. hum. prope finem, cum dicat. Quibus vrinæ cruentæ sunt, ijs in venis vitium existere. Nam sæpè contingit vt citra vllam renū, aut aliarum partium vlcerationem, aut abscessum plurima purulenta materies per vasa vrinaria; aut per intestina sine aliqua eorum læsione possit expurgari; quemadmodum id præclarè videtur à Gal. exprimi in 6. de loc. aff. cap. 3. vbi sic scribit. Verùm, inquit, etiam si alia quæpiam humorum vitia à venis per vrinam expurgentur, quemadmodum si puris quoque multa fiat per vrinas excretio, nihil ab ijs vel renes, vel vesicam, vel vreteras molestari cognouimus, sed in hac re non parum cum intestinis conuenire videntur, quæ in hepaticis dispositionibus nihil patiuntur, licet à bile syncera lædantur. Ex quo non mirum est, si Medici ferè omnes, cùm viderint copiosum sedimentum quoddam crassum, subalbidum, aut subsaniosum, quod pus referens subsidet in vrinis, non verentur asserere illud aut ex renibus vlceratis deriuare, iuxtà illud Hippocraticum in 4. aphor. 75. Si sanguis scilicet, aut pus cum vrina excernatur, renum, aut vesicę vlceratio significatur: aut ex aliquo disrupto superiorum partiū abscessu, vt in eodem ahpor. & in 5. de loc. aff. cap. 4. ipse Galenus testatur.

Hippocratis testimoniū.

Plurimum enim differre duco cum vrinis pus expurgari, & in vrina purulentum, & crassum quid subsidere: nam siue cum vri-

Puris differentia.

na, siue absque hac pus diutius modicâ quantitate excernatur, signum est, vt dixi, ex Hipp. in 4. aphor. 75. renes aut vesicam esse vlceratam. Si autem quidpiam crassum, & purulentum ita vrinæ permixtum sit, vt nisi subsideat, non possit discerni, tunc certũ est huiusmodi crassam, ac purulentam materiam ex partibus supra renes positis emanare: at hoc dupli-ci causa potest contingere, aut scilicet ex 5. de loc. aff. cap. 4. in altiori parte disrupto abscessu, cum qua cõmunicentur venæ, aut arteriȩ: aut dum fæculentior, & crassior sanguinis portio, seù materia aliqua cruda, crassaque, & pituitosa cum vrina exactè permixta residet in fundo, puris referat qualitates: hanc non ex vllo vlcere, aut abscessu, sed ex sanguine, & ex venis prodire affirmandum est. Quare licet illud crassum albumque sedimentum à multis doctissimis Viris in vrinȩ excretionibus obseruatum, in colore, & substantia visum sit formam puris retulisse; id tamen certum est non fuisse pus verũ, sed materiam quandam pituitosam, & crudam sanguineo excremento permixtã: cuius veritatis tibi sit testis ipsemet Gal. qui in primo de alim. facul. cap. 2. hæc habet. Pituitosus enim, & crudus succus propriè nuncupatus talis est, quale id apparet, quod in vrinis subsidet quandoq; puri simile: verùm pus graueolens est, & lentum; crudus verò succus, crassitie, & colore illi duntaxat est similis, vt qui neque graueolens est, neque lentus. Id enim sanguinis fæculenti generis excremẽtum illud est, quod nisi per vrinam, aut aluum, aut per aliã partem expurgetur, sæpè consueuit in abscessum, aut in articulos decumbere, vt docet Hipp. in 4. aphor. 74. & morbos ex crassis, crudisq; humoribus oriundos in abscessum desinere, scribit Gal. in 2. progn. test. 34.

Nota *Quid sit* ꝙ *pus referens residet in vrinis.*

Obseruationes à Laurẽtio factȩ cur nihil nostræ sententiæ p̃iudicent.

Historiæ autem, quæ à Laurentio lib. 9. quȩst. 12. pro defensione Galeni afferuntur ad probandam puris per sinistrum cordis sinum, & per arterias expurgationem, licet vt veræ, & comprobatȩ admittantur, nihil tamen nostrȩ sententiȩ prȩiudicant, quandoquidem, etsi credam ex Hollerij testimonio cuidam mulieri intollerabili cruciatu vrinam purulentam ꝓfluxis-

Cõ. in coac.

fluxisse, & illi iam defunctæ, & dissectę duos calculos in corde cum multis abscessibus paruis inuentos esse, integris renibus, & vrinæ vijs. Et licet Gal. in com. 1. de loc. aff. cap. 5. impossibile esse dicat posse cor abscessum sustinere, sicuti pulmoné, & ligamenta dolorem. Nichilominus tamen si quid purulentum, & noxium per cordis sinus deferatur, id non nisi violentâ vi morbi, & maximo naturæ conatu, & cum vehementibus cordis symptomatibus fieri potest, vt diximus. Vomicâ enim pulmonis in sinus cordis penetrante, grauissima sunt secuta symptomata, & intra horæ quadrantem secutam esse mortem, refert Fernelius lib. 5. pathol. cap. 10.

& in praxis lib. 1 c. 5. in schol.

Atque si Laurentius in quodam Ciue Monspeliensi se vidisse testetur tenuem, rubrum, & fætidissimum humorem in cauo thoracis, ac in finibus cordis cumulatè aggregatum, quem ipsum æger per lotium effundebat: non ex hoc tamen potest quid certum comparari, huiusmodi humorem qui per lotium excernebatur, ex cauitate thoracis deriuasse, & per sinus cordis perfluxisse: quoniam non est inconueniens in omni ferè eius cadaueris dissecti cauitate illum humorem rubrum, & fætidum inueniri, cùm rationi consonum sit ipsius ægri corpus iam diu morbosum, vndique illo humore rubro, putidoque fuisse repletum: tum quia si illi humori in ipso thoracis cauo decumbenti patuissent viæ, per quas posset expurgari, cur spatio mensis totus per vrinam non expurgatus est?

At quoniam credibile est vniuersi corporis vasa humore crudo, & putrido illi fuisse, vt diximus, insigniter redundantia, hinc non mirandum, si dissecto cadauere, reperti sint cordis ventriculi illo humore repleti, quod non alia quidem ratione factum est, nisi quia is humor in omnibus venis ita, inquam, abundabat, vt in cor ipsum regurgitauerit, aut in cõtractione calidi naturalis (quæ præsertim in mortis vestibulo solet contingere) unà quoque humor ille protractus fuerit. Si enim ex cauitate thoracis illum cor exhauriffet, statim validâ vi eius expultrice à se totum depulisset, cùm nulla eidem innia pro expulsione sit via.

Quare ex illa obseruatione Laurentius non aliud probare videtur, quàm materiam ichorosam, aut sanguine per sectionem è venis effuso, aut per putredinem illo rubro colore perfusam inuenisse, quę in morboso cadauere non nisi grauiter olere potuerit: & huic persimilem ego non semel in sectis cadaueribus aggregatam obseruaui, quibus tamen nec empyema, nec purulenta mictio aderat.

Aliorũ exẽpla nihil obsunt.

Si igitur alij prodant ex cadauerum sectionibus, & obseruationibus alijs vidisse non nullos empyematicos per vrinam, aut per aluum, aut per aliam partem purulentum quid excreuisse, id non quidem ex cauitatibus thoracis, aut pulmonis, aut lateris deriuasse pro certo habendum est, nisi forsitan maximo quodam, vt diximus, robustissimæ virtutis conatu, vel ob partium, & vasorum corrosionem à puris acredine factam, aut ob miram vasorum laxitatem, illi purulentæ materiæ aliqua ex parte aditus sit perpetratus: aut dicendum est cum Aureliano aliquam tãtum tenuiorem portionem per partium, & venarum cæcarum porositatem fuisse expurgatam. Aut verisimilius est, vt ego arbitror, materiam illam per vrinas, & alias partes excretam non quidem ex dictis pectoris penetralibus, sed ex communibus venosis, & quandoq; etiam arteriosis fontibus prodijsse, quoniam in maioribus dictis vasis tanta cum sanguine cænosa, vitiosaque materies accumulatur, vt sæpè ob intemperatum calorem nactâ quadam putredine eiusce crassæ, & corruptæ, vel purulentæ humiditatis illuuies in effatu digna quantitate per vrinam, aut per aluum, aut per vterum, aut per hæmorrhoidas expurgetur.

Cùm igitur ex ijs omnibus exploratum sit materiam purulentam, aut alterius generis, quæ extra vasa decumbit in cauitatibus thoracis, aut pulmonis, aut laterum, nullam habere viam cõspicuam, per quam possit per dictas partes expurgari, consulo Medicis, vt pro excludenda à dictis cauitatibus materia, postq̃ omnibus vijs tentauerint eius expurgationem, & nihilum viderint profecisse, ad valẽtiora debeant festinare. Horum autẽ nitiora existunt ea, quę sudorem eliciunt, tum scilicet quę intrinsecus sumpta humores disponunt, ac vias præparant, & aperiunt;

Autoris admonitio erga Medicos.

tum quæ extrinſecus vniuerſi habitus poros recludunt: hæc autē præcæteris validiora ſunt hypocauſta, aut vaporaria. At ſi horum vſui materia non cedat, tunc neceſſum erit ad ignem, & ferrum recurrere, hoc eſt ad cauſticum, vel vſtionem, atque ſectionē: à quibus præſidijs non abhorrebant etiam Antiquiores, qui cum cognoſcerent purulentam illuuiem, vt pluries non alio remedio poſſe exanthlari, niſi ſectione, & vſtione, ideo ijs frequēter, & audacter vtebantur, vt liquet ex Hippocratis monumentis, & præſertim in 6. aphor. 27. & primo de morbis, quod Gal. etiam cōprobans in dicti aph. com. inquit. Qui puris plurimū habent, quod non poteſt per ſpuitiones excerni, vſtione indigent: & 7. aphor. com. 45. affert Platonis teſtimonium, qui narrat Cineſiam Euagoræ filiū qui ex pleuritide empyicus factus erat, ab Euriphonte Medico vſtionibus eſſe curatum. Modus autē, quo debeant huiuſmodi præſidia rectè adminiſtrari, petātur à Paulo Ægineta, à Veſalio, ab Aquapendente, ab Heinrico Smetio, à Schenckio à Sennerto, & ab alijs in hac arte peritiſſimis Viris.

Materiæ Pharmaceuticæ.

CAPVT XX.

Quæ medendi ratio competat Pleuripneumoniæ.

VT Pleuripneumoniæ curationem proſequamur, licet eadem medendi ratio huic morbo poſſet adaptari, quæ in ipſa pleuritide, ac peripneumonia ſolet adhiberi, propter quòd quiſque poſſet ad libitum ipſius remedia apud quamlibet probatioris Authoris practicam opulenter expetere: nihilominus tamen cùm pauca non ſint, quæ huic morbo propius accommodantur, quàm dictis duobus morbis, vt ſepoſitis inutilibus, & ſuperfluis, huc tantum ſelectiora, & quæ mihi magis conducibilia videbuntur, aſſiſcam, huic propriam eius curationem inſtituam.

Cacochymiæ in primis viis ſigna.

Vbi poſtquam ſanguinis detractione corporis plenitudo ex parte fuerit minorata, & ſanguinis ingruentia reuulſione in totum ferè ſedata, ſi Medicus curans ex oris amaritudine, aut

aut ex alui deiectione, aut nausea, aut vomitu, aut ex alijs signis animaduerterit aliquam subesse cacochymiam, aut saltē in primis vijs excrementorum redundantiam, monet Auctor lib. 4. acut. in text. 6. & Hipp. in 3. aphor. 29. & in 4. aphor. 10. vt primis diebus aliquod pharmacum purgans exhibeat, ita vt quarta dies non excedatur: talia autē leuiora esse oportet, ne scilicet validioribus humores ita commoueantur, vt partes nobiles, & malè affectas adoriantur, ac vires deijciant, quo minus postea ipsæ humores coquere, & morbi vehementiā sustinere valeant, nisi forte summa adsit humorum corruptio, & prauorum redundantia, cum sufficienti virium constantia. In quo casu licet ex ipsius Hippocratis consilio in citatis locis, validum purgans propinare. Exemplum lenioris tale esto.

Cacochymiæ & superfluitatis auferēdę ratio.

Cátharticæ lenia.

℞. *Decocti florum, & fruct. cord. q. s.*
Mannæ elect. vnc. iij.
Diasebesten. simpl. vnc. ß.
Trocis. de viol. cum scam. scrup. i.
M. pro potu.

Vel ℞. *Syr. viol. sol. vnc. iiij.*
Diaprun. lenit. drach. iij.
Diafœn. drach. ij.
Decoct. pectoralis q. s.
M. & f. p.

At vbi in ventriculo, & in pectore multa insit pituita, aut præsertim vbi catarrhus adest, hoc conuenit.

℞. *Spec. Hieræ s. Gal. scrup. iiij.*
Agar. trocis.
Pulu. Ialappæ.] *an. drach. ß.*
Turbit.]
M. & cum mel. ros. q. s.
F. bol.

Validiora.

Aut ℞. *Pilul. de Hiera cum agar. drach. i.*
Pilul. de agar. drach. ß.
M. & cum mel. ros. sol. q. s.

F. Pilul.

F. Pilul. num. v. *& inaur.*

Aut vbi cum pituita æquè prædominatur bilis.

℞. *Pilul. de Hier. simpl.*] *an. scrup. ij.*
De tribus cum rhab.]
Trocis. de viol. cum. scam. scrup. i.
M. & cum mel. ros. sol. q. s.
F. pilul. num. v. *& inaur.*

Ne mireris, si cuipiam horum aliquid purgans addiderim, quoniam tam debilem soluendi facultatem in his lenientibus agnosco, vt si absq; vllius purgantis adiumento exhibeantur, vt pluries eorum operatio frustratur: tum quia in huiusmodi morbis acutis præcipit Hipp. iam citatis locis nos in principio medicamentis purgantibus vti; quæ autem purgantia multò equidem validiora erant ijs, quæ nunc præscribimus, qualia erant colocynthis, scamonium, elleborus albus, peplius, granum Gnidium, & id genus alia. Quare nos nullo nomine debemus abhorrere ab eiusmodi leuium purgantium vsu, quę sanè parum vltra priores vias vim suam exarant.

Quapropter parum rectè mihi videntur facere illi Medici, qui in vehementibus morbis, vbi plurima est humorum vitiosorum, & turgentium, ac infestantium abundantia, vice purgantis medicamēti exhibent pharmacum simpliciter leniens, vt cassiam, mannam, tamarindum, syr. aut mel. ros. sol. elect. lenit. diaprun. len. & similia, quę cùm nullam vim catharticam habeant, non solum humorem noxium non purgant, ex quo læthalia subsequuntur damna; sed potius eorum molestâ lenitione, & dulcedine ventriculū relaxando, eum subuertunt, & ad nauseam, & vomitum lacessunt. Hinc suadeo illis, vt hisce nauseantibus turbamentis, ac futilibus medicinis procul ablegatis, illa præbeant, quæ citra vllam sensus, ac stomaci perturbationem, vel noxiam valentius purgant, & Medico simul, ac Pharmacopolæ gloriam, & honorem, ægrotantiq; iucunditatem, & salutem inferunt. Hæc autem sunt, quæ nullius ingrati saporis, ac odoris existunt, qualia sunt Turbit, Hermodactili, Mechiocan, Ialappa, Gotgumma, sem.

Carta-

cartami, myrobalani, epithymus, polipod. quer. sal tartarum, & id genus alia, quæ non solum in substantia, hoc est in subtilissimam polinem redacta possunt cum iure carnis, aut vino, aut alio liquore, aut pulmentis, vel panibus coctis, aut alijs edulijs, aut cõseruis desumi: tũ ex ijs variç cõfectiones parari, vt martius panis, bellaria, tabellæ, morselli, & id genus alia: verùm etiam varijs liquoribus infusa: quibus vt gratiora reddantur, adijci solet aliqua portio sacchari fini, & non nihil cinnamomi el. Et, si lubet, ex his confici possunt potiones depuratæ, & iucundæ quæ medicinæ albæ nuncupantur, loco sacchari immisceri consueuit mãnę elect. vnc. j. vel vnc. ij. vel iij. cum decoct. flor. & fruct. cord. cum sena, & polipod. quer. aut alijs similibus: quæ si validiora desideres, adiungi potest dacrydium ad g. iiij. vel v. vel vj. vel plus aut minus pro ratione causarum, & virium.

Ex huiusmodi benedictis catharticis ea, quæ ingrati saporis, vel odoris existunt, vt aloes, rhabarbarum, agaricus, sena elleborus nig. & similia, ne eorum ingratitudo percipiatur, oportet ea in forma boli, aut catapotij, hostiâ, aut fol. auri, aut alio quouis tegumento inuoluta exhiberi.

Quibus autem deest illa humorum redundantia, & præsertim vbi præ multa caliditate, & siccitate vsque adeo arescit pectus, & aluus, & crassa, viscidaque redditur materia, vt nisi humectetur, ac obtemperetur, vix possibile est expurgari: propterea quòd in simili casu licebit in principio morbi pro leniente propinare illa prædicta leuiora lenitiua, vt mannã, Syr. viol. cassiã, & alia, ex quorũ genere leniora adhuc sunt oleum amigdal. dul. rec. butirum rec. & lac caprinum recenter emunctum: quorum vntijs quinque, sex, vel septem adijcitur dimidia, vel integra sacchari candi vncia, cum aquæ violaceæ vnc. ij. vel iij. vel iiij. nam dulcia in huiusmodi corporibus picrocholis nisi aliquâ portione aquæ, aut decocti diluantur, facilè est vt bilescant, & frustrentur.

Disponentia. Verùm quoniam sępè contingit, vt dicta materia, vel propter cruditatem, vel crassitiem, vel ob aliud vitium difficile sit è pectore exanthlari, idcircò rationi consentaneum est aliquibus se-

rapi-

rapijs, vel apozematibus, aut lambitiuis tum concoquatur, tum ad excretionem disponatur. Si videlicet crassitie peccet, attenuantibus vtendum: si lentore, incidentibus: si impacta sit, detergentibus: si tenuitate, & acutie, vel acredine, incrassantibus, & obtundentibus: si nimia caliditas, & siccitas concoctionem impediat, & materiam crassiorem, & viscidiorem reddat, ita vt ad expurgandum rebellis, & contumax fiat, tunc humectantia, & refrigerantia copiosè, atque frequenter sunt adhibenda.

Quę à tota substantia agunt.

Præter illa, quæ primis, & secundis, manifestisque qualitatibus operantur, alia quoque superaddi possunt, quæ abditâ proprietate vim suam exarare creduntur, & præsertim cardiaca, quę potissimũ in hac epidemia, ac Pleuripneumonia conueniunt: quemadmodum etiam ratione copiosæ humiditatis, quæ peculiariter huius morbi causa esse consueuit, ea maximè sunt in vsũ traducenda, quæ sensibiliter, ac insensibiliter exsiccandi vim habent, qualia sunt Diuretica, Eccathartica, & Diaphoretica, hoc est quæ per vrinam, per sudorem, & per insensibilem digestionem expurgant.

Possunt igitur huiusmodi Syrupi ita præparari.

℞. *Decoct capilli ven. adianthi.*]
Scabiosæ, pinpinellæ.]
Pulmonariæ, ninpheæ.]
Rad farfaræ glycyrrhizæ.] *vnc. iiij vel v.*
Iuiubarum, passularũ oriẽ.]
Sem. hordei, melonum.]
Anixorum, cardui Marię.]

Syr. de glycyrriza.]
De capil. ven.] *an. vnc. ß.*
Acetosi s.]
M. pro syr.

Vel ℞. *Aquarum scabiosæ, violarum.*]
Capillorum Veneris.] *an. vnc. ij.*
Syr. iuiubini, de hibisco, de suc. limon. an. vnc. .
M. pro syr.

Validus autem incidens, & discutiens esto huiusmodi,

℞. *Decocti betonicæ stechados.*
Hyssopi, marrubij.
Calaminthæ.
Rad. tussilaginis.
Ireos, glycyrrhizæ.
Passularum orien. sebesten.
Sem. fœniculi dul.
Cardui benedicti. vnc. v.
Syr. de hyssopo.]
De prassio.]
De farfara.] an. vnc. ß.
Oximel. simpl.]
M. pro syr.

Incrassantia

In tenuitate materiæ hoc conuenit.

℞. *Decocti fol. latucæ, papaueris.*
Ninpheæ, sumitat. maluæ.
Florum viol. boraginis, buglossi.
Rad. alteæ, scorzoneræ, farfaræ.
Sem. papauer. melonum.
Prunorum damascen. iuiubarum. vnc. vi
Syr. papauer. violati. s.]
De hibisco.] an. vnc. ß.
Suc. limonum. drach. ij.
M. pro Syr.

Quos syropos non semel, sed bis in die tribus saltem horis ante cibum exhibeto.

Cur expectorãtia magis cõueniunt p. ipneumoniæ, quàm pleuritidi.

Vt autem materia ex pulmonibus, & alijs thoracis cauitatib⁹ p tussim, & sputũ educatur, hęc diu, noctuq; totis horis vsurpãda. Quoniã in peripneumonia plus laborandũ est de sputi eductione, quàm in pleuritide, ob spirãdi necessitatẽ: nam materia in flabello cordis continetur, vt docet Vallescus de Tarãta lib. 3. cap. 9.

Bechica.

Quæ lambendo sumuntur sunt hæc.

℞. *Iulep violati, acetosi*]
Syr. de glycyrrhiza iuiubini.] an. vnc. i.
De papauer. erratic.]

M. pro

M. pro linctu.

Vel ℞ Syr. de hyssopo.

De hibisco.

Oximel. s. an. vnc. i. ß.

Penidiorum. vnc. ß.

Succi limonum. drach. iij.

M. pro lamb.

Vel ℞. Emulsionum sem. psyllij.

Citoniorum.

Papaueris erratici an. vnc. i.

Penidiorum. drac. vi.

Sacchari cand. viol vnc. i.

Succ. limonum vnc. ß.

M.

Vel ℞. ol. amigdal. dul. rec vnc. ij.

Pul. sacchari candi. vnc. i.

Succi limonum. drach. vi.

M.

Validius autem ℞. *ol. amigdal. dul. rec.* V*nc. ij.*

Oximel. scyllit.]

Sacchari candi.] *an. vnc. i.*

Succi cæparum. drac. i.

M.

Quæ autem tussim valentius prorritant, & per sputum educunt, vt præsertim in quibus ob humoris frigiditatem, crassitiẽ, & contumaciam, aut copiam, vel facultatis imbecillitatem, vt in senibus, sopita est vis tussitiua, sunt syrupi de hyssopo, de calamintha, de marrubio, oximel. simpl. scyllit. diaireos, diahyssop. diaprassium, loch de pinu, de Althea Quercetani, de farfara, loch. sanum, de caulibus, de scylla, de allijs, confect. de Rebecha, cuius descriptio extat apud Renodęum, & huiusmodi allia, quę becchica, vel hypnotica nuncupãtur à Gal. in 6. de simp. med. fac. cap. proprio, ex quibus multiformia componi possunt. *Lambitiua.*

Vt ℞, fol. marrubij, calaminthæ]

Hyssopi, capill. ven.] *an. p. i.*

Rad. tussilag. vnc. i.ß.
Glycyrrhizæ. drach. ij.
Caricarum pinguium. n. iiij,
Iuiubarum, sebesten. prun. damasc. an. n. iij.
Passul. or. vnc. i. hordei p. i.
Rad. ireos drach. ij. sem. melon. vnc. ß.
Coquantur in s. q. aquæ cõmunis, cuius collat. lib. i.
Adde syr. de hyssopo, de prassio.
De glycyrrhiza, de capil. ven. oximel. s. an. vnc. i.
Loch de pinu vnc. i. ß.
M. pro lambit.

Bechica solidiora. Quæ in solidiori substantia solent exhiberi, sunt conserue, electuaria, tabelle, & huiusmodi, vt cõserue violarũ. ex florib' malue, *Electuaria.* papaueris syluestris, boraginis, buglossi, nenupharorũ, & similia. Electuaria sic parari possunt in calida, & tenui substantia,

℞. *Spec. Diatragacanthi frig. drach. iiij.*
Pul. sem. melon. vnc. ß.
Papau. albi drach. i. ß.
Gummi tragacanthi cum suc. limon. dissol. drach. i.
Penidiorum. vnc. ß.
Syr. de glycyrrhiza, de papau. errat. an. q. s.
M. & F. elect.

Vel ℞. *cons. viol. papau. syluestris an. vnc. i.*
Diapenidion. Nic. Alex. vnc. ij.
M. pro elect.

Vel ℞ *Florum papau. syluestr. vnc. ij.*
Florum maluar. vnc. i.
Florum boragin. buglossi. an. vnc. ß.

Cum cultello optimè decidantur, & statim ac decisa sunt, imisceantur in sacchari albi aquę viol. s.q. clarificati, & ad spissitudinem manus christi decocti lib. j.

Addendo postea *Cons. violarum. vnc. ij.*
Succi limonum. vnc. i.
M. pro elect.

Vel ℞ *loch de farfara. vnc. i.*

Loch

Loch sanum, de pinu, cons. viol. an. vnc. ß.
Spec. diatragacanthi frigidi. drach. iij.
M. & cum syr. de hyssopo s. q. f. elect.

In materia verò frigidiori, & crassa, atque viscida.

℞. Spec. diatragacanthi cal. diaireos an. drach. iij.
Pul. orticæ, hyssopi an. drach. i. ß.
Cons. acidi citri. vnc. ß. syr. de hyssopo. q. s.
M. F. elect.

Electuaria tenuantia.

Vel ℞. loch de farfara vnc. ij.
Spec. diaireos, diaprass. an. drach. iij.
Sem. card. sancti drach. i.
Oculorum cancrorum fluu. scrup. i.
Syr. capil. ven. de suc. limon. an. q. s.
M. & F. loch.

Vel ℞. Diatragacanthi frig. drach. vi.
Diairis Salomonis, Diaprassij. an. vnc. ß.
Cum syr. de glycyrrhiza, aut capil. ven q. s.
F. lohc.

Vel ℞. Antidotũ Asyncritũ Actuar. apud Ronodęũ. vnc. iij.
Loch de pinu vnc. i spec. diatragacãthi fr. drach. iij.
M. cum syr. de hyssopo q. s.
Pro elect.

Vel ℞. Rad. alteæ exactè mund. vnc. iiij.
Coquantur in hydrozacchari s. q. deinde contundantur, & p cribrũ mucago extrahatur, cuius vnc. i. ß.
Cons. viol. vnc. i. spec. Diatragacanthi frig. drac. iij.
Pul. ireos drach. i. croci g. viij.
Cinnam. dulc. suc. glycyrrhiz. dens. an. drach. ß.
Penidiorum vnc. i sem. melon. in aq. viol. macer, & contus. vnc. ß. syr. capil. ven. q. s.
M. & F. eclegma.

In tenui autem destillatione à capite, ac in tussi sicca:

Incrassantia Saponea.

℞. amigdal. dulc. mund. }
Sem. melon. mund. } *in aqu. viol. macer. an. vnc. i.*
Amyli purissimi vnc. ß. sacchari albi.

In aquæ farfaræ clarificati. vnc. vi.
M. contundenda contundantur, & f. saponea. s. A.

Tabellæ.

℞ *Spec. diatragacanthi frig sem. melon. an. vnc. ß.*
Sem. papaur alb. drach. i ß.
Sem card Mariæ, rad. glycyrrhizæ rasæ an. drach. ß.
Penidiorum vnc i. Sacchari candi. vnc. ij.
M. & cum aq viol q s. F. Tabellæ. s. A.

In materia crassa, & frigidiori

Morselli.

℞. *Spec. diaireos Salom. spec. loch. sani an. drach. ij.*
Succi glycyrrhizæ dens drach. iij.
Sem. orticæ, viol. lutear, cardui sancti an. drach. i.
Dentis Apri scrup. ß. mucaginis tragacanthæ cum aqu. hyssop. dissol. vnc. ß. Penidior. Sacchari albiss an q s.
M. & f Rotulæ, aut Morselli ponderis drach. ß.

Apozemata

Verùm quoniam in huiusmodi morbis ob pulmonis, & aliorũ thoracis partium inflammationem, & febrem, vsque adeò arescunt fauces, & exasperatur trachea, & humor expectorandus tam incrassatur, & tam contumax redditur, vt multo conducibilius sit actu humectantibus, & maximè dilutis medicamentis vti, quemadmodum Apozemata sunt, ac longę potiones. Quapropter multi pro singulari remedio propinant (vt paulo supra) ol. amigdal. dulc. rec. ad vnc. v. vel vj. cum aqu. viol. vnc. ij. vel iij. succi limonum drach. ij. quo vnico haustu tepidè dato mirum in modum linitur pectus, & maturescit materia, quæ facilius postea per tussim, ac sputum excernitur.

Arcanum p pauperibus.

Pro pauperibus huius loco non nulli pro quodam miro secreto exhibent eandem quantitatem olei seminum lini, cum dicta aqua violacea, & modico saccahri albi, succique limonum.

Aliud secretum.

Aliqui similiter tanquam singulare arcanum dant oleum commune, quod dulcius haberi possit, & hoc ad libram semis, aut plus, aut minus, vna cum lib. ij. aquæ communis ebullire faciunt in olla vitreata donec dimidium aquæ consumptum sit; deinde ex hac in aliam minorem ollam ipsum oleum, & aquam reponendo, iterum igni ad dictam ebullitionem, & consumptionem

expo-

exponunt: & ſic tertia vice in minori adhuc ollula facta huiuſmodi ebullitione, totum dictum oleum ſubcalidum potandum exhibent.

Mirificũ expectorans.

Aliquibus item pro mirifico expectorante habẽtur flores Secalis in tenuiſſimum polinem redacti, & ad drach. j. ß. cum iuris pulli cyatho propinati.

Quemadmodum etiam ſem. card. Mariæ vel card. benedict. vel ſcabioſæ, rad. vel ſem. lappæ mai. & ſimilia.

Chymica.

Ad hæc quoque mirificè prodeſſe volunt quædam chymica, vt Flores ſulforis, Lac balſami, Aqua aurea Zacchariæ A Puteo, Aqua benedicta M. Rulandi, Aqua papaueris Quercetani, & id genus alia: quæ ferè omnia vt plurimum cum aquis ſtillatitijs pectoralibus ſolent exhiberi.

Cæterum ad leniendum lateris dolorem, linendaſque pectoris, ac viarum aſperitates, educendam materiam, inflammationem reſoluendam, ac ſudorem eliciendum pro admirabili habetur præſidio Decoctio, vel Aqua ſtillatitia è floribus chamæmillę ad vnc. iiij. vel v. vel vj. cum ſacchari fini vnc. ß. vel vnc. j. hauſta. Idem præſtatur à copioſo, & frequenti hauſtu aquæ pectoralis, aut decocti hordei, & ſem. melon. aut deſtillati capponis, aut Aquæ Meldulenſis Ferreæ nuncupatæ, quæ actu calidæ ſunt exhibendæ. Ferrea inquam vulgo dicitur illa aqua, eo quòd fortaſſe ob ferrugineum, ſeu potius rubiginoſum ſedimentum exiſtimetur ex ferri fodina deriuare, tametſi ego arbitrer illam ex aliqua terra, aut bolo, aut lapidoſa fodina boli Armenæ colorẽ, & ſubſtantiam referente proficiſci, aut per illam diffluere; cuius qualitates, & vires ſuo loco declarabimus.

Aqua Meldulenſis Ferrea.

Sudoris vſus in hoc morbo

At ex omnibus, quæ huic morbo morificè opitulari obſeruatum eſt, vnus eſt ſudor: & proptarea huc omne ſtudium impendendum, vt ne dum ipſis largiſſimis hauſtibus, verùm etiam calorificis exterioribus procurandus eſt ex toto, & præſertim ex thorace ſudor: quoniam ita reſeratis meatibus, & poris, totius pulmonis, & cordis calor remittitur, & ſic tollitur inflammatio atque febris, & ſanatur æger. Quòd potiſſimum conuenit in febribus malignis, ac peſtilentialibus, in quibus minera humidiſ-

ſima

ſima latet in omnibus thoracis cauitatibus & vaſis, ex quibus non alio vix remedio poteſt exanthlari, præterquam diaphoreticis: & propterea id noſcens Oſualdus Crollius, hoc notatu dignum appoſitiſſimè ſcriptis tradidit in ſua Baſilica Chymica cap. 5. dum inquit. Sudor in peſte, & morbo Vngarico eſt vniuerſalis euacuatio veneni totius corporis, non in ſanguine modò, ſed etiam in habitu corporis, adeoq; in omnibus partibus hærentis. Huius ſudoris benefitio venenũ, quod circunſtans frigus ad cor propulerat, excluditur: nam vt attractione ſpiritus, ſimul etiam venenatam auram attrahemus: ita ſudore oportet illud ipſum ex omnibus mẽbris exterminari. Nulla enim corporis pars licet parua, aeris eſt expers: proinde ſudare omnes poſſunt. Ideo ſudor eſt vniuerſalis euacuatio; ſiquidem ferè tertia pars omnium morborum, qui corpus humanum infeſtant, per ſudorem curari poſſunt. Hæc illæ.

Oſualdi Crollij de ſudore.

Huic propoſito ſuppetit hiſtoria, quam narrat Amatus Luſitanus centur. 7. curat: 43 dicens. Nepos Ebenportę, & Socrus Iacobi Nauarri pleuritide grauiſſima epidemiali laborarunt, quibus febres prius defecerunt, dolore adhuc manente perſeuerantcue: aut fortè quia craſſior ſpiritus locum inflammationis debilem occupauit, vnde diſtenſio & continui ſolutio fit, & conſequens dolor, breui tamen exoletus: ceterum huic mulieri ea, quę per os reijcienda erant, per ſeceſſum eiacta ſunt, ſanguinolenta, viſcoſa, & non nulla citrina, fortè quia adiuta potu atramenti, Ægypticæ caſſiæ, natura ad inteſtina materiam deriuauit, vnde poſtea per ſeceſſum eiecta eſt, vnde factum, vt mulier hæc ſexaginta ferè annos nata, quinto die plus ſolito grauata, ſudare cœperit, & ſeptimo tandem per ſudorem copioſiſſimum ex toto liberata eſt.

Luſitani Hiſtoria de ſudore critico.

Quæ enim per os ingeruntur, ſunt decoctiones guaiaci, ſalſę parillæ, chynæ, ſaſſafras, ligni iuniperini, radicis helenij, peucedani, lentiſci, ireos, filipendulæ, fęniculi, fol. calamenthi, marrubij, capil. ven. & id genus alia.

Sudorifera.

Præter hæc non nulla chymica sũmopere comendantur vt illud Antimonium diaphoreticum ipſius Crolij, exhibitum ad

g. iij. v. vij. vel plura cum aquis thermalibus, vel ſtillatitijs, vel communibus appropriatis.

His adijcienda ſunt quæ extrinſecus adhibita ſudorem alliciunt, ſicuti etiam ſal. hyperici, ſpiritus iuniperi comp. Bezoarticũ minerale, Diaphoreticum Veneris. Sudor autem commodiſſimè prouocatur ſuffomigijs, aut vaporarijs, quæ quidem parari ſolent cum fol. calamenthi, origani, ſampſuci, hiſſopi, marrubij, flor. chamæmelli, anethi, melliloti, ſtechados an. m. j. quę omnia in ſ. q. aquæ communis ebullita ſupponuntur ad euaporandum. Quæ euaporatio fieri poteſt etiam cum lateribus candefactis, & dicta decoctione perfuſis: aut veſicis eadem repletis, ac circumquaq; ſuggeſtis, vt videtur docere Hipp. in 2. acut. text. 2. Sed commodiori, efficaciorique modo præſtatur cum Hypocauſto, hoc eſt ſudorifico illo inſtrumento, quod vulgo dicitur Zerla.

Extrinſecus ſudorem allicientia.

Si autem materia ſudoriferis non obediat, imò potius ad vrinæ vias vergere videatur, diureticis eſt vtendũ. Hęc verò ſunt plantæ, rad. & ſem. aperientia, vt capil. ven. adianthi, calamenthi, an. p. j. rad. fæniculi, petroſelini, apij, heringij, aſparagi, in vino maceratorum an. drac. ij. ſem. fæniculi, alicacabi, card. ſancti, cicerum rub. ſem. mai. frig. an. drach. j. rad. glycyrrhizę drach. ij. coquantur in ſ. q. aquæ communis ad dimidium, & colatura ſaccharo dulcoretur pro vſu potus.

Diuretica.

Vel ℞. Aquarum capil. ven. deſtill.
Heringij, cardui ſtellarij. an. lib. ß.
Suc. limon. vnc. ß. ſacchari fini vnç. i.
M. pro ſingulo hauſtu.

Vel ℞. Seri Caprilli, aut Vaccini deſtill. lib. ij.
Succ. limon. vnc. ß. ſaccari fini vnc. i.
M.

Quæ ſi non vno, ſaltem duobus hauſtibus capiatur: nec vnâ tantum vice, ſed pluribus vicibus diu, noctuque prout ſitis, ac faucium ariditas expoſcerit.

Verùm ſi his omnibus adhibitis euacuationibus non adhuc videatur pectus ab omni materia ſatis expiatum, quinimo copioſa

Extrinſecus adhibenda.

